Ad simpliciter usum P. Fr. Nicolai Lisini a Valent.º M.O. 1842.

# SACRAE
## THEOLOGIÆ SPECULATIVÆ
# INSTITUTIONES

**A BLASIO PANZUTI**

CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

CLERICIS JUVENIBUS

EJUSDEM PRAESERTIM CONGREGATIONIS PROPOSITAE

*VOLUMEN VI.*

COMPLECTENS TRACTATUS DE GRATIA.







**NEAPOLI ;**

EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA

MDCCCXXXI.

*Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Oseae. c. 4. v. 6.

*Esto, o Doctor, quasi Beseleel ( Exodi 36. ), et pretiosas Divini Dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur . . . . Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut, quum dicis nove, non dicas nova.* Vincentius Lyrinensis in Commonitorio.

# CONSPECTUS

## Huius sexti Voluminis.

## LIBER VI.

## De Gratia.

## TRACTATUS I.

De notione, ac divisione gratiae; statibusque humanae Naturae in ordine ad gratiam. . . . 1

Cap. I. = De notione, ac divisione gratiae. ibid.
Cap. II. = De variis Naturae humanae statibus in ordine ad gratiam. . . . . 10
Prop. I. = Conditus homo fuit gratia sanctificante ornatus, cumque eam comitantibus virtutum habitibus, ac perfecta subiectione corporis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem; nec non immortalis. Est de fide, quatenus et gratiam sanctificantem, et praefata dona ante lapsum acceperit: quatenus vero ea acceperit in ipso creationis momento, est communius, ac longe probabilius.. 17
Prop. II. = Supernaturale fuit, ac citra omnem Naturae humanae exigentiam, primum hominem fuisse gratia sanctificante ornatum. Ita communiter. . . 20
Solvuntur Obiectiones. . . . . . . 21

Prop. III. = *Subiectionem in primaevo homine carnis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, nec non caetera, quae iustitia originalis complectebatur, dona aeque etiam fuisse supernaturalia, ac citra omnem Naturae humanae exigentiam, habendum procul dubio est. Ita quoque communiter.* . . . . . . 24
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . 28
Prop. IV. = *Corporis immortalitas, quam homo habuisset in statu innocentiae permanens, ipsi quoque indebita, ac supernaturalis fuisset; non vero debita, ac naturalis. Ita etiam communiter.* . . 32
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . 33
Prop. V. = *Nedum gratia habituali, sed et actuali primus homo indiguit ad bene agendum, et perseverandum: Ita communiter. Sed actualis, qua ad utrumque indiguit, nec physice praedeterminans, nec suapte natura efficax fuit, sed cuius efficacia futura esset in actu secundo ab ipso voluntatis consensu: differebatque a gratia praesentis status, quia non iam voluntatem adiuvans, sed eius intellectum tantum illustrans; solo excepto quoad hoc postremum primo amoris actu, quo eodem instanti, quo conditus fuit, Deo adhaesit. Ita nobis verisimilius.* . . . 34
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . 39
Prop. VI. = *Sub omni respectu poterat Deus nedum in statu Naturae integrae, verum etiam in statu Naturae purae hominem condere, quin scilicet ulli ex eius Attributis id repugnaret. Ita communiter, paucis non sine aliquo auru contradicentibus.* . . . . . . . 46
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . 52

## TRACTATUS II.

De variis quoad gratiam erroribus . . . 64

Cap. I. = *De haeresi Pelagiana.* . . . 65
Prop. I. = *Numquam D. Augustinus talem a Pelagio quaesivit voluntatis gratiam, cui voluntas nequeat resistere.* . . . 72
*Solvuntur Obiectiones.* . . . 74
Prop. II. = *Neque etiam gratiae suapte natura efficacis confessionem quaesivisse D. Augustinum a Pelagio, procul dubio videtur.* . . . 79
Prop. III. = *Habitualem, seu sanctificantem gratiam agnovit Pelagius; non omnino tamen, quemadmodum necesse est iuxta fidem Catholicam eam confiteri: de qua idcirco non fuit praecipua inter eum, et D. Augustinum quaestio. Ita communius.* . . . 80
Cap. II. = *De haeresi Semipelagianorum* 83
Prop. = *Procul dubio est, Semipelagianos non admisisse praevenientis gratiae interioris necessitatem ad initium fidei, sed docuisse, satis ad id esse liberi arbitrii vires.* . . . 87
*Solvuntur Obiectiones.* . . . 91
Cap. III. = *De veteribus Praedestinatianis.* 96
Prop. I. = *Praedestinatianorum errores nullatenus tenuisse Monachos Adrumetinos; nec pro iis eradicandis SS. Prosperum, et Hilarium ad Augustinum, et Coelestinum I, confugisse, procul dubio videtur.* . . . 97
Prop. II. = *Utique sub finem V. saeculi emersit primo in Galliis haeresis Praedestinatiana.* . . . 99
Prop. III. = *Haeresim Praedestinatianam*

*rursum IX. saeculo, Gotteschalcum exsuscitasse, prorsus immerito negatur. Ita nobiscum Norisius* l. 2. hist. Pelag., *Mabillonius* ad IV. saec. Benedict., *Natalis Alexander* in hist. Eccles. saec. IX: Diss. 4., *aliique* - - - - - - 100
Cap. IV. = *De recentibus Praedestinatianis. Et* 1.° *de Wiclefo, Luthero, et Calvino.* 101
Cap. V. = *De Baio, Iansenio, et Quesnellio* - - - - - - - - - - 105
§. I. = *De Baio; eiusque erroribus.* - - ibid.
§. II = *De Iansenio, eiusque erroribus* - 112
§. III = *De Quesnellio, eiusque erroribus.* 117
Prop. I. = *Quinque Jansenio attributae propositiones ab Innocentio X. diris traditae revera extant in Iansenii libro, cui titulus* Augustinus; *ac iure in sensu ab eodem intento diris traditae fuere.* 124
Prob. 1.° *ex Constitutionibus Summorum Pontificum.* - - - - - - - - - ibid.
Prob. 2.° *ex quatuor principiis a Iansenio statutis, totidemque iis adiectis animadversionibus* - - - - - - - - - 126
Prob. 3.° *earum luculentiori evolutione ex praefatis principiis, atque animadversionibus adiectis.* - - - - - - - 134
Prob. 4.° *ex luculentissimis Iansenii testimoniis, in quibus expressis, vel formaliter aequivalentibus verbis proscriptae in eo propositiones continentur.* . . . . . . 137
Prob. 5.° *ex eo quod quinque Iansenii propositiones damnatas non fuisse in sensu Iansenii, sed in sensu Calvini, prorsus immerito dicitur* . . . . . . . . . 140
Prop. II. *Commentum simul, ac mendacium Iansenianorum est, ut eorum erroribus, et blasphemiis praestantissimum adsciscerent Patronum, quod quinque Iansenii propositiones Auctorem Augustinum habeant.* . : 142
Prob. 1.° *auctoritate Summorum Pontificum* . ibid
Prob. 2.° *ex apertissimis ipsius Augustini testi-*

moniis e diametro oppositis cuivis ex quinque Iansenii propositionibus . . . . . 143
Prob. 3.a evertendo quae Iansenius praesumit ex Augustino statuere . . . . . . . . 147
Solvuntur Obiectiones . . . . . . . . . 150

## TRACTATUS III.

### De necessitate gratiae.

Cap. I. = De necessitate gratiae ad cognitionem veri . . . . . . . . . . 167
Prop. I. Suapte natura homo potest tum physice, tum moraliter aliquas veritates naturalis ordinis tum speculativas, tum practicas cognoscere. Omnes tamen sive collective, sive distributive sumptas nec moraliter, ac neque etiam physice. Ita communiter quoad primam partem; communius saltem quoad alteram . . . . . . . . . 168
Solvuntur Obiectiones . . . . . . . . 170
Prop. II. Insufficiens homo est absque gratia et ad fidem, et ad ipsum fidei initium, et ad quodvis verum supernaturale. Est de fide. 171
Solvuntur Obiectiones . . . . . . . . 175
Cap. II. = De necessitate gratiae ad non peccandum per observationem legum . . . 182
Prop. I. In statu quidem naturae integrae potuisset homo absque gratia et physice, et moraliter omnia, et singula legis naturalis praecepta quoad substantiam implere. At in statu naturae lapsae nec moraliter, et nec physice potest universa legis naturalis praecepta, licet quoad substantiam tantum, implere absque gratia actuali; immo nec diu potest moraliter illa implere abque gratia etiam habituali. Utique tamen quoad substantiam tantum aliqua ex iis et physice, et moraliter implere potest absque gratia, modo gravis tentantio non obstet. Cuius autem certitudinis sint singula propositionis membra, ex dicendis patebit. 183

*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . . . . . 191
CAP. III. = *De peculiari gratiae necessitate ad implendum dilectionis Dei mandatum* . . . 195
Prop. *Neque etiam amore naturali potest homo in praesenti statu absque gratia Deum perfecte diligere : utique tamen imperfecte. Prima pars est de fide : altera nobis verisimilior.* . . . . . . . . . . . . . 196
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . . . 199
CAP. IV. = *An cum ordinariis gratiae auxiliis vitari possint toto vitae cursu omnia etiam venialia peccata.* . . . . . . . . . 201
Prop. = *Commune est , ad breve quidem tempus posse hominem cum ordinariis gratiae auxiliis omnia , et singula peccata venialia vitare: at simul de fide, id non posse toto vitae suae cursu , nisi ex speciali Dei privilegio, atque extraordinariis gratiae auxiliis. Quibus omnia , et singula toto vitae eius cursu B. Virginem cavisse , constat quoque fide : at , praeter eam , alios fuisse inter puros homines , qui idem privilegium habuerint, communiter negatur ; quin tamen damnari posset , qui id assereret.* . . . . 202
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . . . . 204
CAP. V. = *De necessitate gratiae ad bonum operandum : et an solis naturae viribus possit saltem bonum aliquod naturalis ordinis , et quidem omni ex parte bonum, perfici.* . 208
Prop. I. = *Potest quidem homo absque gratia habituali bonum supernaturale cum gratia actuali agere : nihil tamen ejusmodi boni absque gratia actuali , quamvis gratia habituali instructus : nec ad gratiam actualem sibi ad id necessariam solis naturae viribus se disponere. Quae omnia habenda sunt de fide , praeter unum illud , quod ad bonum supernaturale satis non est gratia habitualis ; quod tamen contra Thomassinum commune est.* . . . . . . . . . . . . 212
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . . . . 218
Prop. II. = *Et absque fide , et absque gratia potest homo solis naturae viribus aliquid*

*operari, quod peccatum non sit; immo et aliquid omni ex parte bonum moraliter, idest ordinis naturalis. Prima pars est de fide: altera verisimilior, et longe communior.* . . . . . . . . . . . 226
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . . 233
CAP. VI. = *De necessitate gratiae ad perseverandum.* . . . . . . . . . . . 242
Prop. = *Ut justus perseveret usque in finem perseverantia, quae activa dicitur, licet haec etiam perseverantia sit Dei donum, solis tamen ordinariis gratiae auxiliis ad id eget. At non item, ut perseveret usque in finem perseverantia, quae dicitur passiva, ad quod praeterea speciali eget Dei dono, quod tantum de congruo, numquam tamen de condigno promereri potest. Est de fide tam 1. pars adversus Pelagianos, quam 2. adversus Semipelagianos* . . . . . 243
*Solvuntur Obiectiones.* . . . . . . . 244

## *TRACTATUS IV.*

### DE ACTUALIS GRATIAE DISTRIBUTIONE.

CAP. I. = *De extantia, ac natura gratiae sufficientis.* . . . . . . . . . . . . . 246
Prop. = *Admittenda est gratia vere, et simul mere sufficiens. Eaque ita immediate sufficiens sive ad facilia quaedam implenda, sive ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut nullum aliud auxilium sit praeterea necessarium. Prima pars est de fide: altera nobis verisimilior; quam prae aliis absque ulla haesitatione sequitur, ac fuse, et solide probat B. Ligorius in opere, cui titulus:* Il gran mezzo della preghiera *parte 2. cap. 4.* . . . . . . . . . . . 249
*Solvuntur* Obiectiones. . . . . . . . 258
CAP. II. = *An justis omnibus, urgente prae-*

*cepto, praesto semper sit gratia vere sufficiens?* . . . . . . . . . . . . 266
Prop. *Urgente praecepto, iustis omnibus confertur gratia vere sufficiens, ne e iustitia excidant. Est de fide contra Iansenianos.* ibid
*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 270
Cap. III. = *An etiam peccatoribus, ipsisque induratis, et excaecatis, gratia vere sufficiens, ut, urgente praecepto, nova caveant peccata, atque a praeteritis resipiscant, conferatur?* . . . . . . . . . . . 273
Prop. *Ipsis peccatoribus, etiamque induratis, et excaecatis, non deest gratia vere sufficiens, qua, urgente praecepto, nova caveant peccata, et a praeteritis per conversionem resipiscant. Ita verisimilius, et communius post D. Th.* 3. p. qu. 68. art. 1., nec non qu. 24. verit. art. 11., *itemque Bellarminum, Suaresium, etc., adversus Ariminensem, Abulensem, aliosque* . . . ibid
*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 278
Cap. IV. = *An infideles tam negativi, quam positivi habeant gratiam vere sufficientem, qua possent ad fidem converti, et ad salutem pervenire?* . . . . . . . . . 283
Prop. *Ipsis Infidelibus, tam negativis, qui scilicet de Christo nihil umquam audierunt, quam positivis, qui scilicet annuntiato Christi Evangelio contradixerunt, gratiam vere sufficientem non deesse, qua possent ad fidem converti, et ad salutem pervenire, communior, et verisimilior sententia est. Ita prae aliis Bellarminus, et Suaresius* . . ibid
*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 287
Cap. V. = *De extantia, et natura gratiae efficacis* . . . . . . . . . . . . 295
Prop. *Admittenda est praeter gratiam mere sufficientem etiam gratia efficax, quae certo, et infallibiliter effectum operatur, quin simul ullatenus liberum hominis arbitrium offendat. Eius vero efficacia neque ex eo quod sit physice praemovens, neque ex eo quod*

*eiusmodi sit suapte natura , neque ex eo quod delectet magis , quam pulsans ex adverso concupiscentia , sed proxime , seu ultimo , et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petenda est. Prima , et secunda pars est de fide : tertia nobis verisimilior.* ibid

## *TRACTATUS V.*

### De gratiae effectibus.

Cap. I. = *De dispositionibus ad iustificationem, eiusque natura* . . . . . . . . . . 305

Prop. I. *Fides ad iustificationem necessaria non est illa , quam haeretici* promissionum *nuncupant , sed illa , qua firmiter credimus ea , quae nobis revelata , et promissa a Deo sunt. Quae tamen sola , sive primo , sive secundo sensu accipiatur , ad iustificationem non sufficit. Utraque pars est de fide* . . . . . . . . . . . . . . 309

*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 312

Prop. II. *In iustificatione non quidem teguntur, sed vere tolluntur , seu delentur peccata. Nec per solam peccatorum remissionem homo iustificatur , sed per veram interiorem eius renovationem. Utraque pars est de fide* . . 314

*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 317

Prop. III. *Interior hominis renovatio in iustificatione constituitur per donum aliquod internum , et animae inhaerens. Est de fide. Istud autem idem esse , ac charitatem habitualem , hinc indeque probabiliter disputatur : sed verisimilius cum Thomistis dicendum , quod sit habitus a charitate distinctus* . . . . . . . . . . . . . . 320

Cap. II. = *De proprietatibus iustificationis* . . 324

Prop. I. *Nemo nec debet , nec potest , citra specialem Dei revelationem , vel fide Divina , vel etiam absoluta , et infallibili certitudine certus esse , quod sibi peccata remissa fuerint , sitque apud Deum iustus.*

*Est de fide, quatenus nemo certus de hoc esse potest certitudine fidei Divinae: quatenus vero neque etiam certo id scire potest absolute, et infallibiliter, est commune, nec nisi magna cum temeritate negaretur* . 326
*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 328
Prop. II. *Nec inamisibilis, nec ad solos electos iustitia pertinet. Est de fide* . . . . . 331
*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 335
Prop. III. *Gratia sanctificans, qua iustificamur, aequalis non est in omnibus iustis. Est de fide:* . . . . . . . . . . . . . 339
Cap. III. = *De virtutibus infusis, ac donis Spiritus Sancti iustificationem comitantibus* . . 340
Prop. *In iustificatione infusos tum Theologicarum, tum moralium virtutum habitus, nec non dona Spiritus Sancti simul cum gratia sanctificante homo suscipit. Est de fide quoad habitus virtutum Theologicarum. Quoad habitus vero virtutum moralium, et dona Spiritus Sancti, ita post D. Thomam* 1. 2. qu. 63. art. 3. *fere communiter* . . 341
*Solvuntur Obiectiones* . . . . . . . 244

# LIBER VI.

## De Gratia.

Ipse hujus libri titulus, dum ejus praestantiam commendat, incitamentum simul esse debet, ut Theologiae Candidati ejus tractationem toto animo suscipiant; est enim gratia, ut ait Christus Jo. 4., *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Excipit autem liber de gratia illum de Incarnatione Verbi Divini, quia ad hoc Verbum caro factum est, ut, quemadmodum ait Apostolus ad Rom. 5., *ubi abundaverat delictum, superabundaret gratia.* Hinc praedixerat Isaias c. 12., quod hausuri essemus *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; sicut enim de fonte rivus, ita ex Christi vulneribus habemus, quod Deus gratiam suam in nos abunde effudit; ac, sicut pluvia in vellus, ita ejus Misericordia in nos descendit, benedicens nos *in Coelestibus in Christo* (ut ait Apostolus ad Eph. 1.) *in omni benedictione spirituali.* Sit vero

## TRACTATUS I.

### De notione, ac divisione gratiae, statibusque humanae Naturae in ordine ad gratiam.

### CAPUT I.

#### *De notione, ac divisione gratiae.*

Quamquam gratiae nomen significet quoque in Scripturis modo elegantiam tum speciei, tum sermonis, ut ubi dicitur Prov. ult. *Fallax gratia, et vana est pulchritudo*; et Ps. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis*: modo benevolentiam, qua quis apud alterum gaudeat; quo sensu dicitur Gen. 39. de Joseph, quod *invenit gratiam coram Domino suo*; nec non Gabriel ad Ma-

riam ait : *Invenisti gratiam apud Deum* ( Luc. 1. ) : modo gratiarum redditionem pro acceptis beneficiis ; ut quum David legitur l. 2. Reg. c. 2. dixisse : *Nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam , et veritatem : sed et ego reddam gratiam , quia fecistis verbum istud* : tamen et si vocis etymon spectemus , et quia inde gratia dicitur , quod gratis datur , unde Apostolus ad Rom. 11. , *si gratia* ( inquit ) , *jam non ex operibus , alioquin gratia jam non est gratia* ; et c. 4. dixerat de eo , qui labores suos locat : *Ei , qui operatur , merces non imputatur secundum gratiam , sed secundum debitum* ; tunc proinde hoc *gratiae* nomen proprie sumitur , quum per illud intelligitur *quodvis donum gratis creaturae collatum ex mera Dei liberalitate absque ullo merito ex parte creaturae.* Hinc , ut inquit D. Aug. ep. 177. ad Innocentium S. Pont. , et creatio , et conservatio , et liberum arbitrium, aliaque id genus dona naturalia *quadam non improbanda ratione gratia dici possunt, quia non praecedentibus aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata sunt.* Quo etiam sensu VI. Gen. Synodus act. 11. vocavit *Angelos, et Animas rationales per gratiam immortales*: eodemque sensu Pelagius gratiae nomen usurpans decepit Patres Concilii Diospolitani, eorumque judicium evasit.

At neque item hoc sensu tum a Sacris litteris , tum ab Ecclesia , tum a Patribus *gratiae* nomen usurpatur ; *gratia enim* ( ut pergit cit. l. laud. S. Doctor ) , *quam doctrina Christiana demonstrat , non est natura , sed , qua salvatur natura . . . subministratione spiritus, et occulta Misericordia.* Ita plane Apostolus ad Rom. 5. illis verbis , *quod abundantiam gratiae . . . accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Et ad Eph. 2. *Convivificavit in Christo , cujus gratia estis salvati.* Prout de ea idcirco pertractandum suscipimus , definitur gratia : *Donum Dei supernaturale rationali creaturae gratis a Deo concessum in tempore ad aeternam beatitudinem consequendam* ; sub qua definitione comprehenditur tum gratia Angelis in statu viae , ac primaevo homini collata independenter a Christi meritis , quae proinde dicitur gratia *Dei* , et *Creatoris* , tum ea , quae intuitu Passionis , et meritorum Christi homini lapso impertitur , quae proinde *Christi* , et *Salvatoris* gratia appellatur. Cumque Scotistae ex dictis *l. ant.* , etiam Ada

non peccante, doceant, quod Verbum caro factum esset, gratiam proinde primaevo homini collatam gratiam *sanitatis*, seu Christi, *ut Capitis*, illam vero, quae eidem lapso confertur, gratiam *medicinalem*, seu Christi, *ut Redemptoris*, appellant. Ubi advertendum, quod licet gratia *Redemptoris* eadem physice sit cum ea, quae *Creatoris* dicitur, cum idem utriusque sit objectum, et finis, huic tamen praestat triplici ex capite: 1.° quia donum, quod inimico fit, magis gratuitum est, quam quod fit amico; unde ait Ap. ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus . . . reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* 2.° quia Christo nos conjungens, ut membra Capiti, majori Dei dilectione dignos nos reddit; unde Christus Jo. 17. Patrem alloquens, *Dilectio* (inquit), *qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* 3.° quia infinitum ejus satisfactionum valorem nobis in justificatione applicat; unde D. Petrus ep. 1. c. 1. vocat gratiam *aspersionem sanguinis Jesu Christi*; et Apoc. 1. dicimur *lavati a peccatis nostris in sanguine suo.*

Singulas modo definitionis partes expendamus. *Donum Dei*, quod loco generis se habet, quaevis sub se dona complectentis. *Supernaturale*, supra exigentiam scilicet naturae, si enim gratia amitteret rationem gratiae, dum non excluderet debitum personae, proveniens scilicet ex operibus, juxta relata Apostoli verba ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*, multo magis rationem gratiae amitteret, dum non excluderet debitum naturae, proveniens scilicet ex naturae exigentia, utpote strictius, quam sit debitum personae; siquidem huic posset Deus non satisfacere, nulla prorsus vi vel suis Attributis, vel ipsi creaturae illata, hujus nempe opera exigendo titulo dominii absque ulla solutione praemii; illi vero, idest debito naturae, nequit Deus non satisfacere, nisi vim quamdam ipsi rei naturae inferat. Immo cum Ens essentialiter supernaturale sit ipse Deus, ut in se est, et in se immediate attingitur, ad rationem idcirco supernaturalitatis requiritur etiam, ut per id, quod dicitur supernaturale per participationem, creatura rationalis ordinetur, ut fiat juxta D. Petri verba ep. 2. cap. 1. *Divinae consors naturae*, et locum habeat, quod ait Apostolus 1. ad Cor. 6. *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est*; ex quo sequitur, quod

id, quod dicitur supernaturale, sit etiam supra exigentiam cujusvis naturae tum creatae, tum creabilis, tum quia quaenam creatura potest id naturaliter exigere? tum quia cum id ultimo compleatur per intuitivam ipsius visionem, ut enim ait D. Jo. ep. 1. c. 3., *cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est,* sicut proinde intuitiva Dei visio, ita quodlibet ad eam ordinans supra exigentiam dicendum est cujusvis naturae tum creatae, tum creabilis. *Rationali Creaturae,* non enim, nisi haec, homo scilicet, vel Angelus ordinari poterat ad intuitivam Dei visionem, ideoque esse supernaturalis gratiae subjectum. *Gratis a Deo concessum,* quibus verbis significatur et quod Deus est Auctor, idest causa efficiens gratiae, unde dicitur Ps. 83. *Gratiam, et gloriam dabit Dominus,* et quod gratia tum personae, tum naturae debitum excludit. *In tempore,* non enim gratia est dilectio illa, qua Deus in charitate perpetua nos dilexit, sed illius dilectionis erga nos effectus, ideoque in tempore. *Ad aeternam beatitudinem consequendam,* est enim, ut diximus, de ratione doni supernaturalis, quod per illud creatura rationalis ordinetur, ut fiat *Divinae consors Naturae,* idque, ut addidimus, per intuitivam Dei visionem, ideoque per beatitudinem aeternam ultimo completur.

Objicitur quidem, de fide esse, ut ostendimus *l. 2. tract. 12. cap. 5. prop. 3.*, quod justus bonis operibus de condigno meretur augumentum gratiae: Non est ergo de ratione gratiae, quod personae debitum excludat.

Resp. tamen dist. ant., quod nempe justus de condigno meretur augumentum gratiae *bonis operibus* ( ut ait Trid. sess. 6. can. 32. ), *quae ab eo per Dei gratiam, et I. C. meritum, cujus vivum membrum est, fiunt*, tanta enim est Dei erga nos bonitas, quemadmodum idem Trid, loquitur in eadem sess. cap. 16., ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona; non vero bonis operibus, quae ipse justus naturae viribus eliciat, de quibus loquitur Apostolus, cumque eo et nos locuti sumus, ajendo, quod *si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*, quodque gratia amitteret rationem gratiae, si quodvis et naturae, et personae debitum non excluderet. Quare et dicitur ejusmodi augumentum merces simul, et gratia; merces scilicet, quia rependitur meritis; gratia, quia nonnisi pro meritis, quae per gratiam, ejus nempe ope, ac virtute comparata fuere.

Distinguitur autem gratia 1.º in gratiam simpliciter dictam, et in gratiam pro gratia. Prima dicitur, *quae a Deo confertur, quin ex parte hominis ullum meritum gratia comparatum praecedat.* Altera vero *quae a Deo homini rependitur pro merito, quod ex gratia sibi homo comparaverit*; ut enim disserit D. Aug. l. de gr., et lib. arb. c. 8., *Si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio et vita nostra aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei gratia est, ipsa enim gratis datur, quia gratia data est, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo est gratia; haec autem, quae illi datur, quoniam praemium ejus est, gratia est pro gratia.*

Gratia autem simpliciter dicta distinguitur in externam, et internam. Externa est, *quae hominem exterius afficit*, ut lex, doctrina, et praedicatio Evangelii, Christi exempla, et miracula, etc. Interna vero, *quae hominem afficit interius*, sive inhaerendo, ac per modum habitus, ut gratia sanctificans, virtutes infusae, dona Spiritus Sancti, ac quaedam ex gratiis, quae dicuntur gratis datae; sive per modum actus transeuntis, ut quaedam aliae ex gratiis gratis datis, nec non gratia actualis, qua Deus illustrat intellectum ad cognitionem veri, ac excitat, et adjuvat voluntatem sive ad fugiendum malum, sive ad volendum, atque operandum bonum.

Distinguitur item in eam, quae dicitur gratum faciens, et in eam, quae dicitur gratis data. Gratia gratum faciens est *ea, quae primario, et per se datur ad propriam, et spiritualem utilitatem ejus, cui datur*, ut Deo scilicet gratus, et acceptus sit, sive formaliter, si ea sit ipsa gratia habitualis sanctificans, sive dispositive, cujusmodi sunt quaedam virtutes infusae, et gratiae actuales. Diximus *primario, et per se*; potest enim ad aliorum etiam utilitatem non parum conferre tum per exemplum bonorum operum, quod nobis mutuo praebere tenemur ex illis Christi verbis Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in Coelis est*, tum vi communionis Sanctorum ob unitatem Ecclesiae, vi cujus participes reddimur aliorum quoque meritorum, juxta id, quod ait Regius Psaltes Ps. 118. illis verbis:

*Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.*

Gratia vero gratis data dicitur *ea, quae primario, et per se datur, non in propriam utilitatem illius, cui datur, sed in aliorum utilitatem, et commodum.* Diximus quoque primario, et per se, si enim is, cui data fuerit, recte de ea utatur, ipsi etiam secundario prodest ad salutem. Sunt autem juxta Apostolum novem numero, ita enim ep. 1. ad Cor. c. 12. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae.., alteri fides... alii gratia sanitatum . . . alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Sciendum autem quoad hujusmodi gratias 1.°, sapientiam, et scientiam inter eas numerari ab Apostolo, non quatenus sunt dona Spiritus Sancti, sed quatenus idoneos reddunt ad alios in fide docendos, conclusiones eliciendo ex sublimibus fidei principiis, quod fit per *sapientiam*, exemplisque ex rebus naturalibus petitis res supernaturales explicando, quod fit per *scientiam.* Ac ita etiam fidem inter gratias gratis datas ab Apostolo numerari, non quatenus est Dei donum, quo veritates a Deo revelatas firmiter credimus, sed quatenus denotat supereminentem quamdam fidei certitudinem, qua homo fit idoneus ad alios in fide instruendos, et confirmandos: vel, ut alii inquiunt, quatenus denotat fiduciam divinitus immissam ad miracula patranda, de qua Christus ait Matth. 17. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, illuc, et transibit*; sine quo speciali fiduciae dono temere, at tentando Deum ad illa patranda homo se accingeret.

2.° potestatem Sacramenta ministrandi per characterem Sacerdotalem non numerari ab Apostolo inter gratias gratis datas, vel quia, ut quidam censent, revocatur ad operationem virtutum; vel quia, ut alii inquiunt, Ecclesiae Ministris immediate a Deo non confertur: unde Apostolus praefatas gratias, quae gratis datae dicuntur, distinguere ibidem videtur a potestate ministrandi illis verbis: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

3.° gratiam gratum facientem excellentiorem esse quibuscumque gratiis, quae gratis datae dicuntur; his

namque ab Apostolo enumeratis, ad meliora aemulanda charismata ab eodem excitamur illis verbis: *Aemulamini autem charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*; quam, immediate pergit, esse charitatem, sine qua nihil, pergit, prodesse caetera. Ad quod etiam refertur, quod Christus ait ad Apostolos, qui sibi de ejusmodi donis ipsis collatis gratulabantur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quia nomina vostra scripta sunt in Coelis*. ( Lucae 10. ). Hinc redditur ratio, quod, licet de cujusvis gratiae ratione sit, ut sit gratis data, peculiariter tamen gratiae gratis datae dicuntur ejusmodi, quia usus obtinuit, ut nomen generis, quod respectu gratiae est esse aliquid gratis datum, non nobiliori, sed ignobiliori speciei detur, ut nomen animalis detur non homini, sed brutis, etc. De quo caeterum alia etiam ratio redditur, quod nempe Christus id genus dona Apostolis tribuens, expresse eos advertit, quod sicut gratis illa acceperant, ita gratis in aliorum utilitatem profluere facerent: *Infirmos* ( inquiens ) *curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite. Gratis accepistis, gratis date* ( Matth. 10. ).

4.° quod licet id genus gratiae nonnisi Viris sanctitate conspicuis ut plurimum a Deo conferantur, attamen peccatoribus quoque eas Deum quandoque tribuisse, ac tribuere, patet ex illis Christi verbis Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo Daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Numerorum quoque c. 23. Balaam dicitur prophetasse; lib. 1. Reg. Saul inter prophetas; Joannis c. 13. prophetasse etiam Caiphas; quos tamen omnes scelestissimos fuisse, nemo nescit.

5.° quod sapientia, scientia, fides, genera linguarum, et interpretatio sermonum tribuuntur a Deo ad modum habitus permanentis; talibus enim donis a Deo praediti utuntur iisdem, prout libet, quos proinde in illis permanenter sistere, consequens est: caetera vero per modum actus; ut enim disserit D. Hieronymus in c. 25. Ezech. *Si semper in Prophetis esset sermo Dei, et juge*

*in pectore eorum haberet hospitium*, *numquam tam crebro Ezechiel moneret*: *Et factus est sermo Domini ad me dicens.* Quod et evincitur tum ex l. 4. Reg. c. 4., ubi legitur revelatam non fuisse Elisaeo Sunamitidis afflictionem; tum ex c. 17. Matth., ubi refertur de Apostolis, quod lunaticum curare non poterant.

Gratia autem gratum faciens, de qua supra, subdistinguitur in habitualem, et actualem. Habitualis *ea est, quam per modum qualitatis permanentis Deus in nobis infundit.* Eam vero Theologi rursus dividunt in gratiam sanctificantem, seu *qua homo fit justus formaliter*; in virtutes infusas, seu *quae propriis naturae viribus acquiri non possunt*, suntque virtutes Theologicae fides, spes, et charitas, nec non morales infusae, ex quibus praecipuae, ideoque Cardinales nuncupatae, sunt justitia, prudentia, fortitudo, et temperantia; ac demum in dona Spiritus Sancti, quae ex c. 11. Isaiae sunt donum sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, et timoris Domini. Porro tam gratia sanctificans, quam virtutes infusae, et dona Spiritus Sancti dicuntur gratiae habituales, quia de illis, tamquam de habitibus, ad modum scilicet qualitatis permanentis homini inexistentibus, Scriptura loquitur: de gratia enim sanctificante dicitur Jo. 14. *Ad eum veniemus*, *et mansionem apud eum faciemus.* Et in ep. 1. Jo. c. 3. *Omnis*, *qui natus est ex Deo*, *peccatum non facit*, *quia semen ipsius in eo manet.* De virtutibns infusis 1. ad Cor. c. 1. *Nunc autem manent fides*, *spes*, *charitas. Tria haec*, *major autem horum est charitas.* De donis demum Spiritus Sancti l. cit. Isaiae: *Requiescet super eum Spiritus Domini*; *Spiritus sapientiae*, *et intellectus*; *Spiritus ec.* . Ut autem advertit D. Aug. ep. 85., *requiescere*, et *manere* sunt profecto voces, quae habitualem, et durabilem existentiam, qua Deus in anima maneat per aliquod donum speciale, eamque inhabitet, significant.

Actualis vero *ea est*, *qua Deus intellectum cognitione veri illustrando*, *et voluntatem amore boni accendendo*, *ad fugiendum malum*, *et operandum bonum movet*, *et adjuvat.* Hinc 1.° subdistinguitur in gratiam intellectus, et in gratiam voluntatis. Prima est *supernaturalis mentis illustratio*, *verum supernaturale credendum*, *vel bonum supernaturale agendum intellectui proponens.* Altera *super-*

*naturalis motio ad malum fugiendum, atque agendum bonum voluntatem excitans, et adjuvans.*

2.° subdistinguitur in praevenientem, quae eadem est, ac operans, et excitans, de qua Regius Psaltes Ps. 58. *Misericordia ejus praeveniet me*; in adjuvantem, quae eadem est, ac cooperans, et concomitans, de qua idem Ps. 93. *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me*; et in subsequentem, de qua idem Ps. 22. *Misericordia tua subsequetur me*. Praeveniens est, ut eam definit Habertus, *supernaturalis a Deo immissa sancta cogitatio, et indeliberata voluntatis motio, qua homo vel a Deo aversus, vel in bono torpens excitatur*. Adjuvans *supernaturale auxilium, seu actualis Dei influxus, quo roborata voluntas libere consentit gratiae excitanti*. Subsequens *supernaturale Dei auxilium, quo firmatur voluntas in bono proposito, et adjuvatur, ut illud ad executionem perducat*. Dicitur autem gratia adjuvans cooperans quoque, et concomitans, quia simul cum libero hominis arbitrio operatur bonum, juxta id, quod ait Ap. 1. ad Cor. c. 15:, *Non ego* ( inquiens, ) *sed gratia Dei mecum*; *idest* ( ut D. Aug. exponit l. de gr., et lib. arb. c. 5. ) *nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*. Hanc autem triplicem actualis gratiae speciem agnoscendam esse, patet 1.° ex relatis Scripturae verbis. 2.° ex eo, quod ait Trident. *sess.* 6. *cap.* 16., quod Divinae gratiae virtus bona justorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur. 3.° ex eo quod actus liber nonne realiter distinguitur ab actu indeliberato? Ejusmodi autem est gratia adjuvans respectu gratiae praevenientis; per hanc enim Deus in nobis sine nobis operatur, intellectum illustrando ad cognitionem veri, et voluntatem accendendo ad amorem boni, non quidem in nobis haec operando sine nobis active ad id concurrentibus, cum enim et cognitio veri, et amor boni sint actiones vitales, repugnat in terminis, quod non sint a principio vitaliter agente, sed sine nobis libere concurrentibus, quippe quod subiti, et indeliberati motus, qui a nostra non pendent voluntate: per adjuvantem vero gratiam illa intelligitur, qua Deus facit, ut libere velimus, quod per gratiam, qua nos ipse misericorditer praevenit, noverimus, et ad quod ab ea excitati fuerimus: Patet ergo, quod adjuvans a praeveniente sit distinguenda.

3.° etiam subdistinguitur in sufficientem, et efficacem. Sufficiens nempe est *ea, quae potentiam veram, completam, et expeditam, saltem mediate, homini confert ad malum vitandum, bonumque operandum, si velit, sive illam reapse abjiciat, sive illi assentiatur, et cooperetur.* Praeit nobis Dionysius Petavius l. 10. Theol. Dogm. c. 19., hanc, et non aliam, inquiens, gratiae vere sufficientis notionem esse juxta receptum sermonem, et communem hominum sensum: *Sufficiens gratia proprie est illa* ( haec praeclarissimi Theologi verba ), *quae idonea est, ut cum ea voluntas bonum velit, et opeteiur, si huic assentiatur, nec eam repellat; ac prorsus, si hac uti libeat, reipsa vult, operaturque bonum. Nec est alia gratiae sufficientis notio, usu recepta sermonis, et communi hominum innata sensui, quam ista.* Efficax vero est *illa, quae nedum homini praefatam potentiam confert, verum etiam certo, et infallibiliter cum fuga mali, et positione boni conjungitur.* Hanc porro actualis gratiae subdistinctionem ipsae nobis Scripturae innuunt; mere sufficientis scilicet, quia eam homo volens, ac libens abjicit, quum dicitur Prov. 1. *Vocavi, et renuistis.* Et Actuum 7. *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Efficacis vero, qua Deus certo, et infallibiliter facit, ut faciamus, quemadmodum *l. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 6.* explicavimus, quum dicitur Ezech. c. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* De utraque tamen, ut oportet, suo loco.

## CAPUT II.

*De variis Naturae humanae statibus in ordine ad gratiam.*

Explicatis variis gratiae speciebus, varii etiam prae oculis exponendi sunt Naturae humanae status, antequam amplissimum gratiae argumentum pertractandum aggrediamur. Hujus autem status, seu conditio in ordine ad finem suum ultimum consequendum triplex distinguitur, qui de facto extitit, ac totuplex, qui nusquam fuit, sed esse potuisset. Fuit namque humana Natura in statu in-

nocentiae, in quo nempe primi hominum Parentes conditi fuere absque ulla vel ignorantia in intellectu, vel propensione ad malum in voluntate, vel deordinatione in appetitu inferiori, nullique miseriae, vel ipsi morti obnoxii, cum gratia, atque ordinatione ad intuitivam Dei visionem. Hic status naturae innocentis. Ex hoc vero statu per fructus vetiti comestionem cum excidissent, tam ipsi, quam eorum posteri sunt ante baptismum in statu peccati, in quo nascimur filii irae, ac damnationis, tenebris obducti quoad intellectum, ad malum proni quoad voluntatem, cuinque appetitu, qui adversus spiritum concupiscit, innumerisque calamitatibus, miseriis, ac tandem morti obnoxii. Hic alter status naturae lapsae, et non reparatae. E quo demum quotquot ad Baptismi gratiam perveniunt, per Jesu Christi merita egrediuntur, eorumque status dicitur naturae lapsae, et per Christum reparatae, in quo, sublato originalis peccati reatu, et macula, ejus tamen poenalitates fere omnes ad agonem, virtutisque exercitium supersunt; ignorantia scilicet in intellectu, propensio ad malum in voluntate, deordinatio, ac rebellio in appetitu inferiori, mortalitas demum, ejusque comites dolores, atque aegritudines.

En vero totuplex ejus status, qui nusquam fuit, sed esse potuisset: Primus nempe status naturae purae, in quo homo fuisset absque peccato, et absque gratia, solis facultatibus, ac perfectionibus naturalibus gaudens, cumque simul infirmitatibus ipsam naturam comitantibus. Secundus naturae integrae, in quo homo fuisset quidem absque peccato, et absque gratia, saltem habituali, seu sanctificante, at non sine auxilio quodam, sive naturali, sive supernaturali, quo vel immunis a deordinatis appetitus motibus factus esset, vel impedire potuisset, ne ejusmodi motus contra rationem insurgerent. Hinc quodnam sit discrimen inter statum naturae purae, ac illum naturae integrae, cuivis consideranti fit perspicuum. Tertius demum naturae lapsae, et non reparatae, in quo homo fuisset, si eum Deus reliquisset post lapsum in suo casu.

His praemissis, erravit quoad statum naturae innocentis Pelagius, juxta quem homo conditus fuit absque peccato, et absque gratia, ut patet ex ejus verbis apud D. Aug. l. de pecc. orig. c. 13. *Adae peccatum ipsi soli obfuit, et non generi humano; et infantes, qui nascun-*

*tur*, *in eo statu sunt*, *in quo fuit Adam ante praevaricationem.* Quem item absque peccato quidem conditum fuisse, at simul absque gratia, docent quoque post Socinum in suis Praelectionibus c. 3. Sociniani omnes. Ex Theologis vero fuerunt apud D. Thomam 1. *p. qu.* 95. *art.* 1. qui docuere, hominem in rectitudine quadam, et sanitate tum corporis, tum animae conditum fuisse, qua ea, quae sunt naturalis ordinis, facillime adimplere poterat, atque hanc fuisse justitiam originalem; deinde vero sanctificantem quoque gratiam accepisse. Nec immortalitatem primaevi status ejusmodi fuisse, opinati etiam sunt quidam ex iis, quasi illius corpus esset invulnerabile, vel, quocumque vulnere accepto, non esset moriturum; sed tantum, quod talia Deus non permisisset. ac neque etiam, quod ob pugnam, et contrarietatem elementorum, ex quibus corpus humanum coalescit, suapte natura non esset aliquando dissolvendum, nisi Deus, antequam illud accideret, transtulisset hominem ad immortalitatis statum; sed tantum, quod id necessitatis naturalis, non poenae rationem habuisset.

Iamdiu tamen hisce etiam opinationibus obsoletis, communiter Theologi docent, conditum hominem fuisse nedum in innocentia, verum etiam in gratia, cumque hanc comitantibus virtutum habitibus, ac perfecta in omnibus suis facultatibus rectitudine: nec tantum a lege, seu poena moriendi immunem, verum etiam immortalem, modo in gratia, in qua fuerat conditus, mansisset.

Quoad eumdem innocentiae statum errant quoque Lutherani, et Calvinistae, ejus justitiam, ajentes, fuisse homini quid naturale, idest ejus naturae debitam, ac secundum ejus exigentiam, ita ut Deus, salva ipsius justitia, bonitate, sapientia, ac providentia, illi eam denegare non poterat: *Statuamus* ( ita Lutherus in c. 3. Gen. ), *justitiam non fuisse quoddam donum*, *quod ab extra accederet*, *separatum a natura hominis*, *sed fuisse vere naturalem*, *ut natura Adae esset diligere Deum*, *credere Deo*, *agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo*, *quam naturale est*, *quod oculi lumen recipiant* . . . . *Porro haec probant*, *originalem justitiam esse de natura hominis*; *ea autem per peccatum amissa*, *non mansisse integra naturalia*, *ut Scholastici delirant.* Luthero accessit Calvinus, ut patet ex *l.* 1. *Institut. c.* 15. ; iisque etiam accedere non erubuit post-

modum Michael Bajus Doctor Lovaniensis, ita enim inter propositiones, quas in eo proscripserunt Pius V., Gregorius XIII., et Urbanus VIII. prop. 26. *Integritas primae creationis non fuit indebita naturae humanae exaltatio*, *sed naturalis ejus conditio*. Et prop. 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium*, *sed naturalis conditio*. Et prop. 79. *Falsa est Doctorum sententia*, *primum hominem potuisse a Deo creari*, *et institui sine justitia originali*. Quibus caeterum propositionibus diris traditis ab eo, qui Ecclesiae Caput, et fundamentum est, omniumque controversiarum in materia fidei, et morum Supremus Iudex, eas denuo docuit Iansenius, cumque eo in triumphum agunt Iansenianii.

Ut tamen status quaestionis eos inter, et Orthodoxos probe dignoscatur, quinque modis advertendum est dici aliquid posse naturale homini: 1.° quia ei a primo ipsius ortu, seu nativitate inest, quo sensu ab Apostolo dicimur ad Eph. 2. *naturae filii irae*. 2.° quia ejus naturam ornat, ac perficit. 3.° quia consequenter ad gratuitam Dei ordinationem ejus naturae competit. 4.° quia rationi, et aequitati consentaneum est, ut id habeat, quod proinde Deus, salva ejus justitia, bonitate, sapientia, providentia, denegare illi nequit. 5.° quia pars naturae, vel juxta ejus exigentiam. Utique autem dici posse, justitiam originalem naturalem fuisse homini triplici priori sensu, cuivis consideranti fit perspicuum, nec proinde ulla super hoc quaestio Novatores inter, atque Orthodoxos agitur: naturalem tamen illi fuisse quarto etiam, et quinto sensu id fuit quod post Lutherum, et Calvinum Bajus, ac Iansenius docuere, hoc tantum discrimine, quod Bajus omnino naturalem inquit homini fuisse, quippe quod, ut loquitur l. 1. de prima hom. justitia c. ult., *non ea tantum naturalia dicuntur*, *quae ex internis principiis*, *tamquam efficientibus causis oriuntur*, *sed generaliter quaecumque ad rei integritatem pertinent*, *ut sine illis aut omnino esse non possit*, *aut bene esse non possit*, *maloque*, *atque miseria carere*. Ejusmodi autem, pergit, fuisse homini justitiam originalem, *quia sic ad ejus integritatem pertinebat*, *ut sine ea non possel salva consistere*, *miseriaque carere*, *Deo enim per justitiam adhaerere bonum est*, *et non adhaerere malum*. Iansenius vero a Baji pene vocabulis, non sententia discedens, supernaturalem homini fuisse, ait, quia citra omne

debitum personae, illud nempe debitum, quod ex operibus provenit: quia tamen contendit naturae rationali fuisse debitam, quippe quae juxta eum nonnisi rectum, ordinatumque amorem, ideoque castum, ac justificantem Dei amorem, seu charitatem habens, creari poterat, contendit quoque, illi fuisse naturalem, utpote ad naturalem ejus integritatem pertinentem; ac tantum gratiam dici posse, ut scribit l. de statu nat. purae c. ult., *quia gratiae propriissime dictae ratio solummodo excludit debitum personae ex operibus proveniens, non debitum naturale ex naturae exigentia procedens.* Explodit proinde l. cit. c. 3., tamquam Scholasticorum commentum, *Philosophiae humanae viribus excogitatum*, distinctionem amoris Dei naturalis, et supernaturalis, ac unum Dei amorem castum, et justificantem agnoscendum esse, scribit, ad quem docet, creaturam rationalem, eo ipso, quo rationalis est, naturali inclinatione ferri, atque arctissima, ac severissima lege obstringi, eumque idcirco ad ejus naturalem integritatem eo fere modo pertinere, quo visus, et sanitas ad integritatem corporis spectant, aeque enim sine casto, ac justificante Dei amore manca, et corrupta est natura rationalis.

Quoad gratiam denique, qua homo eguit in statu innocentiae ad bene agendum, et perseverandum, docuit Lutherus, et post eum Calvinus, in hoc reponendum esse gratiae utriusque status discrimen, quod primus homo poterat gratiae assentiri, vel resistere pro libito, modo vero eget gratia, quae illum necessario ad bonum determinet. Ita nempe Lutherus l. *De servo arbitrio*, et Calvinus *l.* 2. *Inst. c.* 5. . Eos deinde secutus Iansenius, ut videretur simul ab illis recedere, necessitatem, inquit, quam gratia homini in praesenti statu imponit, non esse absolutam, et invariabilem, sed relativam, et variabilem, ex delectatione scilicet coelesti hic, et nunc pulsante, quae delectationi concupiscentiae praevaleat: cumque Augustinum semper sequi glorietur, hoc sensu, contendit intelligendam esse illam adjutorii, *sine quo*, et *quo* distinctionem, quam S. D. tradit l. de corrept. et gr. c. 12. n. 34., quam proinde distinctionem adeo usque ad nauseam urget, ut textum, e quo deprompta est, septuagies supra centies repetat *l. de gr. primi hom.*, *et Angelor.*; eamque dicat *clavem*, *qua aditus in scripta Augustini aperitur*, *et sine qua*, *qui ea molitur ingredi*, *velut*

*caecus palbabit in meridie. Esse filum, sine quo e labyrintho scriptorum ejus expedire se, ac extricare nemo poterit.* At more suo, ut lectores deciperet; cum enim S. D. nonnisi postquam de Pelagiana haeresi triumphum egerat, ac circa vitae finem paucis verbis, ac velut obiter ejusmodi distinctionis meminerit, quisnam eam tanti aestimabit cum Iansenio, ut sine eadem Augustini scripta, ut ipse inquit, intelligi nequeant? Per illam vero, pergit, statuendum cum Aug. esse, collatum a Deo fuisse primo homini ejusmodi adjutorium, *sine quo* non poterat bene velle, et operari, quin scilicet eum necessario determinaret, ut bene vellet, et operaretur: modo vero necessarium illi esse, ut bene velit, et operetur, nec secus posse ullum bonum velle, et operari, tale adjutorium, *quo* velit, et operetur bonum, quin scilicet illi possit resistere ob delectationem coelestem relative superiorem concupiscentia. Quo tamen sensu intelligenda sit illa adjutorii *sine quo*, et *quo* distinctio ab Aug. tradita, jam *l. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 6 resp. ad 5. pag.* 224. explicavimus, et paullo infra rursum recurret loquendi locus.

Ex Catholicis autem Thomistae, quia praemotionis physicae necessitatem ad omnes actus repetunt ex ipsa ratione causae secundae, quae essentialiter tam in esse, quam in operari subordinatur causae primae, a qua ad agendum praemoveri debet, nec non ex naturali indifferentia voluntatis per physicam praedeterminationem necessario tollenda; aeque, inquiunt idcirco, eguisse hominem in statu naturae innocentis gratia physice praedeterminante, ac ea eget in statu naturae lapsae; discrimen vero gratiae utriusque status in hoc reponendum esse, vel quia, ut quidam ex iis censent, in statu naturae innocentis fuit ex praefatis duobus titulis dumtaxat necessaria, in praesenti autem statu est item necessaria titulo infirmitatis, non quod, ea absente, non habeat voluntas beneficio gratiae sufficientis vires relative sufficientes bono exequendo, sed ut, non obstante concupiscentia, ad bonum operandum infallibiliter moveatur, ac determinetur: vel quia, ut aliis ex iis placet, physica praemotio in praesenti statu magis virtuosa, quam in statu innocentiae, esse debet.

Caeteri tamen omnes conveniunt, gratia eum eguisse in

primaevo illo statu, cujus efficacia in actu secundo non esset, nisi ex ejus voluntatis consensu. Ex iis autem qui se Augustinianos nuncupant, discrimen gratiae utriusque status in hoc reponendum esse, docent, quod in praesenti statu, licet gratia mere sufficiens potentiam illi conferat perfecte completam, et expeditam ad bonum, attamen, ut actu velit, et operetur bonum, eget quoque gratia suapte natura efficaci: alii vero, quos inter Petavius, cujus verba retulimus *l. 2. loco sup. cit.*, in hoc, quod in illo primaevo statu gratia tantum eguit in illustratione intellectus posita, quin fuerit simul adjuvans voluntatem, quippe quod innocens ejus natura ad esse supernaturale per habitualem gratiam evecta satis erat ad bonum cum sola intellectus illustratione: modo vero eget gratia tum intellectus, tum quae ipsam voluntatem praeveniat, comitetur, et usque in finem adjuvet. Nec defuerunt demum, qui dicerent, satis quoque illi ad id fuisse solam gratiam habitualem, quorum tamen opinatio communiter rejicitur.

Circa statum vero tam naturae purae, quam integrae, quem diximus numquam fuisse, sed esse potuisse, erratunt 1.° Pelagiani, qui statum naturae purae nedum possibilem, sed ipsum esse, docuere, in quo omnes nascimur, ajentes, quod et sine gratia, et sine peccato nascimur. 2.° erravit Lutherus, docens, ut supra diximus, tam naturalem primo homini fuisse justitiam originalem, quam naturalis est oculo facultas visiva. Quem Lutheri errorem temperans deinde Calvinus, impossibilem, inquit, censendum esse statum naturae purae, quia *in contumeliam Dei recideret, si quid vitii naturae inesse probaretur.* Ita nempe l. 1. Instit. c. 15. Et l. 2. c. 1. *Minime* (inquit) *consentaneum est, Deum fieri mortis auctorem;* Dei scilicet Iustitiae, Bonitati, ac Providentiae neutiquam consentaneum. Idem vero postmodum, ut supra etiam diximus, docere non erubuit tum Baius, tum Iansenius; addens quoque hic, Pelagianorum errorem fuisse, quod homo creari a Deo potuerit absque gratia, et ordinatione ad finem supernaturalem. Non defuerunt demum, qui distinguerent inter Dei Omnipotentiam, ac caetera ejus Attributa; dixeruntque, potuisse quidem Deum, habita ratione solius suae Omnipotentiae, hominem condere in statu naturae purae; at non item, habita ratione ejus Iustitiae, Bonitatis, ac Providentiae. Prorsus tamen incongrue, ac reipsa non

recedentes a praefata Calvini, Baji, et Jansenii doctrina: quia enim Deus negare seipsum non potest, absolute impossibile est, ut velit, vel possit quod cuivis ex ejus Attributis vel minimum adversetur. Quamobrem communiter Theologi post D. Thomam status naturae purae possibilitatem absolute, et sub omni respectu, habita scilicet ratione tum Divinae Omnipotentiae, tum Iustitiae, Bonitatis, Providentiae, aliorumque Dei Attributorum, propugnant. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Conditus homo fuit gratia sanctificante ornatus, cumque eam comitantibus virtutum habitibus, ac perfecta subjectione corporis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem; nec non immortalis. Est de fide, quatenus et gratiam sanctificantem, et praefacta dona ante lapsum acceperit: quatenus vero ea acceperit in ipso creationis momento, est communius, ac longe probabilius.

Prob. 1. pars rationibus prolatis *l. 4. tract. 3. cap. 5. prop. 1. pag. 144., et sequ.*: quibus addimus 1.° quod justitia, et sanctitas, quam primus homo amisit, quaenam juxta illic laudata Apostoli verba ad Eph. 2. *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*, quaenam, inquam, nisi praesentis status justificatio? Praesentis autem status justificatio non fit, nisi per gratiam sanctificantem: In hac ergo primum hominem creatum fuisse, consequens est.

2.° ex canone 12. Trid. sess. 5. in Decreto de peccato orig. *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, anathema sit.* Non habetur autem sanctitas, nisi per gratiam sanctificantem: Hanc ergo Adam ante peccatum a Deo acceperat: cumque, eo non peccante, omnes quoque ejus posteri illam habuissent in ipsa eorum prognatione, seu a primo ortu, in primo quoque ejus ortu, seu in ipsa creatione illam Adam habuisse, est dicendum.

3.° ex eo quod scribit D. Aug. l. de corrept., et gr. c. 11. n. 32. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Per bonam autem voluntatem intelligenda est juxta D. Aug. charitas, seu gratia sanctificans, ut patet

ex illis ejus verbis l. 1. de grat. Christi c. 21. *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, et a Patre datum, ut filii ejus essemus*: In illa ergo eum fecerat. Quod et confirmat l. 12. De Civ. Dei c. 9., ubi docet, parem fuisse in donis creationis tam primi hominis, quam Angelorum conditionem. Docet autem ibidem, quod in creatione Angelorum *erat Deus in eis simul condens naturam, et largiens gratiam*: Et in creatione igitur primi hominis aeque se Deum gessisse juxta Aug., perspicuum est.

Prob. 2. pars; et quidem etiam momentis cit. l. allatis *pag.* 146., *et sequ.*; ex quibus sufficiat hic urgere illud Ecclesiastis testimonium, *quod fecit Deus hominem rectum.* Ut autem disserit D. Aug. l. 14. De Civ. Dei c. 11., *rectus non esset non habens bonam voluntatem*: Cum ergo habitus virtutum voluntatem perficiant, nec sine iis voluntas sit bona, iis quoque primum hominem fuisse praeditum, est dicendum. Cumque item rectus profecto non fuisset absque subjectione corporis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, ejusmodi etiam subjectionem in ejus prima conditione agnoscendam esse, quin ulla in ejus facultatibus deordinatio haberetur, ex relatis verbis sequitur. Qua super re declaravit quoque Trid. sess. 6. c. 5., *concupiscentiam* ( per quam intelligitur habitualis illa ad malum propensio, quam omnes experimur, seu impetus, ac sensus ille ad deordinata impellens ). *quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Quod si a peccato est, quid clarius, ut l. cit. disseruimus, quam quod ante peccatum non inerat?

Prob. 3. pars iisdem quoque momentis cit. loco allatis. Quibus hic addimus, quod cum D. Augustinus *l. 1. de peccat meritis c. 2.* carpsisset Pelagianos, quod mortem corporis dicerent hominibus non peccati merito, sed naturae necessitate venturam, profert c. 4. illa Apostoli verba ad Rom. 8. *Corpus mortuum est propter peccatum*, ac ita ex illis disserit; *Puto, quod non expositore, sed tantum lectore opus hebet tam clara, et aperta sententia: Corpus, inquit, mortuum est, non propter fragilitatem terrenam; quia de terrae pulvere*

*factum est, sed propter peccatum. Quid amplius quaerimus?* Hinc definiit Conc. Milevitanum can. 1. *Placuit, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.* Quibus similia sunt etiam Tridentini verba sess. 5. can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem incurrisse per offensam praevaricationis mortem, quam antea illi Deus comminatus fuerat, anathema sit.* Idem autem dictu est, quod per offensam praevaricationis, idest per peccatum, in mortem incidit, quodque a peccando cavens in illam non incidisset: nec mortis comminatio in praevaricationis poenam locum habuisset, si Adam, etiam non peccando, naturae tamen necessitate moriturus esset. Patet ergo propositum.

Mirum autem esse non debet, quod cum ex anima, et corpore coalesceret, fuisset tamen immortalis, licet sit de natura cujusvis compositi, ut in partes tandem dissolvatur; ita enim hac super re laud. D. Augustinus l. supra cit. c. 4. *Si Deus Israelitarum vestimentis, et calceamentis praestitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum, si obedienti homini praestaretur, ut animale, et mortale habens corpus haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosus tempore, quo Deus vellet a mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus?* Et c. 5. *Poterat ejus corpus esse mortale, quamvis non moriturum.* Quod deinde explicans l. 6. de Gen. ad litt. c. 25., *illud quippe* ( inquit ) *ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat; idest mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis.* Et paullo post: *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Creatoris.* Quomodo autem, licet natura mortalis, numquam tamen Creatoris beneficio morti fuisset obnoxius, declarat l. 14. De Civ. Dei c. 26. *Cibus* ( inquiens ) *aderat homini, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitae, ne illum senecta dissolveret:* Vel, ut addit Bellarm. l. de grat. primi hom. c. 9., quia Deus illum ad statum

gloriae transtulisset, antequam senescendi tempus accederet. Ne vero illi dormienti noxium aliquid accideret, aut alio modo extrinsecus laederetur, vigilasset super eum Deus tum Divina ejus Providentia, tum Angelorum custodia; si enim de homine iusto legimus: *Dominus custodiat te ab omni malo* ( *Psal.* 120. ): Et: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* ( *Psal.* 90 ), dubitari non potest, quin etiam de Adamo, quo tempore justus, et amicus Dei esset, dici potuisset.

Subdidimus demum, de fide quidem esse, primum hominem ante ejus lapsum fuisse praeditum gratia sanctificante, caeterisque donis, quae diximus; non tamen de fide, quod ea omnia in ipsa ejus creatione acceperit: tum quia hoc posterius non habetur formaliter in Scripturis, adeo ut oppositum expresso earum testimonio adversetur; tum quia hactenus non fuit ab Ecclesia definitum; tum quia ea post sui creationem accepisse, docuerunt olim Magister Sententiarum, Hugo Victorinus, D. Bonaventura, Scotus, aliique.

Prop. II. Supernaturale fuit, ac citra omnem Naturae humanae exigentiam, primum hominem fuisse gratia sanctificante ornatum. Ita communiter.


Prop. 1.° ex Scripturis, ex quibus nihil clarius, quam quod gratia sanctificans et est supra omnem rationalis creaturae exigentiam, et nonnisi merae, ac solius charitatis Dei effectus. Ita nempe 2.ª Petri c. 1., ubi: *Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini Divinae consortes naturae* Et 1. Jo. c. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* 2.° ex prop. 79. in Bajo proscripta a Summis Pontificibus Pio V., Greg. XIII., et Urbano VIII. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine justitia originali.* Praecipuum autem justitiae originalis ornamentum, ac velut origo, et radix caeterorum donorum, quae complectebatur, erat gratia sanctificans; ut enim loquitur D. Aug. l. 13. De Civ. Dei, *per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur*: ex quo etiam probat D. Thomas 1. p. qu. 95. art. 1., quod in statu innocentiae homines si nati fuissent in justitia originali, nati quoque fuissent in gratia. Idem vero, quod Pius V., et Greg. XIII. in Bajo proscripserant, confixit rursus Clemens XI. Const. *Unigenitus* in Quesnellio, qui

denuo variis propositionibus, praesertim 25., 26., et 27., gratiam Adae collatam sequelam creationis fuisse, naturae sanae, atque innocenti debitam, asserere ausus fuit. 3.° ex eo quod, de ratione creaturae esse, quod naturaliter sit serva, dubitare non sinit Regius Psaltes id expresse affirmans Ps. 118. illis verbis: *Omnia serviunt tibi*; quibus et illud, quod alibi legitur, respondet: *Dominus universorum tu es.* Quod si naturaliter serva, eam profecto adsciscì per gratiam sanctificantem in adoptionem filiorum Dei, et in Naturae Divinae consortium, supra omnem ejus conditionem, atque exigentiam est dicendum: Ita igitur. 4.° demum gratiam sanctificantem, in qua primus homo conditus fuit, veri nominis gratiam fuisse, et ex se se, et ex disertissimis SS. Patrum testimoniis, et ex confessione ipsius Jansenii, qui id negare non est ausus, luce meridiana patet. Est autem de ratione gratiae, ut *cap.* 1. *pag.* 3. ostendimus, quod nedum personae, sed et naturae debitum excludat; neque hoc exclusisset, si ad ejus exigentiam data esset: Collatam ergo primo homini fuisse citra omnem ejus naturae exigentiam, magis, magisque perspicuum est.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod D. Aug. tum *l.* 11. *De Civ. Dei, c.* 17., tum *l.* 3. *De lib. arb. c.* 13., *et* 14. docet; charitatis scilicet defectum vitium esse naturae. Si autem debita non fuisset ejus exigentiae, eique connaturalis, quomodonam naturae vitium? Ejus ergo exigentiae debita, eique connaturalis; ut enim idem S. Doctor addit in Enchir. c. 11., *animorum quaecumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum.*

Resp. dist. maj., quod nempe charitatis defectus vitium est naturae, atque animorum quaecumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum in praesenti statu; ex gratuita enim Dei benignitate, et ordinatione, nisi Adam peccasset, atque in illo omnes peccassent, eadem justitia originalis, in qua ipse fuit conditus, omnium quoque nativitatem ornasset, quin ulli idcirco a primo ipsius ortu charitas defuisset, vel ullius vitii dedecore erubescendum illi esset. At non item absolute, quod numquam S. Doctor asserit; sed tantum quia in omnibus suis operibus Pelagianam tunc grassantem haeresim inse-



elabatur, quemadmodum idcirco docuerat Pelagius, ut testatur S. Doctor l. de pecc. orig. c. 13., *Adae peccatum ipsi soli obfuisse, et non generi humano; et infantes, qui nascuntur, in eo statu esse, in quo fuit Adam ante praevaricationem*, ita e contrario id semper animis ingerere S. Doctor studuit, quod defectus in nobis charitatis ex vitiata per peccatum natura agnoscendus est; quodque animorum quaecumque sunt vitia, naturalium quoque sunt privationes bonorum, quippe quod, Adam non peccante, in eo statu nasceremur, in quo ipse fuit ante praevaricationem, absque ullo vitio, omniumque virtutum habitibus instructi.

Objic. 2.º; quod cum voluntas absque ullo amore esse nequeat, neque etiam condi potuit absque aliquo amore, et quidem, qui bonus, atque honestus esset, nefas enim dictu, quod condi a Deo potuerit, malum, atque inhonestum habens amorem. Amor autem, qui Dei non sit, et prout Deo dignum est, hoc ipso malus est, atque inhonestus, malum namque est, atque inhonestum vel, praetermisso Creatore, amare Creaturam, vel ipsum super omnia non diligere: Hominem ergo condi non potuisse absque hoc Dei amore, est dicendum: cumque Dei dilectio super omnia sit donum illud supernaturale, de quo ad Rom. 5. ait Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, hominem proinde absque gratia sanctificante condi non potuisse, ideoque illi fuisse debitam, manifeste sequitur. Accedit, unum ex erroribus Pelagii fuisse, quod doceret, amorem Dei propter se solis naturae viribus haberi posse; quare D. Aug. l. 3. de Nat., et lib. arb. c. 18., *unde est* (inquit) *in hominibus charitas Dei, et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Porro si non ex hominibus, sed ex Deo tantum haberi potest ipsius Dei amor, nec immutabilis rerum ordo sinebat, ut ex se patet, quod sine Auctoris sui amore rationalis creatura conderetur, neque etiam sinebat, quod sine charitate, quae per Spiritum Sanctum diffunditur, conderetur, ideoque sine gratia sanctificante: Rursum ergo patet, quod haec fuerit homini naturalis, non vero donum supernaturale, ac citra ejus Naturae exigentiam.

Resp. 1.º neg. min.; ex ipso enim D. Aug. serm.

349. de charit., *charitas alia est Divina, alia humana. Alia humana licita, alia illicita. . . Licita est humana charitas, qua uxor diligitur: illicita, qua meretrix, vel uxor aliena.* Hinc damnata in Bajo fuit prop., quae ajebat num. 38. *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.*

2.º neg. etiam cons., quod nempe Dei amor, sine quo homo condi non poterat, sit illa Dei dilectio, de qua ait Apostolus, quae per Spiritum Sanctum diffunditur; amor enim pertinens ad naturalem rationalis creaturae integritatem, ideoque juxta illius exigentiam, eique debitus, quid, nisi amor naturalis? Quid, nisi amor ejusdem rationis, cujus est corporis sustentatio, et alia id genus, quae necessaria sunt ad naturae conservationem, et operationem? Haec autem non alia de causa naturalia dicuntur, nisi quia debentur quodammodo naturae semel creatae, ne illa manca sit, et imperfecta: Ejusmodi et ergo Dei amor, sine quo rationalis creatura condi non poterat, ideoque naturalis, nec aliud, ut cum D. Thoma diximus *l. 4. tract. 2. cap. 4. prop. 1.*, quam *quaedam naturalis inclinatio naturae a Deo indita.* Ita nempe S. Doctor *1. p. qu. 60. art. 1. ad 3.*, nec non *quodlib. 1. art. 8.*

Ad id vero, quod additum est, resp. dist. maj.; Pelagii nempe errorem fuisse, quod solis naturae viribus haberi posset Dei Amor supernaturalis, utque oportet, et requiritur ad salutem, non vero quilibet Dei Amor, utque supra, ac cit. l. explicavimus. Qua super re praetermittendum non est, inter alias propositiones a laudatis Summis Pontificibus in Bajo proscriptas has quoque fuisse: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut Auctor Naturae, et gratuiti, quo Deus amatur, ut Beatificator, vana est, et commentia, et ad illudendum Sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata.* Ita se habet prop. 34. Et 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia, per elationem praesumptionis humanae cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.* Sed et de utroque opportunius, ac fusius suo loco.

Objic. 3.º, quod licet Deus debeat, ut ait Trid.

sess. 6. can. 32., bonis justorum operibus augumentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae consecutionem, ac gloriae augumentum, non ideo haec omnia, quae justus bonis operibus meretur, veri nominis gratiae rationem non habent. Nihili ergo saltem argumentum ex eo ductum, quod sit de ratione gratiae cujusvis generis debitum excludere.

Resp. dist. cons.; non esse scilicet de ratione gratiae, quod excludat debitum unice, et adaequate profluens ex libera, et gratuita ordinatione illam conferentis, nihil enim obstat, ut disserit D. Anselmus *l. 2. Cur Deus homo c. 5.*, quin gratia sit donum prorsus gratuitum, quod destinata, ac promissa fuerit sub quadam conditione, atque hac posita, sit deinde debita ex fidelitate. At non item, si non excluderet debitum profluens ex naturae exigentia; si enim, ut supra disseruimus, debitum personae ex operibus procedens gratiae rationem destruit, teste Ap. ad Rom. 5., quod *si gratia, jam non operibus, alioquin gratia, jam non est gratia*, quanto magis ejus rationem destruit debitum naturae, quod majus est, ac strictius?

Prop. III. Subjectionem in primaevo homine carnis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, nec non caetera, quae justitia originalis complectebatur, dona, aeque etiam fuisse supernaturalia, ac citra omnem naturae humanae exigentiam, habendum procul dubio est. Ita quoque communiter.

Prob. 1.° ex parabola apud Lucam c. 9. de eo, qui incidit in latrones, qui primum despoliaverunt eum, ac deinde, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto; ejusmodi enim parabolam et D. Ambr., et D. Basil., et Ven. Beda apud D. Thomam in comment. hujus loci, nec non D. Aug. *l. 2. quaestionum Evangelic. quaest.* 19., et D. Bernardus *serm. 1. de Annunc.* explicant de virtutum, ac donorum jactura, quam primus homo fecit per peccatum. Quorsum autem Christus dona illa, ac virtutes vestibus comparavit, nisi ut intelligamus, quod sicut vestes sunt quid superadditum, et extrinsecus adveniens, ita idem fuerint dona illa, ac virtutes, quibus homo in sua origine fulsit? Quorsum item hominem illum prius spoliatum dixit, deinde vulneratum, cum tamen contra accidere soleat in veris latrociniis, nisi insuper ut intelligamus, plagas omnes, et vulnera

Naturae humanae consecutas potissimum esse ex despoliatione, seu amissione justitiae originalis? Ita igitur: ex quo sequitur, subjectionem illam carnis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, nec non caetera, quae justitia originalis complectebatur, dona, non quidem naturalia, sed supernaturalia, ac citra omnem naturae exigentiam fuisse.

2.° ex Summis Pontificibus Pio V., Greg. XIII., et Urbano VIII., qui illam in Bajo proscripserunt prop. *Integritas primae conditionis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Et indebitam ergo, et quid supernaturale eam fuisse, est dicendum. Quod et colligitur ex prop. in eodem proscripta, quae ajebat: *Non potuisset Deus ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.* Si autem concupiscentia carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, sin quoad excessum, et immoderantiam motuum, utique tamen quantum ad speciem non esset quid consequens hominis naturam sibi relictam, nec potuisset, nisi ex peccato oriri, profecto sicut Deus esse nequit peccati Auctor, ita non potuisset ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur: Dicendam ergo esse quantum ad speciem quid consequens hominis naturam sibi relictam; ejusque oppositum, idest subjectionem carnis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, donum supernaturale primaevi status fuisse, consequens est.

3.° ex D. Thoma, juxta quem corruptio humanae naturae illata per peccatum, non ex carentia alicujus doni naturalis, neque ex accessu alicujus pravae qualitatis, sed potissimum ex amissione doni supernaturalis, idest justitiae originalis petenda est. Ita nempe S. Doctor 1. p. qu. 95. art. 1. *Manifestum est* ( inquiens ), *quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; alioqui post peccatum mansisset, cum etiam in Daemonibus data naturalia post peccatum permanserint.* Et infra: *Si, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, profecto per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Et in qu. 4. de malo art. 1. *Est autem* ( inquit ) *considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerat Divinitus quoddam supernaturale donum, scilicet originalis justitia, per quam ratio subdebatur Deo; et inferiores vires ra-*

*tioni, et corpus animae.* Ac demum in 2. Sent. dist. 31. qu. 1. art. 1. *Deus* ( ait ) *humanae naturae in sui principio supra conditionem suorum principiorum contulerat, ut esset in ratione rectitudo quaedam originalis justitiae, quam sine aliqua resistentia imprimere posset inferioribus viribus. Quia hoc gratis collatum fuerat, ideo juste per ingratitudinem inobedientiae subtractum est. Unde factum est, ut, primo homine peccante, natura humana, quae in ipso erat, sibi ipsi relinqueretur, ut consisteret secundum conditionem suorum principiorum.*

4.° demum cum homo ex carne, et spiritu coalescat, et caro, ac spiritus pugnantes non raro inter se inclinationes habeant, cum sit de ratione carnis ferri in bonum sensibile, de ratione vero spiritus ferri in bonum spiritale, ac impossibile sit, ut inter tot objecta, quae sensus delectant, non occurrant saepenumero, quae rationalem naturam dedecent: quidnam inde consequens, quam quod naturaliter caro pugnare non raro debeat adversus spiritum; cumque carnis appetitus sit necessarium suorum actuum principium, in quos, nisi a superiori causa refraenetur, omni, quo valet, conatu erumpit, spiritus quoque pugnare non raro debeat adversus carnem? Quod cum ita sit, defectum hujus pugnae inter carnem, et spiritum in homine innocente supernaturalem fuisse, et ex dono supernaturali, est dicendum; Ita igitur.

Diximus, plagas omnes, et vulnera Naturae humanae consecutas *potissimum* esse ex amissione justitiae originalis; nec non concupiscentiam, quoad speciem quidem esse quid consequens Naturam humanam sibi relictam, non tamen quoad excessum, et immoderantiam motuum. Non enim nobis arridet Bellarmini opinatio, qui l. de gr. primi hom. c. 5., *non magis* ( inquit ) *differt status hominis post lapsum Adae a statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus a nudo; neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia, et infirmitate laborat, quam esset, et laboraret in puris naturalibus condita.* Neque hoc, ut pergit c. 6., pugnat cum eo, quod passim DD. inquiunt, naturam nostram per Adae peccatum vulneratam, et corruptam esse: *nam eadem nostra, et Daemonum natura, si referatur ad eum statum, in quo esse potuisset, si in puris naturalibus creata fuisset, integra dici debet. Si vero statum illum respiciamus, ad*

*quem benignitate Conditoris fuerat evecta, vulnerata, et corrupta dicenda est. Exemplum hujus rei habemus in Sampsone, qui post crines resectos cum insignem illam fortitudinem Divinitus acceptam amisisset, infirmus factus dicitur, non quod esset jam infirmior, quam homines ut plurimum esse soleant, sed quod esset infirmior, quam ipse antea fuisset.*

Quod tamen in statu naturae lapsae deterior homo sit, ac longe miserior, quam fuisset in statu purorum naturalium, patet 1.° cuivis consideranti Apostoli verba ad Rom. 7. *Scimus, quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum venundatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. . . nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: scio enim, quia non habitat in me, h. e: in carne mea bonum: nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio: non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago: si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, . . Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quibus verbis Apostolus nomine totius generis humani statum deflet, in quem omnes per peccatum cecidimus. Quisnam autem sibi suadere poterit, quod ejusmodi etiam homo fuisset in statu purorum naturalium?

2.° ex verbis Trid. sess. 5. can. 1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei; atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, h. e.* Diaboli, *totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus, et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* Postrema autem haec verba quidnam animis ingerunt, quam quod status ipse purorum naturalium fuit in homine per peccatum labefactatus? Cum enim in prioribus verbis dixe-

rit Concilium, hominem per peccatum amisisse sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, idest originalem, et incurrisse Dei indignationem, ideoque mortem, cumque hac captivitatem sub Daemonis potestate, nonne frustra addidisset, *totumque Adam secundum corpus, et animam in deterius commutatum fuisse*, si status purorum naturalium omnino integer in eo mansisset post peccatum?

3.° ex verbis D. Th. I. 2. qu. 109. art. 4., ubi: *In statu* ( inquit ) *naturae corruptae etiam deficit homo ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia.* Nonne autem posset, si ejus naturalia illaesa prorsus mansissent, nec in deterius commutata, et infirmata circa bonum?

4.° ex eo quod cum homo in statu purorum naturalium non habuisset Naturam peccato inquinatam, nec fuisset per peccatum, quemadmodum ab Ap. dicitur ad Eph. 2., *natura filius irae*, idest Deo infensus, favorabilior profecto illi fuisset Dei providentia, ut per auxilia ordinis naturalis tum a malo declinare, tum bonum prosequi et physice, et moraliter potuisset. Et sane ipse Bellarminus fatetur l. 2. de gr., et lib. arb. c. 4., quod *cum per peccatum primi hominis nascamur omnes filii irae, nihil nobis jure debetur, nisi poena.* Hoc autem plane non fuisset in statu purorum naturalium, in quo idcirco favorabilior homini fuisset Dei Providentia, ut custodiretur a malo, et ad bonum incitaretur.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Per peccatum originale totum hominem secundum corpus, et secundum animam in deterius esse mutatum, declaravit Trid. *sess.* 5. . Id autem esset falsum, si post peccatum in nobis caeterum mansisset quidquid ad naturalem perfectionem spectat: Si ergo, amissa per peccatum justitia originali, non amplius in nobis superest quidquid ad naturalem perfectionem spectat, ad hanc profecto ipsam justitiam originalem spectasse, eamque idcirco naturalem homini fuisse, ejusque naturalis perfectionis partem, manifeste sequitur.

Resp. neg. sequ. min., et cons.; cum enim per peccatum amiserit Natura humana quidquid gratis acceperat, ac sibi

relicta per subtractionem supernaturalium donorum, quae originalis justitia complectebatur, in rebellionem membrorum, ignorantiam, utque infra dicturi sumus, in mortalitatem corporis, aliaque id genus inciderit: et ex allatis supra rationibus sit quoque deterior, ac longe miserior, quam fuisset in statu purorum naturalium; verum ad litterae rigorem est, quod licet ejusmodi malis fuissemus etiam obnoxii in puris naturalibus conditi, quia tamen modo et illis sumus obnoxii in peccati poenam, et sumus illis longe magis obnoxii, utique per illud et quoad corpus, et quoad animam in deterius mutati sumus.

Objic. 2.° Est de ratione poenae, quod non sit quid naturale, idest naturae defectus; habetne enim rationem poenae, quod homo adhuc infans loqui, ac ambulare nequeat, quod adultus nequeat per aerem ferri, aliaque id genus? Est autem carnis inobedientia, ut nos ipsi inquimus, utque non semel D. Aug. docet, peccati poena, idest homini in peccati poenam retributa: Non ergo quid naturale, seu defectus naturae: cujus proinde integritas in prima sui conditione, quin praefatam carnis inobedientiam, vel aliud ejusmodi inordinatum experiretur, non donum aliquod supernaturale, sed naturalis ejus conditio est dicenda.

Resp. dist. maj.; quod nempe est de ratione poenae, ut non sit quid naturale, idest naturae defectus, si ejusmodi defectus per donum aliquod supernaturale sublatus non fuerit; at non item, si vi alicujus doni supernaturalis expers fuerit natura ejusmodi defectus: nemo enim non cognoscit, utique habere rationem poenae privationem doni, quo homo, antequam delinqueret, gaudebat, eoque post delictum, ejusque causa privetur. Id porro homini contigisse post peccatum, et peccati causa, indeque in eo originem habuisse concupiscentiam, et quidquid inordinatum illi inest, docet D. Augustinus; tum quia quoad excessum, et immoderantiam motuum nonnisi peccati causa illi inest, tum quia etiam quantum ad speciem illi non inest, nisi ex amissione per peccatum originalis justitiae, ut patet ex ipsius verbis l. 11. de Gen. ad litt. c. 31. *Mox ut praeceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati, in sua membra oculos injecerunt.* Et l. 4. in Julianum c. 13. *Non in fructu ligni fuit libido, et ideo bonum erat lignum, sed mala est inobedientia libidinis, quae adversus hominis inobe-*

*dientiam*, *quam in ligno admisit*, *Deo deserente*, *surrexit*. Hinc quoque D. Th. 1. 2. qu. 82. art. 1. ad 3., *Ex peccato* ( inquit ) *originali sequitur aliqua inclinatio in actum inordinatum*, *non directe*, *sed indirecte*, *scilicet per remotionem prohibentis*, *idest originalis justitiae*, *quae prohibebat inordinatos motus*. Quod si ibidem *art.* 3. *ad* 1. docet, concupiscere esse homini naturale in quantum est secundum ordinem rationis; inesse autem homini contra naturam, in quantum transcendit limites rationis: non significat his verbis, non fuisse prorsus futuram in homine condito in puris naturalibus concupiscentiam transcendentem limites rationis, contrarium quippe docuerat *l. cit.*, inquiens, inordinatos motus consecutos esse ex peccato originali *per remotionem prohibentis*, *idest originalis justitiae*, *quae prohibebat inordinatos motus*; sed significat, istam concupiscentiam non fuisse futuram, ut bonum aliquod naturale, sed ut languorem, et vitium naturae; nec ex intentione Conditoris, sed ex conditione materiae; cujusmodi est vitium in gladio ferreo subjectum esse rubigini, omne enim vitium contra naturam dici potest, quippe quod omne contra ejus perfectionem est.

Objic. 3.° Auctorem Deum esse posse alicujus rei, quae vel peccatum sit, vel ad peccatum inclinet, catholicae aures non patiuntur audire. Ejusmodi autem est concupiscentia; et peccatum nempe, quemadmodum ab Ap. vocatur *ad Rom.* 7.. et ad peccatum inclinans, quemadmodum declaravit Trid. *sess.* 5. *can.* 5.: Non ergo Deus ejus Auctor esse potuit; quae idcirco non desertionis Dei, et negative tantum peccati effectus, sed positive peccati effectus dicenda est, citra quod naturaliter homo fuisset ab ea immunis, ejusque ab illa immunitas naturalis fuisset ejus conditio.

Resp. dist. maj.; Deum nempe Auctorem esse non posse alicujus rei, quae vel peccatum sit, vel per se inclinet ad peccatum; non autem rei, quae nec peccatum sit, nec per se, et suapte natura, sed per accidens tantum ad peccatum inclinet. Ejusmodi autem est concupiscentia in homine; nec peccatum nempe, quemadmodum Ecclesia Catholica, ut ait Trid. l. cit., semper credidit, intelligendo relatum Apostoli locum, quod ipsa est peccatum, quatenus ex peccato est, et ad illud inclinat; nec per se, et ex natura sua ad illud inclinat, sed per

accidens, et quatenus propensio illa ad bonum sensibile rectae rationis ordini aliquando repugnat, ac voluntatem ad illius boni sensibilis fruitionem contra rationis ordinem pellicit. Fusius tamen de hoc argumento inferius.

Objic. 4.° Ipsa naturalia fuisse in primo homine saniora, quam in nobis sint, non uno in loco docere videtur Augustinus. Quod cum ita sit, ipsam naturam fuisse per amissionem originalis justitiae labefactatam, sequitur, ideoque justitiam originalem ad ejus naturalem integritatem, et perfectionem spectasse: Ita igitur.

Resp. neg. secundam sequ. min., saniora enim in primo homine ipsa naturalia fuisse, quam in nobis sint, scripsit S. Doctor, 1.° quia in statu innocentiae habebat homo naturam per supernaturale donum justitiae originalis sanam ab iis defectibus, qui ex materiae conditione consecuti essent; dum nos e contrario per amissionem justitiae originalis habemus naturam dono illo privatam; ac per hoc illis naturalibus defectibus obnoxiam, atque subjectam. 2.° quia cum homo in primaeva sui conditione liber esset ob justitiam originalem ab inordinatis concupiscentiae motibus, ideoque sola intellectus gratia in illo statu egeret ex infra dicendis ad bene agendum, et perseverandum; nunc vero, praeter gratiam intellectus, egeat quoque ad id gratia, quae ipsam voluntatem praeveniat, comitetur, et usque in finem adjuvet; nemo non videt, quod ipsa tunc naturalia saniora erant, quam sint in statu naturae lapsae, quia nempe hominis voluntas cum sola intellectus illustratione ad bene vivendum, et perseverandum primitus sibi sufficiebat, deinde vero cum sola intellectus illustratione non amplius ad id sibi sufficit. 3.° quia, ut diximus, in praesenti statu deterior, ac miserior homo est, quam fuisset in statu purorum naturalium. Hinc et *l. 2 tract. 11. cap. 2. pag.* 168. reprehendimus in Molina, quod *peccatum primi parentis solum in gratuitis nobis nocuit, et ob id naturalia in nobis, et in Angelis integra remanserunt*; falsum namque esse, patet 1.° ex allatis supra rationibus; itemque ex eo, quod nocendo in gratuitis, nocuit quoque in naturalibus: cum enim ex dictis initio hujus tract. pag. 11. status naturae integrae addat super statum naturae purae auxilium quoddam sive naturale, sive supernaturale, quo homo immunis factus esset a deordinatis appetitus motibus, vel impedire potuisset, ne ejusmodi motus contra rationem insurge-

rent; ac in statu quidem naturae innocentis adfuerit istiusmodi auxilium, defuerit vero, postquam homo per peccatum innocentiae statum amisit; post peccatum proinde pura quidem remanserunt in homine naturalia, at non item integra remanserunt.

Prop. IV. Corporis immortalitas, quam homo habuisset in statu innocentiae permanens, ipsi quoque indebita, ac supernaturalis fuisset, non vero debita, ac naturalis. Ita etiam communiter.

Prob. quoque 1.° ex Scripturis; nonne enim id Deus ipse aperte Adae innuit, illi post peccatum inquiens Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris?* Idem autem dictu id fuit, quodque in peccati poenam fuisset corpus sibi relictum; utque idcirco ex pulvere sumptum fuerat, ita demum in pulverem reversum esset. Quasi nempe dixisset: Cum te ob meram benignitatem ita condiderim, ut neque mortem, neque ullum malum formidare posses, natura tamen tua pulvis eras, et in pulverem quondam resolvendus. Cumque donum, quo te ab hoc malo immunem reddideram, per peccatum amiseris, in statum tuum naturalem recidisti, juxta quem pulvis es, et in pulverem reverteris. Ad quod proinde alludens Auctor Ecclesiastis c. 40., *Omnia* (inquit), *quae de terra sunt, in terram convertuntur.*

2.° ex Constitutionibus Pii V., Greg. XIII., et Urbani VIII., quibus confixa fuit Baji propositio inquiens: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis ejus conditio.*

3.° ex D. Aug., cujus verba videri possunt *prop.* 1. *part.* 3. *pag.* 18, et 19.

4.° demum ratione; si enim corporis immortalitas fuisset homini in prima sui conditione quid naturale, ab ea plane per peccatum non excidisset; quemadmodum Angeli, quia suapte natura immortales, anne ab ea per peccatum excidere? Per hoc autem homo ab ea excidit; Non igitur naturalis, sed per donum supernaturale illi collata.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° D. Aug. l. 23. De Civ. Dei c. 15., ubi haec habet S. Doctor : *Constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem ; etiam ipsam nobis corporis mortem ; non lege naturae , sed merito inflictam esse peccati.* Idem autem id dictu est , quodque lege naturae, ideoque naturaliter non erat homo innocens morti obnoxius : Ita igitur.

Resp. neg. min. ; non enim alius est D. Augustini sensus l. cit. , quam quod cum Deus hominem fecerit supernaturali dono immortalem , mors idcirco , quae in praesenti statu e vita nos tollit, non lege naturae , propterea nempe quod nascimur , sed merito inflicta est peccati , citra quod nati essemus , quin illi essemus obnoxii.

Objic. 2. Conc. II. Arausicanum can. 2. , ubi Patres injustitiam Deo dare , dixerunt , qui asserunt , homines morituros fuisse , quamvis non peccassent. Porro si mors esset homini naturalis , absque ulla Dei injustitia morerentur , quamvis non peccassent , quemadmodum nempe absque ulla Dei injustitia reliqua moriuntur animantia : Non ergo mors homini naturalis ; quem proinde , si in statu innocentiae mansisset , suapte natura numquam mortem subiturum , est dicendum.

Resp. neg. sequ. min. ; quamvis enim ex natura ipsius sequatur , quod sit morti obnoxius , quia tamen supernaturali Dei dono ablata ab eo fuerat moriendi necessitas , et in peccati poenam mutata ; consequenter ad hanc Dei benignitatem , et gratuitam ordinationem fieri non poterat , quin Deus injustus , et infidelis esset , ut homo sine ullo culpae merito moreretur , quippe quod poena justa infligi non potest , nisi ob culpam.

Objic. 3.° naturale profecto esse , quod ab ipsa exigitur natura. Ab ipsa autem natura Animae humanae exigitur , ut corpus , cui unitur , sit immortale ; cum enim ad hoc condita fuerit , ut sit illius forma , esset proinde in statu violento , si per totam aeternitatem ab ipso avulsa consisteret : Immortalitas ergo primo homini collata ipsius naturalis conditio fuit , non Conditoris beneficium.

Resp. neg. min. ; quod nempe anima humana a corpore avulsa sit absque eo in statu violento , tum quia

eo ipso, quod immortalitatem corporis, cujus fuit forma, naturaliter consequi non potest, neque etiam eam naturaliter expetit, nemo enim naturaliter expetit, quod naturaliter nequit consequi, ut per aerem ferri, etc.; tum quia etiam corpore soluta, gaudet nihilominus, quemadmodum *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 4. *prop.* 2. *pag.* 127. ostendimus, potentia omnino completa, et expedita suas operationes exercendi, easque etiam perfectius exercendi, quam manens in corpore exerceat.

Prop. V. Nedum gratia habituali, sed et actuali primus homo indiguit ad bene agendum, et perseverandum: Ita communiter. Sed actualis, qua ad utrumque indiguit, nec physice praedeterminans, nec suapte natura efficax fuit, sed cujus efficacia futura esset in actu secundo ab ipso voluntatis consensu: differebatque a gratia praesentis status, quia non jam ejus voluntatem adjuvans, sed ejus intellectum tantum illustrans; solo excepto quoad hoc postremum primo amoris actu, quo eodem instanti, quo conditus fuit, Deo adhaesit. Ita nobis verisimilius.

Prob. 1. pars disertissimis Aug. verbis l. de corrept., et gr. c. 11., quod si Dei *adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio Divino posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Per adjutorium autem ejusmodi aliquod intelligendum esse actuale auxilium habituali gratiae superadditum, nemo est, qui non videat: Patet ergo propositum. Quod et aliis momentis, loquendo de Angelis, ostendimus *l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. *prop.* 2. *pag.* 65., quae cum idem probent de primo homine, ibi idcirco, ne actum agamus, consulantur.

Prob. 2. pars; quod enim gratia, qua primus homo indiguit ad bene agendum, et perseverandum, nec physice praedeterminans, nec suapte natura efficax fuerit, patet ex momentis allatis *l.* 2. *tract* 11. *prop.* 1. *pag.* 180., *et sequ.*, nec non *prop.* 2. *pag.* 185., *et sequ.*, quibus ostendimus, quod, ut nobis videtur, nec gratia physice praedeterminans, nec gratia suapte natura efficax convenit cum libero hominis arbitrio sub ipsamet gratia; et quae item, ne actum agamus, cit. in locis consulantur. Quod vero ejus efficacia futura esset in actu secundo ab ipso voluntatis consensu, probatur 1.° allatis ibidem momentis

*prop.* 6. *pag.* 211., *et sequ.*, quibus ostendimus, quod gratiae efficacia proxime, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu dicenda est. 2.° ex doctrina D. Augustini l. de Corrept. et gr. c. 11., quod primum hominem *Deus esse non voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio*; quodque illi, ut addit c. 12., datum a Deo fuit *adjutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*. Per gratiam autem, quam Deus reliquit in libero hominis arbitrio, sicut per adjutorium, non quo homo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset; nemo non intelligit gratiam, et adjutorium hujusmodi, cujus efficacia in actu secundo tota esset ab ipsius voluntatis consensu: Patet ergo propositum.

Prob. 3. pars; quod nempe gratia, qua primus homo indiguit ad bene agendum, et perseverandum, non fuit gratia ejus voluntatem adjuvans, sed ejus intellectum tantum illustrans; ut et scripsimus *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 5. *prop.* 2. *pag.* 154. Id vero laudati S. Doctoris auctoritate conficimus, juxta quem, ut scribit Petavius in ejus, aliorumque Patrum scriptis versatissimus Theol. Dogm. De Deo l. 10. c. 18., *prior Adami, et Angelorum gratia intelligentiae tantummodo praelucens, et quid facto esset opus, edocens, nihil in voluntatem derivabat, quod minime tunc erat necesse. Satis enim, ut inquit S. D. l. de correpl. et grat. c. 12., magnas vires habebat hominis voluntas, quae sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantae bonitati, et bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium*. Placuit viri doctissimi verba loco etiam citato allata hic repetere, ut tanti viri auctoritate quisque sibi persuadeat, hanc, et non aliam fuisse Augustini doctrinam. Quod ut pateat etiam directe, ita S. D. docet l. de corrept., et gr. c. 11., adjutorium, inquiens, primo homini collatum tale fuisse, *quod desereret, cum vellet, et in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet*; quodque tale illi Deus dedit adjutorium, *sine quo non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio*. Dixerat quoque c. 10., *sic Deum ordinasse Angelorum, et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, de-*

*inde quid posset suae gratiae beneficium.* Ac l. de dono persev. c. 17. n. 13. loquens de gratia, qua perseveratur, *non est hoc* ( inquit ) *omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt Fuerat in homine, antequam caderet.* Quod et l. de Nat. et gr. c. 43. confirmans, *verum est* ( inquit ) *quod ait* Pelagius, *quod Deus tam bonus, quam justus talem hominem fecerit, quo peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum, et inculpabilem factum, et libero arbitrio, atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt.* . Quo in loco c. 48. conceptis quoque verbis scribit, quod gratia primo homini collata, fuit, *tamquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant*; quam proinde nullibi etiam appellat nomine delectationis, voluptatis, praeviae suavitatis, aut motionis, et excitationis victricis, quemadmodum gratiam praesentis status passim nuncupat. Quid porro clarius ex allatis, simulque congestis Augustini testimoniis, quam quod juxta eum gratia, qua primus homo indiguit ad bene agendum, et perseverandum, nequaquam fuit gratia in voluntatem influens, sed ejus intellectum tantum illustrans?

Idem confirmatur ex cit. l. de correpl., et gr. c. 21., ubi, *Adamus* ( inquit ) *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant justi, cum dicunt: Video aliam legem etc. Quoniam in his caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa de seipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* Adjutorium autem, quemadmodum *l. cit.* disseruimus, quod propterea Adae posteri implorant, est adjutorium, ut ibidem docet S Doctor, quo homo velit: Non igitur Adam opus juxta Augustinum habuit id genus adjutorio; quod proinde ejus intellectum tantum illustrans fuisse, consequens est. Praeterquamquod si homini habituali gratia instructo, et Divina luce irradiato ideo necessaria est in praesenti statu gratia voluntatis juxta allata Augustini verba, quia e contrario pulsans concupiscentia a boni prosecutione illum removet; quis non videt, quod cum nihil ejusmodi experiretur homo innocens, nulla ei inerat necessitas,

ut ad bonum prosequendum gratia voluntatis adjuvaretur ?

Cum demum Pelagius doceret, *ipsam non peccandi possibilitatem, non tam in arbitrii potestate, quam in naturae necessitate esse*, respondet S. D. l. de Nat., et gr. c. 51. n. 59. *Si iste, qui hunc librum scripsit, de illa hominis Natura loqueretur, quae primo inculpata, et sana condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum.* Absolvebatur autem juxta Pelagium possibilitas non peccandi per solam gratiam intellectus; sive ut homo posset juxta eum non peccare, satis ab eo dicebatur sola intellectus per Spiritum Sanctum illustratio, quin ulla voluntatis gratia esset necessaria. Et sola igitur intellectus per Spiritum Sanctum illustratio, quin ulla necessaria esset voluntatis gratia, satis ad idem erat juxta Aug. in statu Naturae inculpatae, et sanae; in quo idcirco statu hominem non indiguisse ad bene agendum, et perseverandum, nisi sola id genus gratia, magis, magisque perspicuum est. Ait vero S. D. *utcumque*; nam 1.°, praeter mentis illustrationem, necesse fuit primo homini ad bene agendum, et perseverandum gratia habitualis, quam negabat Pelagius collatam primo homini fuisse. 2.°, quia dum nos interioris ejusmodi illustrationis gratiam plane gratuitam asserimus, Pelagius e contrario contendebat, propter naturae merita illam concedi.

His perpensis, procul dubio videtur, ita ex D. Aug. sentiendum. Quare incertus Auctor Hypognosticon; idest *subnotationum*, qui inter annum 418., et 420. sex editis libris studuit in unum contrahere Augustinianas contra Pelagium elucubrationes, *neminem* ( inquit l. 3. circa princip. ) *posse per se, idest per liberum arbitrium implere quod velit, recte dicimus. nisi protoplastum solum, cum voluntas liberi arbitrii fuisset sana ei ante culpam.* Qui cum non aliam secutus fuerit, quam D. Aug. doctrinam, magis, magisque confirmatur, quam recte scripserit Honoratus Tournely in Praelect. Theol. t. 1. qu. 16. art. 5., *in hoc maxime stare ex S. Aug. discrimen gratiae utriusque status, quod in statu innocentiae opus non erat gratia, quae voluntatem praeveniret, et afficeret, cum sana foret, nullisque motibus inordinatis agitata, unde ipsi sufficiebat gratia intellectus, seu illustrationis; non ita vero in praesenti naturae lapsae, et corruptae conditione, ob infirmitatem*

*scilicet voluntatis ex primo peccato derivatum. Unde non semel ait S. Doctor, sententiam Pelagii circa necessitatem gratiae interioris, quae mentem illustraret, veram fore, si agerctur de statu innocentis naturae; falsam vero esse in praesenti statu, in quo necessaria est, praeter illustrationem mentis, gratia voluntatis, seu quae voluntatem praeveniat, moveat, sanet, ac liberet.*

Prob. 4. pars, excipiendum nempe esse ex eo, quod postremo loco demonstratum fuit, primum illum amoris actum, quo Adam eodem instanti, quo conditus fuit, Deo adhaesit. Ita prae aliis Bellarm. Loquens namque D. Aug. l. 12. De Civ. Dei c. 9. de bona illa voluntate, qua Angeli eodem, quo conditi fuerunt, instanti Deo adhaeserunt, *non est dubium* ( inquit ) *quin ab eo facta sit, a quo et ipsi facti sunt. . . Profecto et bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent.* Et paullo infra: *Et istam bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit? Confitendum igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis dici posse, quod charitas Dei diffusa est in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.* Idem vero, quod de Angelis docuerat, dicendum quoque esse de primo homine, scribit tum *l.* 14. *de Civ. Dei c.* 11., tum *l. de corrept.*, *et gr. c.* 11.. Quoties autem S. Doctor de gratia voluntatis loquitur, eam non exprimit, nisi ajendo, Deum in nobis facere bonam voluntatem, nec nisi, operante Dei adjutorio, eam nos habere posse; sicut etiam charitatem actualem, seu amorem castum, quo Deo adhaeremus, diffundi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: Cum ergo de actu, quo Angeli. et primus homo eodem, quo conditi fuerunt, instanti Deo adhaesere, dicat, Deum in illis fecisse bonam voluntatem, qua ipsi adhaeserunt, nec, nisi operante Dei adjutorio, eam habere potuisse, ideoque de iis etiam dici posse, quod charitas Dei diffusa est in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis, perspicuum ex Aug. est, ad illum primum amoris actum quo Deo adhaeserunt, ipsam voluntatis gratiam et collatam, et necessariam illis fuisse; ita ut quemadmodum in praesenti statu, dum homo justificatur per contritionem perfectam, eodem temporis instanti et actus contritionis,

illi inspiratur, et gratia sanctificans infunditur, ita Angeli, et primus homo in eo temporis instanti, quo a Deo acceperunt simul cum natura gratiam actualem ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, et charitatis, in eodem quoque et eos elicuerunt, et sanctificantem gratiam simul consecuti sunt.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cont. 1.m part., quod Aug. docet de Angelis l. de correpr. et gr. c. 10., quodque dicendum aeque esse de primo homine, patet ex cit. supra locis: *Angeli, quorum Princeps Diabolus, per liberum arbitrium a Deo refugae facti sunt, caeteri autem per idem liberum arbitrium in veritate steterunt.* Quod et de primo homine expresse ibidem dixerat c. 7. *Qui non infertur* ( inquiens ) *in tentationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt. Fuerat in homine, antequam caderet.* Nonne autem idem dictu, quod libero eorum arbitrio commissum fuit in bono manere, quodque nec ullum ad id habuerunt actualis gratiae auxilium, nec ejusmodi auxilio ullatenus ad id eguerint? Ita igitur.

Resp. neg. min.; cum enim eodem l. de corrept., et gr. apertissime tradat S. Doctor loco inter probationes laudato, quod et Angelo, et homini collatum, et necessarium fuit Dei adjutorium, ut in bono manerent, nec secus sua culpa cecidissent: dicendum profecto, ne Augustinum Augustino opponamus, non aliud objectis in locis ipsum intelligere per liberum arbitrium, nisi voluntatem gratia tum habituali, tum caeteris supernaturalibus donis, atque auxiliis in ipsa sui conditione instructam; ac eo, modo, quo ab Apostolo dicimur *natura filii irae*, non quia tales naturaliter sumus; sed quia tales nascimur, naturae etiam ipsum tribuere, quod Angeli, et primus homo manere in bono possent, non quia id possent naturae viribus, sed quia gratia, qua id valebant, a primo eorum creationis exordio praediti fuere: unde et ait ep 107. *Naturam ipsam* ( idest dona supernaturalia in creatione accepta ) *perdidit in semetipso primus Adam*; quia nempe, ut scribit l. 1. Retract. c. 15., *proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus*, idest naturaliter, et a natura dicimur habere, quod na-

secendo accepimus, atque a nativitate habemus. Accedit, libero Angelorum, et primi hominis arbitrio commissum dixisse, ut in bono manerent, quia sola intellectus gratia, ut ex eo ostendimus, ad id eguere, eaque sola illis collata fuit, non item voluntatis gratia, quae nempe vires libero arbitrio addiderit.

Objic. 2.° cont. 3. part., quod idem S. Doctor loquens *l.* 12. *De Civ. Dei c.* 9. de bona voluntate, qua Sancti Angeli in veritate steterunt, inquit, et quod ejusmodi voluntatem Deus in illis fecit, et quod *amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Quod si inquit, Deum in iis fecisse illam bonam voluntatem, itemque adjutorium, quo Sancti Angeli adjuti ad beatitudinem pervenerunt, bonam voluntatem appellat, quidnam ex eo clarius, quam quod ejusmodi adjutorium tale fuit, ut in ipsam voluntatem influeret, eique vires ad perseverandum ampliores praeberet? Praeter gratiam intellectus igitur gratiam quoque voluntatis illis, ideoque et primo homini collatam, et necessariam fuisse ad perseverandum, dicendum est.

Resp neg. sequ. min.; cum enim et dicat, ejusmodi fuisse illud adjutorium, quod *desererent, cum vellent, et in quo permanerent, si vellent, non quo fieret, ut vellent*; item ejusmodi, *sine quo non possent permanere, si vellent; ut autem vellent, in eorum esset arbitrio; ut sic Deus prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium*; quodque perseverare in bono *non est omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt*, sed *fuerat in homine, antequam caderet*; aliaque id genus: profecto dicendum, quod si illud bonam voluntatem appellat, et hanc in illis Deum, inquit, fecisse, hoc sensu ambo ait, quia solis naturae viribus nec Angeli, nec primus homo satis sibi fuerunt ad perseverandum, sed praeter gratiam habitualem, in qua conditi fuerunt, actualis etiam gratia intellectus illis et collata, et necessaria fuit.

Objic. 3.° quod idem S. D. scribit tum l. cit. de Civ. Dei, tum concione in Ps. 70., ubi bonam voluntatem, in qua Angeli, et primus homo conditi fuere, Sanctorumque Angelorum perseverantiam docet fuisse specialia Dei dona. Quorsum autem dona Dei specialia, si per intellectus tantum illustrationem absque ulla volun-

tatis gratia, quae illis vires praebuerit ad perseverandum, et Adam perseveraturus esset, si voluisset, et Sancti Angeli reapse perseverassent? Non ergo ad perseverandum sufficientes per solam intellectus illustrationem, sed per gratiam quoque voluntatis, quae ipsam scilicet voluntatem adjuvaret.

Resp. dist. maj.; quod nempe bonam voluntatem, in qua Angeli, et primus homo conditi fuere, Sanctorumque Angelorum perseverantiam vocat specialia Dei dona, quia et gratia, in qua conditi fuerunt, et gratia intellectus ipsis collata ad perseverandum fuit omnino gratuita, et indebita; non vero, quia praeter gratiam intellectus, collata ipsis esset, vel necessaria fuisset ad perseverandum, quemadmodum in praesenti statu, gratia item voluntatis. Nec id gratis asserimus, sed patet tum ex *l. de corrept.*, *et gr. c.* 11. *n.* 32., tum *ex Enchir. c.* 106., ubi S. D. inquit de perseverantia primi hominis, si in bono stetisset, quod futura esset merces meriti, quemadmodum fuit in Angelis Sanctis, non vero eadem ratione, qua in nobis, donum gratiae. Potuissetne autem ita scribere, si quemadmodum in praesenti, ita in primaevo illo statu aeque habuisset homo opus ad perseverandum tam gratia intellectus, quam gratia voluntatis? En vero ejus verba l. cit. de corrept. et gr. *Quae* ( idest perseverantia in bono ) *futura erat et homini, sicut facta est Angelis Sanctis, merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiae, quae merces meriti futura erat.* Ita vero l. cit. Ench., dicens de eadem, quod eam homo in praesenti statu *accepturus est per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, accepturus per meritum; quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset*; quae postrema verba addit, ut intelligeretur, quod perseverantia in statu innocentiae per bonam voluntatem tum gratia habituali, tum gratia intellectus instructam, ipsa quoque fuisset gratuitum Divinae gratiae donum.

Objic. 4.°, quod si ejusmodi primo homini gratia collata esset ad bene agendum, et perseverandum, quae ejus tantum intellectum illustraret, non item quae adjuvaret voluntatem, eique ad bene agendum, et perseverandum vires praeberet, sequeretur inde, quod bene agendo, et perseverando ipse se discrevisset, ac potuisset

de se gloriari. Id autem contradicit Apostolo ajenti, quod nemo se discernit ( 1. ad Cor. 4. ), nec debet aliquis, nisi in Domino, gloriari ( 2. ad Cor. 10. ); quae Apostoli verba quemvis creaturae statum afficere, docent D. Aug. *l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 8. n. 10., nec non D. Anselmus *l. de casu Diab. c.* 1.: Praeter gratiam ergo intellectus, necessariam quoque, collatamque illi fuisse ad bene agendum, et perseverandum gratiam voluntatis, dicendum est.

Resp. neg. sequ. maj.; cum enim homo sine Dei gratia nihil omnino boni, quod ad salutem pertineat, potuerit umquam operari, locum semper habet, quod ipsius discretio refundi debet in Dei gratiam, quodque numquam, nisi in Domino, gloriari debuisset; licet enim bene agere, ac perseverare in bono libero ipsius arbitrio permissum esset, quia tamen quorumcumque ejus operum bonorum, ejusque perseverantiae in bono causa principalis fuisset gratia, nec ipse idcirco se discrevisset, nec potuisset umquam, nisi in Domino, gloriari. Et sane laudatis Apostoli verbis, quod nemo se discernit, eam dumtaxat discretionem excludi, quae fiat per merita nostra sine gratia, non vero eam, quae fiat per merita nostra ex gratia, expresse D. Aug. docet l. de gr., et lib. arb. c. 6. n. 15. *Quoniam* ( inquiens ) *merita humana sic Pelagiani praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem, dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus: Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Et l. de Praed. SS. c. 5. n. 10. et illa quoque Apostoli verba expendens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur, nihil* ( inquit ) *huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tamquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei.*

Objic. 5.° quod laud. S. D. scribit l. 14. de Civ. Dei c. 13., quod si Adae *voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, et accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc intenebresceret, et frigesceret.* Quid porro clarius, quam quod nedum Adae intellectus luce veritatis illustratus, verum etiam ejus voluntas gratia Dei accensa fuerit, ut amaret bonum? Falsum ergo, solam intellectus, ac non item voluntatis gratiam collatam, ac necessariam illi fuisse.

Resp. neg. min., et cons.; 1.° enim nullum verbum in allato Aug. textu de gratia, qua Adam eguit, fuitque ei collata ad bene agendum, et perseverandum: sed tantum dicitur, quod si permansisset stabilis in amore Dei, in quo conditus fuit, et a quo illustrabatur, ut videret, et accendebatur, ut amaret (quia nempe amando Deum, ipsum cognoscimus, eumque cognoscendo, et amando, magis ad eum amandum accendimur), aversus a Deo non esset ad sibi placendum, indeque profectum, ut in tenebras prolaberetur, et charitatis ignem amitteret. 2.° quia ut addit ipse D. De Nicole in suo de gratiae system., utique etiam intelligi potest objectum D. Aug. testimonium de accensione per intellectum, *nam illustrationes* (inquit) *suo modo animam accendunt*; nec voluntati, praesertim sanae, bonum aliquod repraesentatur, quin simul ad illius prosecutionem voluntas non excitetur.

Objic. 5.° quod ex eodem D. Aug. *l. de corrept. et gr. c.* 11. non distinguitur gratia primaevi status ab illa, qua homo eget in statu praesenti, nisi quod haec est illa *major*, ac *potentior*; ideoque nonnisi secundum magis, et minus. Gratia autem, qua homo eget in statu praesenti, est simul gratia intellectus, et voluntatis: Et ergo utraque primum hominem eguisse, est dicendum.

Resp. neg. cons.; fuit enim gratia primo homini collata aliquid minus hoc ipso, quod fuit tantum gratia intellectus; gratia vero, qua homo eget in praesenti statu, major, ac potentior, et quia gratia intellectus simul, et voluntatis, et quia, ut scribit idem S. D. l. de gr. Christi c. 29. loquens de gratia intellectus, et de gratia voluntatis, *utraque Dei donum est, sed unum majus, alterum minus.*

Objic. 7.° Nequit gratia intellectum illustrare ad cognitionem boni, quin simul ad ejus amorem voluntatem accendat. Quod cum ita sit, eadem, quae primi hominis intellectum illustrabat ad cognitionem boni, et gratia intellectus dicitur, accendebat simul ejus voluntatem ad amorem boni, eratque gratia voluntatis: Gratiam igitur et intellectus, et voluntatis primo homini collatam fuisse, est dicendum.

Resp. neg. cons.; cum enim per gratiam voluntatis intelligatur motio supernaturalis a Deo immediate producta in voluntate, eamque adjuvans, et corroborans

ad bonum operandum, tametsi idcirco gratia intellectus, qua primus homo illustrabatur ad cognitionem boni, accendisset simul ad boni amorem ejus voluntatem, non ideo tamen fuisset simul gratia voluntatis, sed motus naturaliter in voluntatem prosiliens ex boni cognitione. Id vero etiam hypothetice diximus; in praesenti enim statu locum habet, quod ex repraesentatione boni, vel mali per intellectum facta feratur voluntas citra omnem ejus deliberationem erga bonum, malumque aversetur: at non item in statu innocentiae, in quo ex repraesentatione boni, vel mali nulla indeliberata voluntatis motio sequebatur, sed voluntas ipsa in hanc illico, vel illam partem libere sese flectebat.

Objic. 8.º quod ait D. Fulgentius l. 2. ad Trasimundum c. 2., quod tam in homine, quam in Angelo *una est in utroque gratia operata; in hoc, ut surgeret, in illo, ne caderet.* Quibus similia habet quoque D. Bernardus *sem.* 22. *in Cant.*, nec non Conc. Araus. *can.* 8., *et* 19.. Fuit autem necessaria, ut hominem lapsum erigeret, gratia voluntatis: Et ne igitur caderet.

Resp. dist. maj., quod nempe una, eademque gratia fuit ad id opus necessaria, quatenus gratia significat auxilium quoddam supernaturale, et indebitum; non vero una, eademque omnino, hoc enim posito, nullum dicendum esset inter utramque discrimen, quod nec Adversarii inquiunt.

Objic. demum, quod laud. D. Aug. scribit l. de corrept. et gr. c. 12., ubi famosam adjutorii *sine quo*, et *quo* distinctionem tradit: *Ipsa* ( inquiens ) *adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivimus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus; adjutorium est enim non solum, sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur . . . Primo itaque homini, qui in eo bono, quo fuerat creatus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei praedesti-*

*natis non tantum tale adjutorium perseverantiae datur ; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur , non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint , verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Si autem in statu innocentiae eguit homo juxta Augustinum id genus gratia , qua poterat non peccare , et bonum operari , dum simul esset in ejus arbitrio peccare , et non operari bonum , inquiens profecto S. Doctor immediate postea , quod in praesenti statu eget gratia, qua non peccet , et operetur bonum , aliter ex lege oppositorum intelligi nequit , quam quod in praesenti statu eget gratia , qua non possit peccare , et non operari bonum , quin sit in ejus arbitrio , quod peccet , et non operetur bonum : Non ergo gratiae utriusque status discrimen in eo reponendum est juxta Aug. ; quod in statu innocentiae eguerit homo gratia dumtaxat intellectus , in praesenti vero egeat quoque gratia voluntatis , sed quod in statu innocentiae eguit gratia , cujus usus , vel non usus fuerit in ejus arbitrio , in praesenti vero eget gratia, cujus usus , vel non usus ab eo non pendet , sed necessario per eam declinet a malo , et operetur bonum : quemadmodum etiam confirmant verba , quibus concludit : *Ut nonnisi perseverantes sint ;* quae his aequivalent : *Ut non perseverantes esse nequeant.* Ita Iansenius.

Resp. neg. sequ. min. ; quod enim homo nedum in statu innocentiae , sed et in praesenti sit juxta Aug. sub gratiae motione, liber , evidenter liquet ex ipsius verbis l. de corrept. et gr. c. 7. , ubi de homine e gratia in peccatum lapso , *Homo* ( inquit ) , *in eo , quod audieras , et tenueras , perseverares , si velles* ; quae illis respondent , quibus de primo homine ait c. 10. ejusd. libri , quod tale illi datum a Deo fuit adjutorium , *quod desereret , cum vellet , et in quo permaneret , si vellet* , quodnam enim inter utrumque Aug. textum discrimen ? Ex ipso autem Jansenio expressit S. Doctor posterioribus his verbis , quod gratia primo homini collata non erat necessitans , sed libero ejus arbitrio permissa : Et idem ergo prioribus expressisse , est dicendum.

Ad allatum vero Aug. testimonium iam diximus *l. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 6. resp. ad 5. pag. 224.* , quid per adjutorium *sine quo* , et *quo* sit eo loci intelligendum. Sed si forte alicui quod illic diximus non arrideat , alia etiam praesto est responsio cum Bellarm. ,

Deschamps, aliisque, quod nempe eo loci loquitur S. D. de ipsa formali perseverantia. Quod probatur 1.° ex ejus comparatione cum beatitudine. Per beatitudinem autem homo formaliter fit beatus: Et perseverantia igitur, de qua loquitur, illa est, qua homo formaliter fit perseverans, seu quae etiam passiva, et finalis nuncupatur. 2.° ex verbis, quibus concludit: *Ut nonnisi perseverantes sint*, quae his dicimus aequivalere: *Ut per ejusmodi donum formaliter perseverantes constituantur.* Ac 3.° ex iis, quae ipse S. D. Massiliensibus reposuit, ut eorum querimonias occasione illius textus dilueret, l. de dono persev. c. 6.: *De illa* ( inquiens ) *perseverantia loquimur, qua perseveratur usque ad finem: quae si data est, perseveratum est usque ad finem: si autem non est persevetum usque in finem, non est data ... Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest: cum enim perseveraverit quisquam usque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia, quae poterat ante finem: quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam quod posset amitti?*

Prop. VI. Sub omni respectu poterat Deus nedum in statu naturae integrae, verum etiam in in statu naturae purae hominem condere, quin scilicet ulli ex ejus Attributis id repugnaret. Ita communiter, paucis non sine aliquo ausu contradicentibus.

Prob. 1.° auctoritate Summ. Pontificum Pii V., Greg. XIII., et Urbani VIII., qui diris tradidere oppositam Baji doctrinam; per statum enim naturae purae intelligitur status, in quo homo fuisset absque peccato, et gratia, cumque perfectionibus, et defectibus sui ipsius naturam consequentibus, ideoque, sin concupiscentiae quoad excessum, et immoderantiam motuum, utique tamen et ipsi concupiscentiae, quantum ad speciem, et morti, aliisque aerumnis, quibus ex naturali constitutione affligimur, obnoxius. Quod autem *Deus non potuerit talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, idipsum est, quod in Bajo laudati Pontifices proscripsere; contendebat siquidem, non potuisse Deum illum creare absque gratia, quia *humanae naturae sublimatio, et exaltatio in consortium Divinae Naturae debita fuit integritati primae conditionis*: item *non potuisse hominem a Deo creari, et institui sine justitia originali*, ideoque concu-

piscentiae obnoxinm : quodque demum *immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium , sed naturalis conditio* ; quae item omnia absolute in eo proscripserunt laudati Pontifices : Utique ergo Deus poterat hominem condere , qualis nunc nascitur , absque gratia scilicet , cumque perfectionibus, et defectibus sui ipsius naturam consequentibus , et concupiscentiae scilicet , et morti , aliisque aerumnis, quibus ex naturali constitutione subdimur , obnoxium , ideoque in statu Naturae purae. Si autem id repugnaret alicui ex ejus Attributis, ideoque id non potuisset , habito ad eadem respectu , nullatenus prorsus id potuisset , quia, ut ait Ap. 2. ad Tim. c. 2., *negare seipsum non potest* : Utique igitur sub omni respectu potuisse hominem condere in statu naturae purae, perspicuum est.

Inquiunt hic Ianseniani , neminem esse , qui neget , vel negare possit , praefatam Baji propositionem : *Deus non potuit talem ab initio creare hominem , qualis nunc nascitur* , intelligendam esse cum peccati exceptione , secus namque damnari non potuisset absque manifesta impietate. Quod si intelligenda est cum peccati exceptione , intelligi item debet cum exceptione eorum omnium , quae nonnisi peccatum consecuta sunt , cujusmodi esse ignorantiam , et mortalitatem , omnes fatentur : Nihil igitur in praefata Baji propositione , quod reprehendi possit ; ideoque non , ut falsam , sed ob temporum tantum circumstantias vetitam fuisse , est dicendum.

Sed. resp. neg. sequ. min. ; verum namque est , quod ignorantia , concupiscentia , et mortalitas corporis sunt peccati stipendia in praesenti statu: quod necessario tamen peccatum praesupponant , nec esse potuerint , quemadmodum D. Aug. infra laudandus loquitur , *primordia naturalia* , et naturae appendices , quidnam aliud , nisi mera petitio principii ? Nihil vero fraudolentius , atque ad negandam obedientiam Apostolicis judiciis debitam , quam propositiones a Summis Pontificibus absolute proscriptas , ob temporum tantum circumstantias proscriptas asserere. Quibus etiam nihil in controversia , de qua agimus , injuriosius ; proscripsissent enim ob temporum tantum circumstantias Baji propositiones , quas Ianseniani nedum , tamquam orthodoxas , laudant , verum etiam , tamquam Ecclesiae fundamentales , erroribusque Pelagianorum dire-

rte oppositas. Quidnam autem Constitutionibus Pontificum injuriosius ?

2.° ex D.' Aug., quem confixisse in Pelagianis naturae purae possibilitatem, falso Adversarii pronunciant; disputans enim S. Doctor *l.* 3. *de libero arbit.* adversus Manichaeos, qui negando peccatum originale, malorum omnium, quibus affligimur, causam, in malum aliquod principium eorum Auctorem refundebant, *etiamsi* ( inquit ) *ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed potius laudandus esset Deus*; quibus verbis contrahit *l.* 1. *Retract. c.* 9. quidquid hac super re adversus eos *cit. l.* dixerat : quodque denuo inculcans *l. de Dono persev.*; quem versus vitae finem scripsit, *etiamsi* ( inquit c. 11. ) *verum esset, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, et difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia esse naturae, vincerentur tamen Manichaei, qui volunt, duas, boni scilicet, et mali, coaeternas esse naturas.* Hypothesis autem, quam S. Doctor impossibilem judicasset, inepta hoc ipso fuisset ad illos refellendos : Status ergo, in quo et ignorantia, et bene agendi difficultas, non quidem peccati supplicia, sed primordia naturalia fuissent, possibilis ab eo agnoscebatur, idcoque et possibilis Naturae purae status : cumque dicat, quod si Deus in eo nos condidisset, culpandus non esset, sed potius laudandus, nemo non videt, quod ejus nec Providentie, nec Sapientiae, nec Bonitati juxta Augustinum adversabatur.

Ipsum tamen textum, quem S. Doctor laudat, referamus. Ita igitur l. 3. De lib. arb. c. 20., ubi hypothesim adversus Manichaeos statuit, quod *anima talis esse coeperit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis post vitam culpabilem facta est.* En conceptis verbis status Naturae purae, in quo homo esset absque peccato, et gratia, nec non ignorantiae, concupiscentiae, aliisque aerumnis, quibus ex naturali constitutione subditur, ac tandem morti obnoxius. Quodnam autem S. Doctor de tali hominis statu judicium profert? Figmentumne esse, utpote Dei Providentiae, Sapientiae, et Bonitati adversum, ut Adversarii inquiunt? Minime, sed talem, in quo *non parvum bonum habet, unde Creatori suo gratias agat, quia ipse ortus ejus, et inchoatio quovis perfecto opere est melior*, nedum *enim omne corpus*

*praecedit*, *sed etiam facultatem habet*, *ut adjuvante Creatore suo* ( auxiliis scilicet naturalis ordinis, et quae ipsi ejus Naturae essent debita, non enim ait *adjuvante Creatore suo aeternae luce justitiae*, vel *per spiritum charitatis*, *per inspirationem dilectionis*, *per bonam voluntatem*, *per boni cupiditatem*, *per suavitatem*, *per delectationem*, *per cordis voluptatem*, quibus constanter verbis denotat S. Doctor gratiam supernaturalem, sed solum ait *adjuvante Creatore suo* ) *seipsam excolat*, *et pio studio possit omnes acquirere*, *et capere virtutes*, *per quas et a difficultate cruciante*, *et ab ignorantia caecante liberetur. Quod si ita est*, *non erit nascentibus animis ignorantia*, *et difficultas supplicium peccati*, *sed proficiendi admonitio*, *et perfectionis exordium. Non enim ante omnem meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium*, *quo sapientiam praeponat errori*, *et quietem difficultati*, *ut ad haec non nascendo*, *sed studendo perveniat:* Quibus verbis et denuo gratia supernaturalis ordinis excluditur, et possibilitas status Naturae purae proponitur.

Inquiunt hic Ianseniani, quod *ep.* 166., alias 28. scribens S. D. ad D. Hieronymum, ait, non satis firma, ac valida sibi videri, quae in libris de lib. arbitrio adversus Manichaeos scripserat. Senior ergo retractavit, quae illic scripserat iunior.

Sed resp. neg. cons.; nedum enim ea numquam retractavit, sed, ut diximus, confirmavit tum *l.* 1. *Retract.*, tum *l. de Dono persev.* ab eo versus vitae finem edito. Quod vero scripsit ad D. Hieron., ait tantum respectu ad Pelagianos; cum enim hi admitterent Scripturas, quas Manichaei respuebant, Novo dumtaxat Testamento excepto, expunctisque etiam ex hoc locis omnibus, quae originalis peccati fidem adstruunt; ajebat proinde S. Doctor, quod cum Manichaeis quidem disputandum erat circa malorum originem recurrendo ad hypotheses, earumque usu contra eos ostendendo, quod nec ignorantia, nec concupiscentia, nec caetera, quibus premimur, mala nos cogunt, ut ea in malum aliquod principium eorum Auctorem refundamus, quoniam, his quoque positis, tamquam primordiis naturalibus, adhuc Deus culpandus non esset, quasi inique egisset, sed potius laudandus. Eamdem tamen disputandi rationem super malorum origine nec firmam esse, ajebat, nec validam adversus Pelagianos,

quippe cum hi Scripturas admitterent, harum quoque auctoritate contra eos dimicandum erat, apertisque Sacrarum Litterarum testimoniis illos revincere, quod et ignorantia, et concupiscentia, et mala omnia, quibus premimur, sunt poena peccati, in quo omnes nascimur. Non alius ergo Augustini sensus in laudata ad D. Hieron. epistola.

Ex quo etiam ad naturae purae possibilitatem refertur, quod scripsit l. 4. contra Julian. c. 16. *Gratia Dei magna* (inquiens) *ibi erat, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet.* Si autem gratia Dei magna ab Augustino dicitur, quod terrenum, et animale corpus primi hominis bestialem libidinem non habebat, libidinem nempe prodeuntem ex unione spiritus cum corpore animali, quodque ideo in statu innocentiae non habebat in suo corpore, quod puderet, quia vestitus gratia; quid clarius, quam quod juxta eum non erat id naturae debitum, et de ejus exigentia, sed utique condi poterat in statu, quo ejus terrenum, et animale corpus praefatam haberet libidinem, et quod puderet ejus corpori inessse? An non pugnantia, quod idem fuerit magna Dei gratia, et illud Deus non potuerit conferre homini? Magna Dei gratia, et simul debitum? Magna Dei gratia, et illud Deus, cogente ejus Providentia, Sapientia, et Bonitate, homini dederit? Cumque et immortalitas, quam primus homo habuisset in innocentia manens, et ejus ordinatio, ut Deo facie ad faciem frueretur, et gratia sanctificans, et caetera justitiae originalis dona magna Dei gratia non minus fuerint, nihil proinde horum naturae debitum, et de ejus exigentia dicendum aeque est; sed sine iis utique hominem condi a Deo potuisse.

3.º auctoritate D. Thomae; poterat namque homo, ut aperte tradit S. Doctor, a Deo creari absque ordinatione ad intuitivam ejus visionem, ita enim qu. 4. de malo art. 1. *Carentia Divinae visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset etiam absque peccato: sic enim carentia Divinae visionis non est poena, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura in suis naturalibus potest pervenire ad visionem Divinam.* Item absque subjectione carnis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, ita enim 1. p. qu. 95.

art. 1. *Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis* in primo homine, *alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in Daemonibus data naturalia post peccatum permanserint*. Demum morti obnoxius, quod expressis verbis asserit, ostenditque 1. 2. *qu.* 85. *art.* 5., *et* 6. ex naturali corporis corruptibilitate; inferens inde, quod primi hominis incorruptio non erat secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono. Ejusmodi autem fuisset homo in puris naturalibus conditus; absque gratia scilicet sanctificante, per quam ordinatur ad intuitivam Dei visionem; absque subjectione carnis ad spiritum, et appetitus sensitivi ad rationem, cujus subjectionis defectus ipsa est concupiscentia, quantum ad speciem; demum morti obnoxius, ac per id doloribus, ac morbis, ex quibus tandem mors sequitur: Nihil ergo clarius ex D. Thoma, quam quod homo utique poterat a Deo condi in statu naturae purae.

4.° multiplici ratione. Et 1.° nonne possibilis dicendus est status, in quo homo habuisset quidquid ad ejus naturam pertinet, eique solum defuisset quod gratuitum omnino est, et indebitum? Ejusmodi autem fuisset status naturae purae; in eo enim habuisset homo quidquid naturale illi est, ut habeat, ac solum ei defuisset, quod ex ostensis *prop.* 2., 3., *et* 4. gratuitum omnino est, atque indebitum: Patet ergo propositum. 2.° quis dicet naturae hominis debitum quidquid est ordinis supernaturalis, quin pugnantia dicat? Et gratuito scilicet, atque ex pura Creatoris liberalitate illi conferri; et simul non gratuito, sed ex debito, quia ejus Natura id exigente, ne cum Creatoris injuria manca, atque imperfecta esset? Nihil autem commune habent cum hominis natura et ejus sublimatio in consortium Divinitatis per gratiam sanctificantem, et subjectio carnis ad spiritum, atque appetitus sentitivi ad rationem, et destinatio ad intuitivam Dei visionem, et demum corporis suapte natura aliquando interituri immortalitas; quae proinde omnia nonne totidem ordinis supernaturalis dona? Nihil ergo horum naturae hominis debitum; sine quibus proinde utique homo condi a Deo potuisset. 3.° quis dicet, non potuisse Deum hominem condere, quin eum in filium adoptaret; utque adoptione filius, jus ad haereditatem haberet? Quod cum ita sit, nemo non videt, potuisse

eum condere, quin jus ullum per gratiam, quae est forma adoptionis filiorum, ad Coelestem haereditatem haberet, ideoque in statu naturae purae absque gratia: Ita ergo rursum. 4.° demum cum inter finem, et media proportio adesse debeat, hoc ipso idcirco, quod finis naturalis hominis non potuisset non esse intuitiva Dei visio, ad hanc quoque naturalibus mediis pervenire potuisset. Nefas autem dictu, quod naturalibus mediis pervenire potuisset ad intuitivam Dei visionem: Et nefas ergo, quod intuitiva Dei visio naturalis hominis esse potuit; ex quo rursum sequitur, quod absque ordinatione ad ejusmodi finem utique in puris naturalibus condi a Deo potuisset.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Naturalis homini appetitus inest Deum intuitive videndi; 1.° quia hic ultimus hominis finis, nam ultimus hominis finis, ad quem suapte natura tendit, est, quo obtento, conquiescit. Est autem semper inquietus, donec in Deo conquiescat per ejus fruitionem facie ad faciem, juxta id, quod ajebat Regius Psaltes Ps. 61. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*; quodque deinde D. Aug. ait l. 1. Conf. c. 1. *Fecisti nos* ( inquiens ) *ad Te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te*: Dei ergo fruitio facie ad faciem haec ultimus hominis finis, ad quem suapte natura tendit. 2.° *quia omnes beatos esse velle* ( ut ait laud. S. Doctor l. 13. De Trinit. c. 8. ), *veritas clamat. natura compellit, cui summe bonus, et immutabiliter beatus Creator hoc indidit.* Beatus autem nemo esse potest, nisi ad Dei fruitionem per ejus visionem facie ad faciem perveniat; quod et nonnullos ex Platonicis solo naturalis luminis ductu agnovisse, testatur idem D. Aug. *l.* 8. *De Civ. Dei c.* 8.: Et ipsa igitur compellente natura, atque ob appetitum ab ipso Deo cuivis inditum nemo item est, qui ad ejus fruitionem facie ad faciem non propendat. 3.° quia, ut docet D. Thomas 1. p. qu. 12. art. 1., *inest homini naturale desiderium intuendi causam, cum intuetur effectum*; ex quo infert l. 4. contra Gentes c. 50. *Per hoc igitur, quod substantiae separatae cognoscunt omnium rerum, quarum substantias vident, esse Deum causam, non quiescit naturale desiderium in ipsis, nisi etiam ipsius Dei*

*substantiam videant.* Ex quibus omnibus patet, quod naturalis homini appetitus inest Deum intuitive videndi. Appetitus autem naturalis, qui non esset explendus, ad hoc homini inditus a Deo esset, ut illum illuderet, et torqueret; quod nefas dictu: Et nefas igitur dictu, quod Deus potuerit hominem non ordinare ad eum intuitive videndum, ideoque illum condere in statu natura purae.

Resp. neg. maj.; nam quoad 1.m, est quidem intuitiva Dei visio ultimus hominis finis, quo obtento, conquiescit: at in praesenti statu, et supposita revelatione, quod ad illam a Deo ordinatus fuerit, cum enim homo citra revelationem, ut ostendimus *l* 2. *tract.* 10. *cap.* 1. *prop.* 4. *pag.* 96., neque etiam cognovisset, utrum id esset possibile, nec ignoti ulla umquam cupido sit, quomodonam, revelatione seposita, potuisset naturaliter appetere, ut Deum intuitive videret?

Quoad 2.m, nemo item beatus esse potest, nisi ad Dei fruitionem per intuitivam ejus visionem perveniat: at etiam in praesenti statu, non vero in alio quovis statu possibili, in hoc namque homo per merita naturalis ordinis pervenisset quoque ad beatitudinem quamdam naturalem, eaque expletus, ac satiatus fuisset naturalis ejus appetitus; quia utique expletur, et quiescit naturalis hominis appetitus, obtento fine sibi naturaliter possibili, nec illo in statu ullam agnovisset perfectiorem felicitatem sibi possibilem. Quod si nonnulli ex Platonicis hominem, dixerunt, nonnisi per Dei fruitiorem beatum esse posse, vel id cognoverunt ex Sacris Libris, quos in manibus habuisse ex eorum cum Judaeis commercio, testatur laud. D. Aug. *l.* 8. *De Civ. Dei c.* 8.; vel si id cognoverunt solo naturalis luminis ductu, locuti non fuerunt, nisi de fruitione Dei per cognitionem tantum abstractivam, quemadmodum innuere videtur laudatus D. Aug. l. 8. de Civ. Dei c. 7., *lumen mentium* ( inquiens ) *satis esse dixerunt ad discenda omnia, eumdemque ipsum Deum, a quo facta sunt omnia.*

Quoad 3.m, ait quidem D. Thomas, inesse homini naturale desiderium intuendi causam, cum intuetur effectum, non tamen absolute, et stricte, sed secundum quid, et lato sensu loquens, idest modo quodam naturali, quatenus scilicet ejus voluntas revelatione illustrata, quod sui ipsius visionem Deus nobis promiserit, modo quodam naturali eam appetit, eo fere modo, quo Bea-

torum mens gloriae lumine elevata modo quodam naturali eum videt. Et sane, quod ejusmodi desiderium hoc tantum modo, non vero absolute, et stricte dixerit S. Doctor naturale, ex eo liquet, quod naturalis alicujus rei appetitus est pondus quoddam, seu inclinatio naturae in bonum sibi conveniens absque praevia cognitione; quodque si ex praevia cognitione sit, *elicitus*, non *naturalis* dicitur. Desiderium porro intuendi causam inquit S. Doctor, oriri in homine ex cognitione effectus: Non ergo *naturale*, sed elicitum. Hinc conceptis verbis negat, hominem naturaliter appetere visionem Dei; ita enim qu. 22. De veritate art. 7. *Aliis rebus inditus est naturalis appetitus alicujus rei determinatae . . . sed homini inditus est appetitus ultimi sui finis in communi, ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate; sed in quo ista completio consistat, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione adjutus, Divina gratia apprehendit aliquod speciale bonum, ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc, quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit, sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit.* Hinc etiam negat, naturali inclinatione hominem ferri in beatitudinem, nisi tantum in generali, et secundum communem rationem; ita enim l. 4. Sent. dist. 49. qu. 1. art. 3. *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc, vel in illo summum bonum hominis constare.* Neque igitur dicendum ex inclinatione naturae, quod Deum intuitive aliquando videat.

Objic. 2.°. quod nedum Deus est ultimus hominis finis, verum etiam, ut docet laud. D. Aug. l. de Nat. Boni c. 7., *necesse est, ut Naturas intelligentes non alio, quam ad se convertat Deus, nec alium, quam seipsum praestituat finem*; et quemadmodum addit l. 2. De Civ. Dei c. 25., *ut praestituto fini congrua non deneget adjumenta, quibus indigent ipsa per se.* In statu autem Naturae purae nec finem homo habuisset Deum, nec congrua ad ejusmodi finem adjumenta: Impossibile igi-

tur, quod in statu Naturae purae conderetur. Alienum quoque a vero est, quod homo beatus esse potuisset in quolibet statu, quin Deo frueretur: ut enim docet idem S. Doctor l. cit. De Nat. Boni, *in rebus a Deo factis tam magnum bonum est Natura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus; quo adepto, beata est; quo amisso, misera est.* Et l. 12. De Civ. Dei c. 1., *naturae rationali* ( inquit ), *quae in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhaerendo tamen incommutabili bono, idest Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam, nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat, nisi Deus.* Et l. 4. De Trinit. c. 12. *Magna miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse.* Et ep. 152. *Neque enim facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem.* Quod si creatura rationalis beata esse nequit, nisi Deo fruatur, neque etiam condi a Deo poterat, nisi ut eo frueretur, quin Deus eam conderet, ut esset misera; quod dictu nefas, locumque habuisset in statu naturae purae: Rursum ergo in ejusmodi statu condere eam non potuit.

Resp. ad 1.m neg. min.; etenim in statu quoque Naturae purae finem homo habuisset Deum, ut eum scilicet abstractiva cognitione cognosceret, atque amore naturali diligeret. Ad utrumque autem habuisset quoque auxilia ordinis naturalis, et proportionata ad finem: qua super re consulantur quae diximus *prop.* 3. *resp. ad* 2. *pag.* 23.

Ad 2.m neg. maj., quod homo scilicet beatus esse non potuisset beatitudine quodam naturali in statu Naturae purae; etenim beatus quidem esse nequit, quin ad Dei fruitionem facie ad faciem perveniat, in praesenti statu, in quo ad ejusmodi finem a Deo ordinatus fuit; eo fere modo, ut disserit Ludovicus Habert *tract. de gr. Chr. c.* 3. § 6. *in fine*, quo cum alicui *haereditario jure deberetur Regia dignitas, ab ea excluderetur, sive sua culpa, sive aemulorum injustitia. Hic quippe, quantumcumque divitiis cumulatus, et aliis honoribus amplificatus, sortem suam aegre ferret, in qua alter, qui ad illud dignitatis fastigium natus non est, felicem se arbitraretur.* In statu autem Naturae purae nec ad ejusmodi finem homo ordinatus fuisset, nec, ut diximus, potuisset quoque cognoscere, utrumne Deo taliter frui

esset possibile. Hinc etiam dicimus de homine in praesenti statu considerato locutum semper esse D. Augustinum adversus Pelagianos, non enim eum inter, et illos ulla agebatur quaestio de homine in aliquo statu possibili, sed de homine in praesenti statu: cumque in omnibus suis scriptis numquam S. Doctor non habuerit prae oculis Pelagianos, contra quos praecipue Catholicam fidem de peccato originali, ac de necessitate, et gratuitate gratiae pro viribus defendit, ad praesentem idcirco hominis statum omnia referenda sunt ejus testimonia, quae ex adverso objiciuntur, non vero ad statum, in quo homo numquam extitit, sed condi potuisset, qualis est status Naturae purae, de quo numquam locutus fuit, nisi tantum disputans adversus Manichaeos: utque supra inter probationes ostendimus, utique adversus illos disputans, eum possibilem censuit.

Objic. 3.° in Pelagianis D. Augustinum carpsisse, quod infantes sine Baptismo decedentes dicerent absque peccato, ac simul eos a Regno Coelorum excluderent; ita enim l. 3. cont. Iulianum c. 12. *Quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittis in Regnum Dei? Numquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur Regno, ut tam luctuoso puniantur exilio, cum id non fecerint, quod facere omnino non poterant? . . Qua justitia quaeso a Regno Dei, a vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei?* Quibus similia habet quoque serm. 294. Non potuisset autem S. Doctor id in illis carpere, nisi Regnum Coelorum, idest intuitiva Dei visio ex justitia deberetur, excluso peccato, creaturae rationali: Ex justitia igitur, secluso peccato, illa ei debetur; quam proinde condi a Deo non potuisse, salva ejus Iustitia, absque ordinatione ad ejusmodi finem, consequens est.

Resp. neg. cons.; ideo enim S. Doctor id in Pelagianis carpit, 1.° quia cum admitterent, nec negare possent ex Scripturis *l. 2. tract.* 10. allatis, hominem ordinatum a Deo fuisse ed ejusmodi finem, consequenter idcirco ad ejusmodi ordinationem impediri homo nequit absque culpa, ut illum consequeretur. Hominis vero ordinationem ad finem ejusmodi nedum S. Doctor manifeste illis ostendebat ex Scripturis, verum etiam, tamquam dogma ab iis ipsis admissum, proferebat, ut patet ex laud. serm. 294., ubi in eorum sententia, *parvulus* (ajebat)

*propterea baptizandus est, ut intret in Regnum Dei.* 2.° quia vita aeterna, quam in medium inter Regnum Coelorum, aeternamque damnationem producebant, ne cogerentur dicere, quod illos Deus, licet nullius culpae reos, poena aeterna affligeret, non erat, nisi eorum putidum commentum; ex quo sequebatur, quod illos e Regno Coelorum excludendo absque ulla culpa, aeterno simul supplicio absque ulla culpa addicebant; quo nihil injustius. Ita nempe contra eos disserit S. Doctor serm. cit. 294. *Venturus* ( inquiens ) *Dominus, et judicaturus de vivis, et mortuis, duas partes facturus est, dexteram, et sinistram. . . Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes . . . Ecce in dextera Regnum Coelorum est*, percipite ( *inquit* ) regnum. *Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra. Ite in ignem aeternum.*

Objic. 4. In statu Naturae purae laborasset homo tum invincibili multarum rerum ignorantia, tum concupiscentia; quae ambo idcirco a Deo Auctore prodiissent. Nec ignorantia autem, nec concupiscentia a Deo esse potuit: non ignorantia scilicet, quin Deus dicatur eorum Auctor, quae fierent ab homine ex ignorantia invincibili. Non concupiscentia, quia ad malum incitans, Deus vero, ut ait D. Iacobus, *intentator malorum* est: quare et dicitur ep. 1. Io. c. 2., quod *non est ex Patre*: Neque ergo homo condi ab eo potuit in statu Naturae purae:

Resp. dist. min.; quod nempe nec ignorantia, nec concupiscentia a Deo esse potuit, quatenus mali origo, positive, et directe; non vero permissive, et indirecte, ac prout est in sua specie, abstrahendo ab illo excessu, quem pecatum intulit, secus namque nec etiam Deus potuisset hominem condere cum libertate contrarietatis ad bonum, et malum, cum aeque ex hac tot absque numero mala originem habeant. Et sane nonne ejusdem generis in materia, de qua agimus, libertas contrarietatis ad bonum, et malum, ac ignorantia, et concupiscentia, qua homo laborasset in puris naturalibus conditus? Nonne aeque omnia defectus homini connaturales? Et defectus nempe homini connaturalis facultas eligendi bonum, et malum ob libertatem contrarietatis: et defectus homini connaturalis invincibilis multarum rerum ignorantia, tum ob naturalem intellectus finitatem, tum ob ejus dependentiam, dum hanc vi-

tam transigit, in idearum acquisitione a sensibus, cujus causa nec omnia[1] assequi potest, nec nisi magno cum labore notiones rerum adipisci: et demum defectus homini connaturalis concupiscentia, quantum ad speciem, ob rationem supra allatam *prop*.3., quia nempe homo ex carne, et spiritu coalescit, ex quo naturaliter sequi debet, quod sicut non raro objecta, quae sensus delectant, rationalem naturam dedecent, ita non raro naturaliter caro pugnare debeat adversus spiritum, atque hic pro suo in partem sensitivam imperio non raro etiam pugnare debeat adversus carnem. Quemadmodum ergo potuit a Deo esse, quod hominis intellectus esset finitus, et penderet in hac mortali vita a sensibns in idearum acquisitione, ita ab eo esse potuit, quod invincibili multarum rerum ignorantia laboraret; eoqne magis, quia quum homo a recto vivendi tramite ob eam deflectit, non peccat formaliter, et imputabiliter, sed materialiter tantum, et absque eo quod in culpam error illi imputetur. Ac ita etiam quemadmodum a Deo esse potuit libertas contrarietatis ad bonum, et malum, quin Deus tentator malorum sit, utpote a Deo, quatenus facultas eligendi bonum, vel malum, non vero quatenus actu eligens malum, ita ab eo esse potuit concupiscentia, quantum ad speciem, quin Deus tentator malorum sit, utpote a Deo, quatenus facultas concupiscendi bona sensibilia, non vero, quatenus actu concupiscens malum; seu (quod idem est) utpote a Deo, quatenus defectibilis, non vero, quatenus actu a recto deflectens, quod non in Creatorem, sed in Creatnram recidit. Dicitur vero a Joanne, quod concupiscentia *non est ex Patre*, prout nempe est in praesenti statu, quumque adjunctum habet voluntatis consensum; quum vero ei voluntas resistit, utique nec etiam est ex Patre in praesenti rerum statu, quantum ad ipsam speciem, quippe quod illi etiam quantum ad speciem obnoxii tantum sumus in peccati poenam: at loqnendo de alio statu possibili, neque etiam esset ex Patre formaliter spectata, seu quatenus actu concupiscens malum, non vero materialiter spectata, seu quatenus facultas concupiscendi bona sensibilia.

Inst. Nonne quisquis vult aliquid, ex quo necessario aliud sequitur, utrumque etiam censetur velle? Ex concupiscentia autem materialiter sumpta et illa formaliter sumpta necessario sequitur: Cum ergo non potuerit esse

ex Patre formaliter sumpta, neque etiam sumpta materialiter ab eo esse potuit, nec proinde homo in puris naturalibus condi.

Resp. neg. min.; concupiscentia enim formaliter sumpta est, quatenus actu concupiscens malum. Ex concupiscentia autem materialiter sumpta, seu quatenus est facultas concupiscendi bona sensibilia, sequitur tantum necessario, quod possit etiam malum concupiscere, non vero, quod actu concupiscat malum: eo fere modo, quo ex finitate intellectus necessario sequitur, quod falli, et errare possit, non vero quod actu fallatur, et erret; et ex libertate contrarietatis ad bonum, et malum necessario sequitur, quod voluntas eligere possit bonum, vel malum, non vero, quod actu eligat malum.

Objic. 5.°, quod absolute D. Aug. de concupiscentia pronunciat, quod mala est; idque praesertim l. 3. cont. Iulian. c. 21., *concupiscentiam* (inquiens) *ambo fraenamus; adversus ejus repugnantes motus ambo bellamus; ambo eam, si proficimus, debellamus. Verum hoc interest, quod ego dico, me malum fraenare, tu autem bonum. Ego dico, mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Ego bello adversus malum, tu adversus bonum. Ego cupio malum debellare, tu bonum.* Quod autem malum est, nullatenus esse a Deo potest: Neque ergo ullatenus ab eo esse potuit concupiscentia; quare nec potuit homo ab eo condi in statu Naturae purae.

Resp., quod S. Doctor malum concupiscentiam appellat sub data superius distinctione: 1.° scilicet, quum adjunctum habet voluntatis consensum, non vero, quum illi voluntas resistit; ut patet ex ejus verbis l. 1. de Nupt., et concup. c. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et l. 2. de pecc. meritis c. 4., ubi de concupiscentia inquit: *Ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura.* Et Enarr. 3. in Ps. 118. *Quid enim peccatum operatur, nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibetur assensus, movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus.* 2.° eam appellat malum in praesenti rerum statu; cum enim Iulianus contenderet, illi obnoxios nos non esse ob peccatum originale, quod negabat, non desinit S. Doctor illi reponere, malum eam esse, propterea quod ex peccato, quodque cum

homo conditus a Deo fuerit iustus, et innocens absque ulla partis inferioris contra superiorem pugna, ex peccato prodiit, quod hanc homo experiri coeperit; quae idcirco in praesenti rerum statu, sive assentiamur, sive resistamus malo, nequit non haberi, tamquam malum, quia nonnisi peccati supplicium. 3.° eam appellat malum, dum spectetur formaliter, seu quatenus actu concupiscens malum, non vero dum spectetur tantum materialiter, seu quatenus facultas concupiscendi bona sensibilia; ut patet tum ex l. 4. cont. Iulian. c. 14., tum ex l. 3. Oper. imperf. c. 209, ubi Iulianum alloquens, *apud te quippe* ( illi exprobrat ) *nec quando concupiscitur fornicatio, concupiscentia carnis mala est, quia, ut dicis, bono male utitur, qui sic utitur. Bonum est ergo ipsa semper, ut vis, sive quis ea conjugium, sive adulterium concupiscat; quoniam si conjugium, bono bene utitur; si adulterium, bono male utitur.* Cumque priori sensu a Pelagianis semper usurparetur, et tamquam bona praedicaretur, hoc sensu etiam S Doctor contra illos disputans eam, tamquam malam, insectabatur.

Inst., quod *l.* 1. *De Nupt.*, *et concup. c,* 22: concupiscentiam appellat opus pudendum; utque addit *l.* 1. *ad Bonif. c.* 15., opus pudendum nequit esse Dei opus, cum nefas sit de opere Dei erubescere. Quod si eam et opus pudendum, et Dei opus esse non posse, inquit, citra omnem profecto distinctionem malum dicendam esse, censuit: Ita igitur: nec proinde homo illi obnoxius, ideoque in statu Naturae purae condi a Deo poterat.

Resp, dist. maj.; est enim concupiscentia quiddam pudendum formaliter sumpta, quum nempe ad illicita inclinat, ac ad illa consentitur; etiamque quum ad illicita inclinans ad illa non consentitur, tum quia in praesenti statu est peccati effectus, ac tamquam rebellionis stigma; tum quia actu deficiens, seu concupiscens malum: non vero materialiter sumpta, quatenus nempe facultas concupiscendi sensibilia, sub quo respectu, et abstrahendo ab excessu, et immoderantia a peccato illatis, est perfectio pertinens ad naturae sensitivae integritatem. Hinc neg. cons.: quia enim nec quum ad illicita inclinans ad illa consentitur, nec quatenus peccati effectus, nec quatenus actu deficiens, seu concupiscens malum, nec demum quoad excessum, et immoderantiam est a Deo, sed ab homine, neque etiam idcirco, quum, de ea erubescimus, erubescentiae objectum est opus Dei, sed opus hominis:

quumque idcirco defuisset consensus voluntatis ad illicita, neque etiam, erubuissemus de ea in statu Naturae purae, nisi tamquam de malo naturali, ac non secus nos jam pudet alicuius deformitatis in corpore.

Objic. 6.º, nefas dictu esse, quod Deus possit cujusvis habitus vitiosi esse Auctor. Est autem concupiscentia quidam habitus vitiosus, ut enim ait Trid. sess. 5. can. 5., *ad peccatum inclinat:* Et dictu nefas igitur, quod Deus potuerit ejus esse Auctor, ideoque in statu Naturae purae hominem condere.

Resp. neg. min.; habitus enim vitiosus ex se ad malum determinat, unde non possumus eo bene uti, sed tenemur pro virili agere, ut illum extirpemus. At non item concupiscentia, quae cum non sit facultas ad malum ex se determinata, utique ad bonum finem uti ea possumus, quemadmodum *l. cit.* idem Trid. docet. Sed et consulantur quae diximus *prop.* 3. *resp. ad* 3.m. pag. 30.

Inst., quod, ut ait D. Aug. l. de corrept., et gr. c. 11., *si vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset* Dei adjutorium, *quoniam non talis Natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent.* In statu autem Naturae purae etiam ponitur, quod homini defuisset quodvis gratiae adjutorium; quomobrem, concupiscentia illum ad malum stimulante, fuisset homo in fatali peccandi necessitate constitutus; quod dictu nefas: Falsum ergo, quod in ejusmodi statu potuisset homo ad bonum finem concupiscentia uti; quodque idcirco in eodem condi a Deo potuisset.

Resp. dist. min.; quod nempe homini in statu Naturae purae defuisset quodvis gratiae adjutorium ordinis supernaturalis, non vero ordinis naturalis, eique sufficiens, quemadmodum l. inter probationes cit. de lib. arbit. docet D. Augustinus. Ejusmodi autem adjutorium fuisset ordinis naturalis, tum quia datum ad naturae exigentiam, et e numero caeterarum perfectionum, quae Naturam ipsam consecutae essent; tum quia nihil prorsus ordinatum ad intuitivam Dei visionem: quae ambo ad rationem supernaturalitatis requiri, ab ipso hujus libri initio diximus.

Inst., quod cum homo in statu Naturae purae potuisset concupiscentia et bene, et male uti, en saltem, quod fuisset peccati capax, et remissionis deinde incapax,

utpote quae nonnisi per gratiae infusionem obtineri potest: Id autem consentaneum Dei Bonitati non videtur: Non ergo Deus, salva ejus Bonitate, potuisset hominem in eo statu condere.

Resp. neg. maj.; utique enim in statu Naturae purae fuisset homo post peccatum remissionis capax; utque scribit Tournelius. l. de gr. Chr. qu. 2. art. 3. resp. ad 6, *vel per condonationem extrinsecam, vel per infusionem alicujus qualitatis naturalis.* Quod si contendere quis pergat, non aliter peccatum remitti posse, quam per infusionem gratiae supernaturalis, migrasset homo e statu Naturae purae ad statum Naturae reparatae; quod nihil impetit prioris status possibilitatem, quam tantum asseruimus.

Objic. 7.° quod Aug. ait l. 4. contr. Iulian., ubi S. Doctor ita eum alloquitur: *Parvulos intuere, quot, et quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error, ut decipiat, tentat labor, aut dolor, ut frangat, tentat libido, ut accendat, tentat moeror, ut sternat, tentat thyphus, ut extollat... Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut poena primi, veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum usque in diem sepulturae non fuisset, nisi delicti originalis meritum praecessisset.* Quibus similia habet quoque l. 1. Oper. imperf. c. 39. *Neque enim* (inquiens) *sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest.* Robur autem non haberet haec S. Doctoris ratiocinatio ad probandum originale peccatum, si malis ejusmodi etiam citra peccatum homo posset esse obnoxius; quid namque clarius, quam quod si homo condi a Deo potuisset citra peccatum iis obnoxius in statu Naturae purae, supposuisset S. Doctor quod in quaestione erat eum inter, et Pelagianos, ideo nempe hominem tot premi malis, quia peccato infectum? Eum ergo in statu eiusmodi, ideoque in statu Naturae purae condi a Deo non potuisse, est dicendum. Accedit, quod ipsi Gentium Philosophi, ut idem S. Doctor addit l. cit., solo naturalis luminis ductu ex aerumnis hujus vitae aliquod peccatum praecedi debuisse, agnoverunt, nec nisi

in ejus poenam tot, quibus premimur, malis a Deo affligi. Id autem agnoscere solo rationalis ductu non potuissent, nisi talia adeo necessario e peccato sequerentur, ut iis affligi a Deo non possemus, nisi in peccati poenam: Citra peccatum ergo illis nos affligere Deus non poterat; nec proinde iisdem obnoxium in statu Naturae purae hominem condere.

Resp. neg. min.; 1.º enim cum ex ostensis prop. ant. deterior, ac longe miserior homo sit in praesenti statu, quam fuisset in statu purorum naturalium; si ex qualibuscumque idcirco miseriis, ac tantum ex naturae constitutione prodeuntibus probari non potuisset originale quoddam peccatum, utique tamen infertur ex gravi illarum jugo, quibus in praesenti statu sumus obnoxii. 2.º, quia cum Pelagiani vetus Testamentum agnoscerent, negare non poterant, et quod Deus primum hominem creavit in Paradiso voluptatis, et quod nonnisi comedendo de ligni vetiti fructu mors comminata illi fuerat. Ajebat ergo S. Doctor, quod cum ita se habuerit Deus circa primum hominem, nec, utpote justus, privare hominem potuerit bonis semel concessis, quin id aliqua culpa meruisset, nonnisi in penam idcirco alicujus peccati, quod totum humanum genus infecerit, dicendum est, quod innumeris aerumnis, et tamdem morti videtur obnoxium. En S. Doctoris ratiocinium, cujus profecto robur nemo non perspicit; supposuisset namque id, quod in quaestione erat eum inter, et Pelagianos, nisi antea illis probasset, quod homo in sui initio bonis omnibus cumulatus, etiamque immortalis conditus fuerat; non vero cum illi id probasset tum *l.* 2. *de peccat. meritis c.* 2., tum *l.* 1. *cont. Iulian. c.* 5.; recte idcirco inde inferens, quod cum Deus ita de homine disposuisset, sintque ejus dona absque poenitentia, quamvis proinde in alio statu possibili fuissemus quoque illis malis obnoxii, quae appendices fuissent naturae, in praesenti tamen statu non naturae appendices, sed peccati supplicium dicenda sunt. Hinc et patet, quo sensu locutus fuerit, inquiens, quod *sub Deo justo nemo miser esse, nisi mereatur, potest*, quod nempe miser esse nequit malis, quae non sint naturae appendices, non tamen malis, quae ipsius naturae appendices sint; expresse enim docet loco inter probationes cit. de lib. arb., quod si talis anima facta esset ante omnem

culpam, qualis post culpam facta est, omnibus nempe malis, quae ipsius naturae appendices sunt, obnoxia, non quidem *culpandus*, *sed potius laudandus esset Deus.* Non semel autem diximus, quod mala, quibus in praesenti statu premimur in peccati poenam, longe ea excedunt, quae in statu purorum naturalium ipsius naturae appendices fuissent.

Ad id vero, quod additum est, resp. 1. neg. maj., licet enim conjecturaliter, non tamen certo solo naturalis luminis ductu agnoverunt aliqui ex Gentium Philosophis, mala, quibus ab ipsa nativitate premimur, alicujus peccati, quod totum humanum genus infecerit, poenam esse, sed tum ex Sacris libris, quos habuisse prae manibus, idem, ut diximus, D. Aug. scribit, tum ex eorum cum Iudaeis commercio. 2. dist. min., quod solo scilicet naturalis luminis ductu id cognoscere non poterant, ut modo diximus, certo, ex una enim fide certam haberi posse peccati originalis notitiam, docet idem D. Aug. *l.* 6. *cont. Iulian. c.* 4.; utique tamen id cognoscere poterant probabiliter ex malis, quibus in praesenti vita premimur, utpote loge majoribus, ut etiam diximus, iis, quibus afflicti essemus in statu purorum naturalium. Id autem satis fuit, ut ex eorum mole alicujus peccati, quod totum humanum genus infecerit, extantiam arguerent, atque in hujus poenam a Deo Optimo, et cujus Natura bonitas, dicerent illa infligi.

# TRACTATUS II.

## De variis quoad gratiam erroribus.

Adeo multa sunt, quae luxuriantia haereticorum ingenia in materia, de qua in hoc libro agimus, commenti fuere, ut, absolutis, quae de notione gratiae, ac de variis humanae Naturae statibus praemittenda erant, necesse fuerit, maxime ad detegendas eorum versutias, ut simpliciores deciperent, specialem tractatum super eorum erroribus instituere. Sit igitur

## CAPUT I.

### *De haeresi Pelagiana.*

Pelagius e majori Britannia, seu Anglia ortus, vocatus propterea a D. Prospero in Carmine de ingratis *Coluber Britannus*, professione Monachus ex illo Monachorum genere, ut scribit Garnerius, qui veste ad pietatem composita domi vivebant, quales fuerunt Pammachius, et Paulinus, moribus etiam, ut scribit D. Aug. *l. de gestis Pelagii c.* 22., Monasticae professioni apparenter consentaneis: simulatione tandem deposita, haereseos, de qua agendum suscipimus, Auctor fuit, cujus caeterum praeformatorem habuit Origenem, quem *haeresum omnium Hydram* Theophilus Alex. nuncupat ep. 1. Pasch., et *Pelagiani erroris Principem* D. Hieronymus in ep. ad Ctesiphontem, ubi etiam Pelagium alloquens, *Doctrina tua* ( inquit ) *Origenis ramusculus est*; nec non Rufinum, ut scribit laud. D. Aug *l. de pecc. orig. c.* 4., ac Theodorum Mopsuestenum, ut testatur Marius Mercator in Commonitorio. Ingenio fuit ex eodem D. Aug. l. de Nat. et gr. c. 6., et 35., *fortissimus*, *celerrimus*, *et acutissimus*; ac adeo mirus fallendi artifex, ut fraudibus, dolis, ambagibus, et argutiis, quibus errores suos involvit, oculatissimos ipsos falleret, quemadmodum prae aliis Patres Diospoli, quae est Palaestinae Urbs, adversus eum congregatos anno 415., turpi aequivocatione fefellit.

Celebriores vero ejus discipuli fuerunt 1.° Coelestius, patria Campanus, professione et ipse, ut scribit idem Garnerius, ex illo Monachorum genere, qui Monastico incedebant habitu, sed errones erant, suique juris, ac demum Pelagio similis tum ingenio, tum arte fallendi, adeo ut de sua fide interrogatus in Synodo Romae habita a Zosimo anno 417., huic callide obreperit, ejusque libellum, ac Pelagii litteras benigno in sensu exponi fecerit. Anno tamen sequenti cum Africani Praesules tum ejus, tum Pelagii fraudes Zosimo detexissent, eos hic, eorumque dogmata, alia Romae coacta Synodo, damnavit; quare Coelestius, ne debitas lueret ejus nequitiae poenas, Roma se fugâ subduxit. 2.° Iulianus patria Appulus, Episcopus Eclanensis, sacrisque, et profanis litteris excultus; de quo tamen D. Augustinus adeo triumphum egit, ut Episcopatu ejus-

eius, atque Ecclesiae, et Imperatorum telis percussus, coactus fuerit profugus huc, atque illuc migrare, donec Siciliam appulsus, et in ignobili quodam vico ludimagistri munus exercens, miserrime obiit. Ait quidem de eo Continuator Tournely, quod post Zosimi decretum Pelagianam haeresim temperaverit, atque ad Semipelagianismum deflexerit. Numquam tamen a Pelagii doctrina primitus tradita eum recessisse, Tournelius contendit. 3.º Annianus, natione Italus, Ecclesiae Celedensis Diaconus, ac tum latinae, tum graecae linguae peritissimus, quibus magnam Pelagio operam praestitit.

Suos porro errores disseminare coepit Pelagius circa annum 405., eosque non minus, quam ad viginti usque recenset D. Aug. ep. 106., nunc 186. ad Paulinum, aliisque adversus eum editis operibus, ac videri possunt apud Laur. Berti *De Theol. Discipl. l. 14. c. 2.*. Praecipui tamen omnium fuerunt circa peccatum originale, de quo adversus eum disseruimus *lib. de pecc. tract.* 1., ac circa necessitatem, et gratuitatem gratiae, de quo heic loci agendum. Et quidem 1.º, ipso gratiae nomine posthabito, satis virium, inquit, penes hominem esse, ut per liberum arbitrium absque ullo supernaturali auxilio et omnia Dei mandata impleret, et irruentes tentationes vinceret, et pravas habitudines eradicaret, et perfectam demum sanctitatem ad impeccantiam usque, aeternamque salutem consequeretur.

Hic primus status suae haereseos; exhorrescentibus namque omnibus Catholicis statim ac evulgari coepit, gratiae necessitatem se non negasse, inquit intelligendo per gratiam ipsam naturam libertate arbitrii praeditam, quippe quam homo nullis praecedentibus meritis a Deo accepit, et pro qua indesinenies Deo tenetur gratias reddere: *Cum dico liberum hominis arbitrium* ( ita versipellis vir apud D. Aug. serm. 26., alias 11. de verb. Ap. ), *vide, quia hominis dico. Quid deinde? Hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, et homini Deus liberum donavit arbitrium, quidquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiae debetur, nisi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio?* Et l. de Nat., et gr. c. 51. . *Ideo Dei gratiae tribuit* ( Pelagius ) *non peccandi possibilitatem, quia ejus Naturae Auctor est, cui*

*possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.* En proinde alter haeresis Pelagii status.

Statim tamen illum contrivit D. Aug., id inter alia illi objiciens, quod si tota Dei gratia in Natura, et libero arbitrio consisteret, id profecto, quod discernit bonos a malis, commune utrisque esset, nec proinde Deus ejusmodi discretionis Auctor dicendus esset. Quiduam autem illis Apostoli verbis magis adversum: *Quis te discernit?* Hinc 3.° Pelagius admittere se ait, praeter Naturam, et liberum arbitrium, legem quoque, atque doctrinam; ideoque hominem viam salutis terere *non sine ope Divina* ( ut scribit D. Aug. l. de spir. et litt. c. 2. ), *quia et hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, et dando praecepta, ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum, et in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis, quid evitare, et quid appetere debeat.*

At item hunc ejus haeresis statum illico contrivit idem D. Aug., objiciens prae aliis Pelagio illa Apostoli verba ad Gal. c. 2. *Si per legem justitia, gratis Christus mortuus est*, et ante ipsius mortem namque tum libero arbitrio, tum lege, ac doctrina homo fruebatur. Quis autem dixerit, gratis Christum mortuum esse? Hinc 4.° Pelagius libero arbitrio, legi, ac doctrinae addidit peccatorum remissionem per fidem Jesu Christi; inquiens tamen, ut idem D. Aug. refert l. de gr., et lib. arb. c. 13., *gratiam Dei, quae data est per fidem Iesu Christi, quae neque lex est, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata praeterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur*; nec non etiam Christi exempla, ajens scilicet, ut scribit idem S. D. l. de gr. Christi c. 2., *nobis in eo Christum ad non peccandum praebuisse adjutorium, quia ipse juste vivendo, justeque docendo reliquit exemplum. . . ut in omni conversatione nostra intueamur Divinae conversationis exemplum.*

Et hunc tamen ejus haeresis statum idem S. D. contrivit, sic praesertim arguens, quod si tota Dei gratia his quoque absolveretur, profecto cum et fides Jesu Christi, et Divina ejus exempla penes nos sint, nec ulla adsit necessitas petendi id, quod possidetur, nulla nobis inesset orandi necessitas. Id autem quis dicere audeat, cum nihil Christus instantius imposuerit, quam oran-

di praeceptum? Hinc 5.° Pelagius praefatis omnibus addidit interiores illustrationes, ad quas obtinendas ait, esse orandum, ut nempe Deus ea, quae scienda, et facienda sunt, nobis aperiat: *Ipsas quoque orationes* ( ita quoque de eo D. Aug. l. de gr. Christi c. 41. ) *ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam Divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, et actione perficiat.* Quod si idem S Doctor ait c. 7., quod numquam Pelagius *recessit a commendatione legis, et doctrinae*, id ideo inquit, quia quaevis internae illustrationis gratia cum non efficiat, nisi tantum, ut quae scienda, et facienda sunt, noverimus, absque eo quod voluntatem adjuvet ad bonum, nihil proinde a lege, et doctrina in re differt, sed *ad doctrinam* ( ut subdit c. 10. ) *pertinet etiam, quod sapientia revelatur, et cum suadetur omne, quod bonum est.*

Has vero interiores illustrationes, ajunt quidam, quos inter Gabriel Antoine, quod Pelagius nonnisi ad facilius agendum bonum admisit. Oppositum tamen docet Laur. Berti *De Theol. Discipl. l.* 14. *c.* 5. *prop.* 3.; cum enim deinde D. Aug. de eo dixerit c. 47. *Si consenserit etiam ipsam voluntatem, et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, et agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum, qua nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quae ab illo est, nihil de adjutorio gratiae Dei, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquetur*, nihil profecto clarius, quam quod Pelagius nihil ab Augustino dissentiebat quoad gratiam, quae intellectui proponat, quae scienda, et agenda sunt. Hanc autem propugnabat S. Doctor, esse simpliciter necessariam; ait namque l. de Nat., et gr. c. 20., quod *sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, non potest recte vivere*: Aeque ergo necessariam eam quoque Pelagius admiserat. En ergo quintus haeresis Pelagii status, in quo nempe haeresiarcha libero arbitrio, legi, ac doctrinae, nec non peccatorum remissioni per fidem Jesu Christi, ac hujus exemplis addidit quoque interiores illustrationes, quibus Deus homini aperiat, quae scire, et agere oporteat.

Sed et eum contrivit D. Aug., sic praesertim arguens, quod si etiam his omnibus tota Dei gratia absolveretur, ut quid per Ezechielem c. 36. Deus dixisset: *Dabo vobis cor novum . . . Et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini?* Ut quid scripsisset Ap. ad Philipp. c. 2. *Deus est, qui operatur in nobis vello, et perficere pro bona voluntate?* His ergo, aliisque actus momentis ipsam demum voluntatis, et actionis gratiam admisit; at 1.° eam non absolute, et simpliciter necessariam, ut bene velimus, et agamus, sed tantum, ut facilius velimus, et operemur bonum. Ac 2.° non gratis dari, sed naturae meritis rependi. Quoad 1.m enim, ita D. Aug. l. de haeresibus, quem sub vitae finem edidit, c. 78. *Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret gratiae Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum jubentur arbitrium, facilius implere possent per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia Divina facere jussa. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit nostra natura.* Quid clarius, quam quod gratiam absolute necessariam ad bonum pertinaciter negavit Pelagius, liberum arbitrium, inquiens „etiam valere ad bonum absque gratia, ac tantum hanc illi prodesse ad illud *facilius* implendum? Patet ergo propositum. Accedit quod idem S. D. addit l. de gr. Chr. c. 26. *Gratiam Dei* (inquit), *qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse, non dubitet. Non quomodo iste, qui cum dicit propterea dari gratiam, ut quod a Deo praecipitur, facilius impleatur, quid de illa sentiat, satis ostendit; scilicet, quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus praecipitur, potest.* Per gratiam autem, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, sine qua nihil boni, quod ad pietatem, veramque justitiam pertinet, fieri potest, nonnisi

voluntatis gratiam intelligi, evidens est: Compulsus ergo ipsam tandem voluntatis gratiam Pelagius admisit, sin absolute, et simpliciter necessariam, ut bene velimus, et agamus, ejusmodi tamen, ut facilius velimus, et operemur bonum. Quod et demum confirmatur ex eo quod addit idem S. Doctor c. 29., ubi, recitatis Pelagii verbis, quod gratia nobis detur, ut *id, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam*, statim pergit: *Tolle* facilius, *et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus.* Quamvis autem Pelagius inde sustulisset *facilius*, neque etiam sensisset catholice quoad necessitatem gratiae, de qua S. Doctor illic loci loquebatur, si voluntatis gratiam exclusisset: Non ergo illam amplius exclusit, sed, ut supra diximus, sin absolute, et simpliciter necessariam, ut bene velimus, et agamus, utique tamen eam tandem admisit, ut facilius velimus, et operemur bonum.

Quam et dixit, non gratis dari, sed naturae meritis rependi, ut idem quoque S. Doctor testatur ibid. c. 31., ubi: *Manifestum est* (inquit), *eum dicere gratiam secundum merita dari; nam cum eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero arbitrio, et ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur.*

Hic ergo sistit Pelagius, quod nempe, etsi tandem admiserit ipsam voluntatis, et actionis gratiam, eam tamen nonnisi, ut *facilius* velimus, et operemur bonum, admisit, nec gratis dari, inquit, sed naturae meritis rependi. Hinc quoque l. sup. cit. ait D. Augustinus, quod *numquam recessit a commendatione legis, et doctrinae*: numquam enim agnovit veram voluntatis gratiam, cujus spiritus, et virtus ita homini necessaria est, ut sine illa nihil umquam boni velle, ac operari possit, et quae hoc ipso, quod daretur naturae meritis, jam non amplius esset gratia, sed debitum: cumque numquam agnoverit veram voluntatis gratiam, numquam etiam recessit a commendatione legis, et doctrinae, ad quam revocantur, ut ex eodem Aug. diximus, interiores etiam illustrationes.

Fidei autem vexillum adversus Pelagii errores extulerunt prae aliis Augustinus, Hieronymus, Orosius, Sixtus, et Marius Mercator, quorum primus omnium maxime: eosque proscripserunt viginti quatuor Concilia intra novemdecim annorum spatium celebrata, ex quibus quarto

Carthagine coactum coaluit ex 214. Episcopis, quos inter sedit etiam D. Aug., et ultimum fuit Generale Ephesinum, ubi act. 5. Pelagiani simul cum Nestorianis confixi fuere. Item Innocentius I., habita Romae Synodo, ac tribus epistolis ab eo datis ad Praesules Africanos, atque a D. Aug. memoratis *serm.* 131. *De Verbis Ap.* solemni ad Carthaginensem populum concione illis verbis: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est*: Itemque Zosimus Innocentii Successor, qui certior factus ab Africanis Episcopis de fraudibus Pelagii, et Coelestii, aliam Romae coegit Synodum, ac eos, eorumque errores *repetita auctoritate* damnavit, ut scribit laud. S. D. *l.* 2. *ad Bonifac. c.* 3., et *l.* 1. *cont. Julian. c.* 4., data insuper ea de re *Tractoria* epistola ab omnibus Christiani Orbis Episcopis subscribenda, cuique omnes de facto subscripserunt, exceptis tantum octodecim, quorum dux Julianus, qui ab ea ad Oecumenicam Synodum appellaverunt, quin tamen ob ejusmodi appellationem debitas eorum pertinaciae poenas excommunicationis, depositionis, et expulsionis e suis sedibus effugerint, ut idem D. Aug. advertit *l.* 4. *ad Bonifac. c. ult.*, et *l.* 3. *cont. Iulian. c.* 3. Quod et testatur Marius Mercator in Commonit. c. 3. *Cui Tractoriae* ( inquiens ) *Julianus, et reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum Imperialibus legibus, sed et Sacerdotalibus statutis depositi, atque exauctorati ex omni Italia deturbati sunt.* Idem demum post Innocentium, et Zosimum praestitere Bonifacius Zosimi Successor, Sixtus, Coelestinus, Leo, ac Gelasius: ac ita haeresis Pelagiana Conciliorum Decretis, Summorum Pontificum Constitutionibus, ac Patrum Scriptis, adnitentibus quoque Edictis Imperatorum Honorii, Constantii, Valentiniani III., ac Theodosii Junioris, prostrata fuit.

Superest modo, ut videamus 1.°, an talem a Pelagio quaesierit D. Augustinus voluntatis gratiam ad bene agendum necessariam, ut illi voluntas nequeat resistere? Circa quod affirmantem sententiam docet Jansenius; negantem omnes Catholici. 2.° an saltem illam ab eo quaesierit suapte natura efficacem? Circa quod hinc, atque inde in Scholis disputatur, aliis affirmantibus, aliisque negantibus. 3.° an Pelagius nedum gratiam actualem ad

bene agendum necessariam , sed et gratiam habitualem negaverit ? Circa quod Thomasinus, aliique pauci contendunt , gratiae habitualis confessionem ipsam fuisse, quam a Pelagio D. Augustinus quaesivit. Alii inquiunt , quod utriusque confessionem ab eo postulavit. Alii demum , quod solius gratiae actualis ad quodcumque bonum salutiferum sive perficiendum, sive inchoandum necessariae confessio totus fuit controversiae cardo, pro qua S. D. adversus Pelagianos, ac Semipelagianos decertavit. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Numquam D. Augustinus talem a Pelagio quaesivit voluntatis gratiam , cui voluntas nequeat resistere. Ita communiter, et certo.

Prob. Et 1.° ex *l. 2. De Nupt.*, *et concup. c.* 3. , ubi adversus Julianum expresse asserit , manere sub gratia liberum hominis arbitrium : *Non itaque* ( inquiens ) *sicut te, atque alios fallens loqueris, si quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Coelestianus, et Pelagianus vocatur ; istud quippe Catholica fides dicit* ( quod et scribit D. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem ). *Sed si quis ad colendum recte Deum, sine ipsius adjutorio, dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Coelestianus , et Pelagianus vocatur.* Quid clarius , quam quod S. Doctor non id reprehendebat in Pelagianis, quod liberi arbitrii indifferentiam assererent , sed quod docerent, ad colendum recte Deum sine ipsius adjutorio illud valere ? Hinc quoque scribit in l. de gestis Pelagii c. 14 , quod cum Pelagius in Concilio Diospolitano visus esset agnoscere absolutam Dei gratiae necessitatem ad omnes pietatis actus, ac nullum Patribus obrepserit dubium de mala ejus fide, quod per gratiam Dei nonnisi liberum arbitrium , legem , et doctrinam intelligeret , tamquam Catholicus , quin aliud ab eo exigerent , dimissus fuit, *quia nempe* ( pergit S. Doctor ) *satis evidenter apparebat, eam illum dicere gratiam, quae in Christi Ecclesia praedicatur* : Nec aliam ergo ipsum ab eo quaesivisse voluntatis gratiam , nisi quae absolute sit necessaria ad omnes pietatis actus, perspicuum est.

2.° ex eo quod ait l. de gr. Christi c. 47. , quod *ubi de libero arbitrio voluntatis , et de Dei gratia disseritur , ita est ista quaestio ad discernendum difficilis , ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur ; quando autem asseritur Dei gratia , li-*

*berum arbitrium putetur auferri*. Et l. 2. contra Petilianum c. 84. *Si tibi proponam quaestionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu penetrare pauci valent.* Quo loco advertendum, quam luculenter rursum asserat liberum hominis arbitrium sub gratia. In hypothesi autem, quod talem a Pelagio quaesivisset voluntatis gratiam, cui voluntas nequeat resistere, et sibi contradixisset, ajendo, quod dum Deus Pater attrahit homines per gratiam suam ad Filium, eos simul in libero dimittit arbitrio, ut quis, quod voluerit, eligat; et nulla adesset quaestio, quomodonam gratia cohaereat cum libero hominis arbitrio, sed ratum, fixumque esset, nullatenus ambo cohaerere, quin aliquis intellectu valeret percipere, quomodonam sub gratia necessitante liberum consisteret arbitrium, eodem plane modo, quo nemo potest intellectu percipere, idem simul esse, et non esse: Non ergo talem S. Doctor a Pelagio quaesivit voluntatis gratiam, cui voluntas nequeat resistere.

3°. ex eo quod ait l. cit. de gr. Chr., quod si Pelagius sibi consensisset, *non solam possibilitatem, sed ipsam etiam voluntatem, et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, et agamus; eamque esse gratiam per Jesum Christum*, nihil de adjutorio gratiae Dei inter eos controversiae superfuisset. Gratia autem, quae praeveniat, et usque in finem voluntatem adjuvet ad bonum, eo ipso, quin sit necessitans, jam est gratia, quae volnntatem, et actionem divinitus adjuvat: Neque ergo aliud S. Doctor a Pelagio quaesivit.

4.° ex eo quod gratia, cujus confessionem postulabat D. Augustinus juxta fidem catholicam a Pelagio, ipsum, idemque est fidei dogma, quod Ecclesia contra eum definiit, quam proinde gratiam agnoscendam ab eo esse, ajebat S. Doctor l. de gr. Chr. c. 10., *si non tantum vocari, verum etiam vellet esse Christianus*; ac quotquot eam rejicerent, *se inimicos catholicae fidei, et Dei beneficiis ingratos profiteri*, ajebat Innoc. I. epistola ad Patres Carthaginenses inter Augustinianas 181., alias 91.. Gratia autem, cui voluntas nequeat resistere, sed eam ita ad bonum determinet, ut illi non relinquat potesta-

tem sese ad utrumlibet flectendi, fidei catholicae adversatur, fuitque a Trid. inusta anathematis nota sess. 6, can. 4. ita ajente: *Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum, non posse dissentire, si velit, Deo excitanti, atque vocanti, anathema sit*: Procul ergo dubio habendum, numquam D. Augustinum id genus gratiae confessionem a Pelagio quaesivisse.

5.° demum cum fides sit immutabilis, si talem proinde D. Augustinus a Pelagio quaesivisset juxta fidem catholicam voluntatis gratiam, cui voluntas nequeat resistere, id modo etiam fides Catholica exigeret credendum. Nedum autem id non exigit credendum, verum etiam, tamquam manifestam haeresim, anathemate inurit: Numquam ergo ejusmodi gratiae confessionem quaesivisse D. Augustinum a Pelagio, magis, magisque perspicuum est.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Quod passim D. Augustino Pelagiani objiciebant, haec duo erant; et quod scilicet per gratiam, cujus confessionem ab iis quaerebat, liberum hominis perimebatur arbitrium, et quod Manichaeorum fatum invehebatur. Neutrum autem objicere illi poterant, nisi gratiae necessitantis confessionem ab iis quaesivisset: Hanc ergo ab illis quaesivisse, est dicendum; quae hominem nempe necessario, atque invincibiliter ad bonum determinaret.

Resp. neg. min.; objiciebant namque illi, quod per gratiam, cujus confessionem ab illis quaerebat, liberum hominis perimebatur arbitrium, cum sibi in animum inducere nollent, quod homo ad implendam legem, omnesque, ac singulos pietatis actus exercendos sit liber, ac simul egeat etiam ad boni initium gratia, quae illum praeveniat, et usque in finem adjuvet, et quae nullis praecedentibus meritis conferatur: *In hoc* (ita S. Doctor l. de gestis Pelagii c. ult.) *tota haeresis ista consistit, quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. Quod victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Illi vero objiciebant, quod fatum inveheret, *quia gratiam Dei* (ut idem S. Doctor loquitur l. 2. ad Bonifac. c. 5.) *non secundum merita nostra dicimus dari, sed secun-*

*dum ipsius misericordiosissimam voluntatem.* Et paullo post : *Nos assertores fati esse criminantur , quia non dicimus gratiam Dei secundum merita nostra dari* ; existimabant quippe , ut scribit l. 4. cont. Iulian. c. 8., fato fieri , quod merito non fit. Quod et demum Manichaeorum fatum vocabant : cum enim assereret S. Doctor, homines concipi originali culpa infectos , ideoque ipsa voluntatis , et actionis gratia in praesenti statu egere , sequi exinde , ajebant , humanam Naturam malam juxta eum a Deo creari ; quod erat Manichaeorum error. En quare praefata duo illi objiciebant ex gratiae confessione , quam ab iis quaerebat; non vero, quia gratiae necessitantis confessionem quaereret.

Inst. , quod gratia , cui voluntas possit pro suo arbitrio consentire , vel non consentire , in ipso suo conceptu simultaneitatem praefert humanae libertatis sub gratia. Nullatenus autem credibile est , quod Pelagiani , nisi ingenio hebetes plane essent , potuissent tamen Augustino objicecere , quod per ejusmodi gratiam liberum perimeretur arbitrium : Neque ergo ullatenus credibile , quod ejusmodi gratiae confessionem ab iis quaereret , sed dicendum , quod ideo illi id objiciebant , quia gratiae necessitantis confessionem ab iis quaerebat.

Resp. dist. min. ; credibile scilicet non esse , quod Pelagiani potuissent Augustino objicere , quod per gratiam , cui voluntas pro suo arbitrio possit consentire , vel non consentire , liberum perimeretur arbitrium , sub hoc praecise respectu spectata , quod voluntas possit ei consentire , vel non consentire ; non vero spectata sub aliis respectibus , quos supra innuimus. Offendebat scilicet illos 1.° ejus universalis necessitas ad ipsum boni initium ; cujus respectu sic arguebant : Quidnam gratia , quae omnia prorsus merita praeveniat , nisi gratia , quae inspiret boni voluntatem ipsismet nolentibus , ideoque gratia cogens ad bonum , cum nihil aliud sit coactio passive sumpta , nisi actio , quae fiat , nobis nolentibus? Nemo autem vocare in dubium potest , quod coactio libertatem destruit : Et gratia igitur , quae ad ipsum boni initium necessaria dicatur. 2.° ipsa gratiae necessitas ad implendam legem , omnesque , et singulos pietatis actus ; cujus respectu sic arguebant : Ut homo ad actum liber dicatur, necesse est , quod in ejus sit potestate illum ponere , vel non ponere. Si autem ad implendam legem , ac pietatis

actus exercendos gratia et praeveniente, et usque in finem adjuvante egeret, non esset in ejus potestate legem implere, ac pie vivere: Neque ergo ad id esset liber; quo posito, neque etiam, quum vinceretur a peccato, ipse esset, qui vinceretur, sed Dei gratia, quae illi auxilio fuit, nec tamen eum a peccato eruit; neque Deus hominem pro bonis operibus coronaret, vel puniret pro malis, sed in utroque suum coronaret, vel damnaret auxilium. 3.° ipsius gratiae gratuitas; cujus respectu sic arguebant: Cum libertas reposita sit in potestate ad utrumlibet oppositorum se flectendi, deficiente idcirco, quod ad utrumlibet oppositorum est absolute necessarium, deest quoque ad utrumlibet libertas. Si autem gratia esset donum omnino gratuitum, quod ipsum scilicet naturae debitum excluderet, nec daretur ad naturae exigentiam, non haberet homo penes se quidquid est absolute necessarium ad bonum: Ubinam ergo in tali hypothesi ejus ad bonum libertas? En respectus, sub quibus Pelagiani D. Augustino objiciebant, quod per gratiae confessionem, quam ab iis quaerebat, liberum perimebatur arbitrium. Quorum tamen argutationibus respondetur quoad 1 m dist. maj., quod scilicet gratia praeveniens boni voluntatem inspirat ipsis nolentibus in signo priori, non vero in eodem signo ipsius praevenientis gratiae, cujus virtute homo ex nolente fit volens. Ubinam igitur coactio, quae tunc habetur, quum actio oritur a principio extrinseco, resistente eo, qui vim patitur? Quoad 2.m dist. etiam min.; quod nempe ut homo ad actum liber dicatur, necesse est, quod in ejus sit potestate illum ponere, vel non ponere, habitis omnibus ad actum requisitis, non vero, quum desint requisita ad actum; est enim de libertatis essentia, quod, habitis omnibus ad agendum requisitis, ad actum aeque, ac non actum se flectere valeat, non vero, quod etiam id valeat, quum ad agendum requisita deficiunt. Hinc quoque quum a Deo adjutus, ne a peccato vincatur, si ipse velit, peccato consentit, ipsi tribuendum est peccatum, ac juste a Deo punitur, quia ejus gratiam neglexit, ne a peccato vinceretur: quumque ejusdem ope bonum operatus fuerit, coronat quidem Deus dona sua, sed simul ipsum hominem coronat ob ipsius cooperationem. Quoad 3.m dist. pariter maj.; quod nempe libertas reposita quidem est in potestate ad utrumlibet oppositorum se flectendi, habitis omnibus ad utrumlibet

requisitis, non vero secus, ex ratione supra allata. Hinc cum primum omnium requisitorum ad quodvis bonum salutare sit Dei gratia, liber homo est, dum illud operatur, quia Dei gratia adjutus, in ejus potestate est illi consentire, vel non consentire. Et sub expositis idcirco respectibus immerito Pelagiani Augustino objiciebant, quod per gratiae confessionem, quam ab iis quaerebat, liberum hominis arbitrium perimeretur.

Inst., adeo verum esse, quod Augustinus quaerebat a Pelagianis gratiae sub quovis respectu necessitantis confessionem, ut ipso Augustino teste l. 1. ad Bonifac. c. 18. dicerent, non minus eum velle, quam quod fateren-tur, hominem *in bonum invitum cogi*. Nullatenus autem dicere poterant, quod in bonum invitus cogeretur, nisi per gratiam sub quovis respectu necessitantem: Hanc ergo Augustinum ab iis quaesivisse, perspicuum est.

Resp. neg. cons.; per coactionem namque simplicem necessitatem eos intellexisse, quam invehi ajebant per gratiam ob respectus supra allatos, testis est ipse Iansenius, qui *l. 2. de haer. Pelag.* expresse tradit, Pelagianos promiscue sumpsisse coactionem, et necessitatem. Et sane credibile non est, viros in Philosophicis disciplinis apprime excultos, ac perspicacis ingenii, quales Pelagiani erant, ignorasse, quod ad actus elicitos nequit voluntas cogi, quin dicatur posse idem simul velle, et non velle; immo nec ad ipsos actus imperatos, utpote qui, ut recte disserit Sigism. Storchenau *Psych. p. 1. sect. 3. cap. 1. §. 112.*, existere nequeunt sine praevio actu elicito. Verba ergo Augustini in sensu diviso intelligenda sunt, ut nempe qui erat invitus, ad volendum alliciatur.

Objic. 2.º quod ideo D. Augustinus Pelagio restitit, quia ad implendam legem, aliosque pietatis actus satis esse, ajebat, adjutorium possibilitatis. Quidnam autem per ejusmodi adjutorium, nisi adjutorium, quo homo posset legem implere, aliosque exercere pietatis actus, quin ad id necessario determinetur? Ideo ergo illi S. Doctor restitit, quia ad implendam legem, aliosque pietatis actus satis esse, ajebat, adjutorium, cui homo posset pro arbitrio consentire, vel non consentire; a quo proinde confessionem quaerebat gratiae necessario determinantis.

Resp. neg. min.; per illud namque possibilitatis adjutorium non aliud Pelagium intellexisse, nisi legem, doctrinam, Christi exempla, et interiores illustrationes, di-

serte testatur S. Doctor l. de gr. Chr. c. 41. *Nullum* ( inquiens ) *auxilium gratiae credunt, qua naturae possibilitas adjuvetur, nisi in lege, atque doctrina, ita ut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissime affirmat* ( Pelagius ), *ad nihil adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam Divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, et actione perficiat.* Quibus demum, ut diximus, addidit quoque argumentorum vi compulsus adjutorium voluntatis, et operis, non tamen, tamquam absolute necessarium, atque ex Dei tantum largitate, et Misericordia agnoscendum, sed ad facilius implendam legem, atque exercendos pietatis actus, et quod Deus naturae meritis rependeret. En possibilitatis adjutorium juxta Pelagium, non vero adiutorium, cui homo possit pro arbitrio consentire, vel non consentire, quod *propriae voluntatis esse*, conceptis verbis Augustinus tradit l. de Spir., et litt. c. 34. Integer vero S. Doctoris textus consulatur *l. 2. tract.* 11. *c.* 2. *prop.* 6. *pag.* 209.

Objic. 3.°, quod gratia, quae hominem e nolente efficiat volentem, nec non cui tribuendum sit velle, et agere, ejusmodi esse debet, quae arbitrii indifferentiam in eo non relinquat; hac enim stante, haec quoque, non gratia, hominem efficeret e nolente volentem, ipsique, non gratiae tribuendum esset velle, et agere. Ejusmodi autem gratiae, confessionem D. Augustinus a Pelagio quaerebat: Ejusmodi igitur gratiae confessionem ab eo quaerebat, quae arbitrii in homine indifferentiam non relinqueret.

Resp. neg. maj.; quin enim gratia sit necessitans, utique tamen voluntatem excitando, et roborando ad bonum, ac taliter, ut diximus loco supra cit., quomodo Deus ab aeterno novit illam excitandam, ac roborandam esse, ut infallibiliter bonum vellet, jam ejusmodi est, ut hominem e nolente efficiat volentem, utque ei, tamquam causae principali, et sine qua homo impar fuisset, ut bonum vellet, et operaretur, ipsum proinde velle, et operari praecipue est tribuendum.

Inst., quod nonne effectus a duabus causis proficiscens causae tribui debet seipsam determinanti? Haec autem esset liberum arbitrium, posita gratia, quae arbitrii indifferentiam in homine relinqueret: Falsum ergo, quod sub ejusmodi gra-

tia huic velle, et agere esset tribuendum, quodque idcirco ejusmodi gratiae confessionem quaesierit D. Augustinus a Pelagio, sed quae nullam in homine arbitrii indifferentiam relinqueret.

Resp. dist. maj. ; quod nempe effectus a duabus causis proficiscens causae tribui debet seipsam determinanti, si ad effectum se determinet propria virtute, non vero si ita ad illum se determinet alterius virtute, ut sine hac nullatenus posset ad illum se determinare. Ita autem se habet hominis voluntas, quum a gratia excitata, et roborata ad bonum ejus virtute se determinat : cujus proinde virtuti, non hominis voluntati, tam volitio, quam positio actus boni, tamquam causae principali, est quoque principaliter tribuenda.

Prop. II. Neque etiam gratiae suapte natura efficacis confessionem quaesivisse D. Augustinum a Pelagio, proculdubio videtur.

Prob. Et 1.° ex illis Augustini locis, ubi S. Doctor non aliam a Pelagio exquirit confessionem, quam quod ad omnes pietatis actus, ipsumque boni initium absolute necessaria est Dei gratia, quodque haec nullis praecedentibus naturae meritis confertur, sed a mera Dei largitate, et Misericordia agnoscenda est: *Fateatur* ( ita S. D. ep. 186. , alias 106. ), *gratiam Dei, et adjutorium ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra*; quia scilicet, ut in initio dixerat ejusdem epistolae, *gratia, quam fides vera, et catholica tenet Ecclesia . : . sic adjuvat, ut nisi adjuvet, nihil pietatis, atque justitiae, sive in opere, sive etiam in voluntate habere possumus* Quod et confirmans l. de dono persev. c. 2., nihil aliud, scribit, Ecclesiam semper docuisse circa gratiam contra Pelagianos, *quam quod, ipsa necessaria sit, et non detur secundum merita*. En proinde, quod S. Doctor ab iis quoque Ecclesiae nomine semper quaesivit circa gratiam; quamvis enim, ut advertimus *l. 2. tract. 11. cap. 2 prop. 6. resp. ad* 1., loquatur ut plurimum de gratia, quatenus cum effectu conjuncta, numquam tamen quaestionem agit, an cum effectu conjuncta sit absolute, et ex natura rei, vel ex consensu voluntatis, sed tantum apposite ad ejus disputationem cum Pelagianis, quae non erat de homine speculative, et otiose considerato, sed actualiter operante, necesse illi erat ostendere, quod dum homo actu operatur

bonum, nonnisi Deo auctori illud tribuendum est, non quia gratia, cujus confessionem ab iis postulabat Ecclesiae nomine, ejusmodi esset, qua semper homo operatur bonum, sed quia in hypothesi, quod operetur bonum, nonnisi gratia principalis ejus causa dicenda est, quippe sine qua illud nec operatus esset. nec operari potuisset. Quod si gratiae suapte natura efficacis confessio extranea prorsus erat ab ejus disputatione cum Pelagianis, ejus quoque ab illis confessionem quaerere non poterat, quin e quaestionis statu exiret; quod non sine injuria de eo diceretur: Numquam ergo eam ab illis quaesivisse, consequens est.

2.º ex eo, quod gratia, cujus confessionem a Pelagio quaerebat, illa est, sine qua homo nec legem implere potest, nec quidquam boni in ordine ad salutem operari, ut ex omnibus Augustini testimoniis supra allatis evidenter patet. Ejusmodi autem non est gratia suapte natura efficax, secus namque esset dicendum, quod cum justis decedentibus e justitia desit gratia efficax, deesset quoque ipsis gratia, qua possent legem implere, et bonum operari; quod dictu nefas: Neque ergo ejusmodi gratiae confessionem ab eo Augustinum quaesivisse, est dicendum.

3.º ex fidei immutabilitate; cum enim fides, ut diximus, sit immutabilis, quidquid proinde S. Doctor a Pelagio quaesivit, ut juxta Ecclesiae fidem fateretur, aeque et modo Ecclesiae fides esse debet. Sola autem gratiae tum intellectus, tum voluntatis necessitas, et gratuitas est modo Ecclesiae fides; quod vero suapte natura, vel proxime, et in actu secundo ex voluntatis consensu sit efficax, hinc, indeque in Ecclesia disputatur, quin ulli fas sit, alteram partem aliqua vel haereseos, vel erroris nota inurere: Et sola igitur gratiae tum intellectus, tum voluntatis necessitas, et gratuitas, non vero ejus ex se efficacia, id fuit, quod S. Doctor quaesivit a Pelagio, ut juxta Ecclesiae fidem fateretur.

4.º ex D. Augustini verbis allatis *l.* 2. *tract.* 11. *cap.* 2. *prop.* 6. *pag,* 209., quibus aperte tradere videtur, gratiae efficaciam proxime, et in actu secundo non esse, nisi ex voluntatis consensu.

5.º demum ex iis, quibus ibidem respondimus illis Augustini testimoniis, quae ex adverso objiciuntur.

**Prop. III.** Habitualem, seu sanctificantem gratiam

agnovit Pelagius; non omnino tamen, quemadmodum necesse est juxta fidem catholicam eam confiteri: de qua idcirco non fuit praecipua inter eum, et D. Augustinum quaestio. Ita communius.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex eo quod parvulos baptizandos esse, ajebat, eodem D. Aug. teste *l. 1. cont. Iulian. c.* 6., sin ut illis remitteretur originale peccatum, quod in iis non agnoscebat, utique tamen, ut fierent sancti, et justi, et per id filii, et haeredes, nec non fratres, cohaeredes, et membra Christi, ac Templa, et organa Spiritus Sancti, usurpans quoque, ac sua faciens ad id opus verba, quae de baptizatis habet Chrysostomus in homilia de iisdem: *Non enim tantum sunt liberi, sed et Sancti; non tantum sancti, sed et justi; non solum justi, sed et filii; non solum filii, sed et haeredes; non solum haeredes, sed et fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed et cohaeredes: non solum cohaeredes, sed et membra; non tantum membra, sed et Templum; non tantum Templum, sed et organa Spiritus.* Quibusnam autem clarioribus verbis poterat gratia habitualis ab eo exprimi? Eam ergo Pelagium agnovisse, consequens est.

2.° ex eo, quod ajebat, eodem Aug. teste l. de gr. Chr. c. 37., quod per remissionem peccatorum *natura in melius instauratur*; atque de eo addit c. 38., *nos instaurari per Christi gratiam, et in meliorem hominem renasci.* Per gratiam autem, qua natura in melius instauretur, atque in meliorem hominem renascamur, donum profecto supernaturale, atque animae inhaerens datur intelligi; idque significatur per gratiam habitualem: Rursum ergo illam Pelagium agnovisse, est dicendum.

Prob. 2. pars disertis Aug. verbis, quibus l. cit. c. 30. id asserit: *Gratiam* ( inquiens ), *qua justificamur, idest qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii, et Coelestii scriptis, quaecumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Eam autem, quemadmodum confitenda est, non confitebatur, 1.° quia et eam, ajebat, *secundum merita nostra dari*, ut scribit idem S. Doctor haer. 88. Ac 2.°, quia animam quidem exornare, ajebat, sed nullam ei virtutem infundere ad supernaturaliter operandum; cum enim doceret, in nostra potestate esse, non in Dei Misericordia, quodlibet opus salutare, ajebat consequenter, ut idem

Aug. refert l. de nat., et gr. c. 34, ad id solum valere Salvatoris gratiam, *ut ignoscat commissa praeterita, non ut adjuvet ad futura vitanda.* Hinc Conc. Milevitanum *can.* 3. definiit, per Christi gratiam non solum remitti peccata commissa, verum etiam conferri adjutorium, ne committantur; etsi enim justus opus quoque habeat ad id auxilio gratiae actualis, quam proinde David, licet justus, poscebat, *Adjutor meus esto* (ad Deum inquiens Ps. 26.), *ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus*; eamdemque ob causam ait quoque Christus Io. 10. ad Aposiolos, tametsi justos: *Sine me nihil potestis facere.* utrumque tamen fatendum, et quod nempe per gratiam habitualem adjuvatur justus, ne rursum peccet, et quod opus quoque habet ad id auxilio gratiae actualis, quia, ut disserit D. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 9., *homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitae aeternae. Alio modo indiget homo auxilio gratiae, ut a Deo moveatur ad agendum.*

Prob. 3. pars; quaenam enim 1.° praecipua erat inter Pelagium, et Augustinum quaestio, ut ex locis supra allatis abunde patet, nisi circa gratiam, quae ad omnes, ac singulos pietatis actus est absolute necessaria? Haec autem non est gratia habitualis, sed actualis, quum enim peccator ad gratiam justificationis disponitur, profecto ante illam, et sine illa ab eo eliciuntur fidei, spei, timoris, poenitentiae, aliarumque supernaturalium virtutum actus: Patet ergo propositum. 2.° quia gratia, de qua potissimum S. Doctor disputabat contra Pelagianos, passim ab eo designatur per gratiam, quae aufert cor lapideum, et dat cor carneum: quae etiam reluctantibus datur; quae ita voluntatem praevenit, ut ad ipsum fidei initium sit necessaria; qua Deus excitat, et praeparat cor hominis ad bene agendum; qua tribuit, ut mandata ejus implere valeamus; quae ipsis justificatis ita ad recte vivendum est necessaria, sicut candor lucis oculo, ut possit cernere; quae in mente est lux, et doctrina, in voluntate flamma, et pondus; quibus similia prope infinita suppeterent. Praefati autem characteres proprie, ac praecise non quidem gratiam habitualem, sed actualem designant: Neque ergo de gratia habituali, sed de actuali praecipua fuit inter Pelagium, et D. Augustinum quaestio.

Nec obstant supra allata S. Doctoris verba, quod gratiam, qua justificamur, numquam in Pelagii, et Coelestii scriptis invenire poterat. Gratia autem, qua justificamur, est gratia habitualis: Et haec igitur est dicenda, pro qua S. Doctor contra eos decertavit. Respondetur enim neg cons.; 1.° enim non aliud inde sequitur, quam quod S. Doctor de gratia nedum actuali, verum etiam habituali contra eos disputavit; quod ultro fatemur, quamvis longe saepius de habituali, quam de actuali. 2.° quia etiam de gratia actuali recte dicitur, quod per eam, sin formaliter, utique tamen dispositive justificamur. Gratiam autem actualem, quemadmodum confitenda est, numquam vel Pelagius, vel Coelestius confessi fuere.

## CAP. II.

### *De haeresi Semipelagianorum.*

Ad haeresim Pelagianorum propius accedens fuit Semipelagianorum haeresis; cum enim contra Pelagium tum peccatum originale, tum gratiae absolutam necessitatem ad quodvis opus bonum tum perficiendum, tum inchoandum profiterentur, initium tamen salutis penes nos esse, invexerunt. Istud autem salutis initium ajebant esse, ut constat ex Collat. 13. Cassiani, *credere, quae de Medico praedicantur, desiderare sanitatem, et ejus auxilium implorare*, ideoque fidem, generale quoddam sanctitatis, et bonorum operum desiderium, orandi affectum, ipsamque etiam orationem, quam proinde supernaturalibus operibus non accensuisse, testatur D. Hilarius eorum errores ad D. Aug. deferens; nam cum dixisset, quod *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse*, fatebantur, continenter pergit: *Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita, et supplici voluntate unumquemque aegrotum velle sanari . . . unde consequens putant, nullam naturam ita depravatam, ut non debeat, vel possit se velle sanari . . . nec negari gratiam, si praecedere dicatur talis voluntas, quae tantum Medicum quaerat.* Caeterum non defuisse ex Semipelagianis, qui dicerent ipsum bonorum operum initium esse a nobis absque gratia, ex aliis tum Hilarii, tum etiam D. Prosperi, ac ipsius D. Augustini testimoniis luculenter colligitur.

His addidere, perseverantiam usque in finem non esse Dei donum, nec proinde ad ejusmodi gratiam alios prae aliis fuisse ab aeterno praedestinatos. Cumque urgerentur parvulorum exemplo, ex quibus alii statim post baptismum, alii sine baptismo decedere videntur, dixerunt, id petendum esse ex praevisione operum, quae facturi essent, si ad adultam pervenissent aetatem.

Quibus positis, paucis complecti possumus totum Semipelagianorum commentum: quod nempe facienti quod in se est naturae viribus, inchoando ex se modo supra explicato propriae salutis negotium, Deus non denegat gratiam, sed infallibiliter illam confert, ejusque adjutorio infallibiliter quoque homo salutem consequitur. Hinc gratiae arcana, de quibus Apostolus ait ad Rom. c. 11. *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus*, temerario ausu fuerunt ab iis patefacta; quare enim Dei gratia, qua infallibiliter ad salutem pervenitur, huic confertur, alteri negatur? Quia nempe (ajebant) ille bono naturae bene usus ad eam meruit pervenire: alter non bene usus bono naturae, ad eam pervenire non meruit. Falsum proinde juxta eosdem, quod praedestinatio ad gratiam, et fidem sit semper gratuita; quamvis enim (ajebant) detur utraque aliquando etiam iis, qui non bene usi fuerint bono naturae, at lege ordinaria iis solum confertur, qui bene eo usi fuerint, adeo ut quamvis quoad fidem necesse sit, ut eius externa praedicatio praecesserit, hanc quoque, ajebant, illis Deum praedestinasse, quos praevidit ejus auditioni credituros, et ideo aliis non praedicari, eo quod praevidit, quia ejus auditioni credituri non essent.

Neque hic omittendum, nobis non contradixisse, eo quod l. 2. *tract.* 11. *cap.* 1. *pag.* 155. diximus, Semipelagianos admisisse interioris gratiae necessitatem ad fidem, et tantum eam negasse ad initium fidei; hic vero absolute diximus, negasse ejus necessitatem ad fidem, eamque a nobis esse, docuisse: cum enim ad fidei tantum incrementum, et augumentum admiserint interioris gratiae necessitatem, quemadmodum infra tum SS. Augustini, Prosperi, et Hilarii, tum Synodi Arausicanae testimoniis videbimus, consequens inde est, quod per initium fidei ipsa intelligenda sit fides; ad quam proinde interioris gratiae necessitatem eos negasse, laudati Patres pas-

sim illis exprobrarunt; ut ex eorumdem testimoniis perspicuum fiet.

Fuerunt autem praefatorum errorum auctores Episcopi quidam, ac Presbyteri Provinciae Lugdunensis, Arelatensis, ac praesertim Ecclesiae Massiliensis in Gallia, ex quo profectum, quod passim Semipelagiani dicerentur Massilienses; eosque ad D. Aug. detulerunt D. Prosper, et D. Hilarius, ex quibus hic fuit vir laicus, sed eruditus, nam et laicum se nuncupat in sua ad Aug. epistola, et vicissim Augustinus *c.* 1. de *Praed.* SS. suum appellat filium; Prosper vero, ut scribunt Sixtus Senensis, Possevinus, Baronius, Sigonius, Vossius, aliique, Episcopus Rheginus, quod et probant tum antiqua Breviaria Rhegiensis Ecclesiae, tum Inscriptio, quae ibi extat in Aede Carmelitarum: *Hic situs est Prosper, quo Sancto Praesule Clerus, etc.* . Augustinus vero, acceptis ab iis litteris, statim illos refellere aggressus fuit duobus libris, quorum prior *de Praed. SS.*, posterior *de dono persev.* inscribitur. Quin tamen Semipelagianismus desineret, magis progagari coepit; praefatis namque Augustini libris offensos se magis dictitantes Semipelagiani, tredecim capitula edidere, quibus contineri ajebant quiquid in illis damnandum repererant; ac licet iis D. Prosper respondisset, unus ex illis Vincentius nomine alia sexdecim capitula adversus Prosperum edidit. Eorum demum audaciam fregit Coelestinus I., data ad Episcopos Galliae epistola sub anno 432., in qua, Semipelagianorum erroribus proscriptis, D. Augustinum, ejusque doctrinam laudibus extulit: quos caeterum cum Semipelagiani disseminare non destitissent, anno rursum 529. diris eos tradidit Conc. Arausicanum II. sub Felice IV., editis canonibus 25. ex Augustini scriptis ad verbum excerptis, et ad Concilium transmissis ab ipsa Sede Apostolica, quos Concilii Patres probavere, confirmavitque sequenti anno Bonifacius II. Felicis IV. Successor, ac semper deinceps venerata est Ecclesia, tamquam fidei dogmata.

Dissimulandum non est, emicuisse inter Semipelagianos viros Sanctimoniae fama conspicuos: Cassianus namque Collationum Auctor, dictusque idcirco Collator, adversus quem scripsit D. Prosper, appellatur Sanctus a D. Greg. M. *l.* 6. *epist.* 12., ejusque memoria colitur Massiliae die 23. Junii: Faustus ex Abbate Lirinensi Episcopus Rejensis in Gallia sacris quoque Ecclesiae Gal-

licanae fastis adscriptus legitur apud Baronium *ad an. Chr. 490. n. 42.* Inter Sanctos quoque numeratur Hilarius Arelatensis, et ipse caeterum Semipelagianismi professor, quin eum, ut ostendit Norisius, abdicaverit. Fama item Sanctitatis Vincentium Lirinensem, Commonitorii Scriptorem, clarnisse, nemo Eruditorum ignorat; quem simul Semipelagianis adhaesisse, omnes, paucis immerito contradicentibus, consentiunt. Quibus et adhaeserunt Gennadius Presbyter, inquiens proinde de Augustino, quod cum multa scripsisset, in multiloquio non effugit peccatum; Honoratus Episcopus Massiliensis, Eucherius Lugdunensis, Lupus Trecensis, et ipsi fama virtutum clari. Ita quidem, sed non mirandum, cum non erraverint ex pertinacia, sed ex ignorantia, quippe quod Semipelagianismus expresse damnatus fuit a praefata Synodo Arausicana, atque ut scribit laudatus Norisius *l. 2. hist. Pelag. c. 13.*, ad haec usque tempora *citra laesae fidei crimen* propugnabatur; ac licet eorum ignorantia fuerit vincibilis, quoniam exuere illam poterant diligentiori studio, ac labore, utique tamen ejusmodi etiam ignorantia, quum est eorum, quae quis scire non tenetur, et ab haeresi, et ab ipsa culpa excusat, ut ostendimus *in tract. de consc. c. 1.*, utque docet D. Th. 1. 2. *qu. 76. art. 2.*

Prorsus tamen immerito a Calvino primum, deinde etiam a quibusdam Catholicis Semipelagianismi nota insimulatus fuit D. Joannes Chrysostomus; quamvis enim, Semipelagianismi lue nondum exorta, non uno in loco aliqua S. Doctor scripserit aliquantulum aspera, non tamen defuit pluribus in locis aperte docere, quod in omnibus prorsus in ordine ad salutem praeveniente Dei gratia indigemus, quin ad aliquid ejusmodi absque Dei gratia valeamus. Ita nempe hom. 22. in Genesim; *Quia in nostra voluntate* ( inquiens ) *totum post gratiam Dei relictum est, ideo et peccantibus supplicia proposita sunt, et bene operantibus retributiones.* Et hom. 38. *Ut scias, quod Deus non solum benefacere vult, et dona sua dare, sed solitus sit sua beneficia acceptoros facere clariores, vide, quomodo hoc et in Cananaea illa faciat . . . Neque responso dignatur eam misericors, et clementissimus Dominus, alioquin preces nostras semper praeveniens.* Et hom. 2. in c. 1. ep. 2. ad Tim. *Ex proposito suo, sola ut suae bonitatis impulsus salvos nos*

*fecit, secundum propositum suum*; inquit, *et gratiam*: Et hom. 13. in Jo. *Gratia Dei semper in beneficiis priores sibi partes vindicat.* Et hom. 71. *Sicut ego dilexi vos*, ait, *non enim vestris praecedentibus meritis debitum persolvi, sed ego incoepi.* Et hom. 12. in I. ad Cor. 4. *Igitur, quod accepisti, habes, neque hoc tantum, aut illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua haec sunt, sed Dei gratia.* Caeterisque omissis, ita demum in illa Ap. verba ad Philip. c. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere*, ubi et bona opera, et bonam ipsam voluntatem a Deo esse, expresse docet: *Propensionem* ( inquiens ) *voluntatis ipse nobis praebet, et operationem.* Quibus perpensis, poteratne S. Doctor gratiae praevenientis necessitatem significantioribus verbis exprimere? Hinc quum ait aliquando, nostrum esse incipere, ac nos primum eligere, et velle, non aliter est intelligendus, quam quod nostrum est incipere, ac nos eligere, et velle cum Dei adjutorio, cujus praevenienti gratiae nos cooperando, subsequentem gratiam Deus nobis largitur, qua progrediamur de virtute in virtutem, ac opus salutis perficiamus; quo eodem sensu dicitur Prov. 16., *Hominis est praeparare animam*: Et Ps. 22: *Misericordia tua subsequetur me*: Et Zach. 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*: Et ad Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*: Et Jacobi 4. *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis*: immo eodem sensu locutos quoque fuisse tum Graecos, tum Latinos Patres, in quorum scriptis aliquid durum hac super re reperitur, credendum est; non enim aliter scripsisset D. Augustinus ep. 186., quod ita *semper tenuit Catholica Ecclesia*; in quibus proinde si quid durum occurrit, tribuendum est tempori, quo scribebant, non adhuc scilicet Semipelagianorum haeresi exorta.

Superest modo, ut contra Jansenium, qui ut viam sterneret suae propositioni, quartae in ordine ex quinque eius propositionibus ab Ecclesia damnatis, utique, docet, Semipelagianos *admisisse gratiae interioris praevenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc fuisse haereticos, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Sit igitur

Prop. Procul dubio est, Semipelagianos non admisisse praevenientis gratiae interioris necessitatem ad ini-

tium fidei, sed docuisse, satis ad id esse liberi arbitrii vires.

Prob. Et 1.9 ex prop., quam supra exscripsimus, Jansenii, quam Innocentius X. proscripsit, tamquam falsam, et haereticam: falsam nempe quoad primam partem, haereticam quoad alteram.

Reponunt hic Janseniani 1.° quod prior propositionis pars versatur circa factum. In ejusmodi autem infallibile non est Ecclesiae judicium, nec tenemur proinde illi ex animo subjici. 2.° quod propositio damnata fuit, eo quod loquebatnr indefinite de omnibus Semipelagianis. Ex his autem non defuere, qui interioris gratiae necessitatem ad fidei initium admiserunt. 3.° quod cum Semipelagiani non aliam gratiam admiserint, nisi versatilem; ideoque voluntatis arbitrio subjectam, utique omnes praevenientis gratiae interioris necessitatem et ad initium fidei, et ad omnes pietatis actus admiserunt simul, et excluserunt, quia ejusmodi gratia voluntatem non praevenit, sed sequitur.

Sed resp. ad 1.m dist. maj., quod nempe prior Iansenianae propositionis pars versatur quidem circa factum, sed circa factum conjunctum cum dogmate, non vero circa merum factum: idque adeo verum est, ut dici nequeat, Semipelagianos admisisse gratiae interioris praevenientis necessitatem ad singulos pietatis actus, ipsumque initium fidei, quin simul dicatur, ideo fuisse haereticos, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare; posito enim, quod admiserint gratiae interioris praevenientis necessitatem et ad singulos pietatis actus, et ad fidei initium, profecto non errassent, nisi quoad modum, quo gratia simul cum homine operatur, quin ejus libertatem laedat; quod de fide est, ejusque oppositum manifeste haereticum. In factis autem ejusmodi Ecclesiam falli non posse, ac omnes teneri ejus judiciis ex animo subjici, ostendimus *l. 1. tract. 3. cap. 4. prop. 5. pag. 19*.

Ad 2.m neg. min., tum quia omnes Semipelagianos gratiae interioris praevenientis necessitatem ad initium fidei negasse, ex dicendis patebit; tum quia cum propositio damnata fuerit in sensu Iansenii, qui utique docet, aliquos ex Semipelagianis admisisse gratiae interioris praevenientis necessitatem ad initium fidei, nequit proinde non

intelligi de omnibus prorsus Semipelagianis, quin in sensu Iansenii non rejiciatur.

Ad 3.m negando, quod gratia voluntatis arbitrio subjecta non sit praeveniens; quum enim dicitur, quod ad omnes, et singulos actus supernaturalis ordinis absolute necessaria est gratia interior praeveniens, non aliud per hoc datur intelligi, quam quod voluntas nullum prorsus bonum in ordine ad salutem absque Dei gratia vel operari potest, vel etiam velle.

Prob. 2.º ex D. Aug. l. de dono persev. c. 2., quem S. Doctor contra errores Semipelagianorum praecise edidit, ac de iis ita scribit: *Qualiscumque inventa est contradictio, ut donum Dei non initium, sed augumentum fidei diceretur.* Et c. 17. de iisdem loquens, *initium fidei* (inquit), *et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad haec habenda, atque retinenda Deum operari nostras cogitationes, et voluntates, caetera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide.* Et c. 23. *Attendant ergo, quomodo fallantur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus; et hoc esse, dicunt, quod gratia praeceditur merito nostro, ut sequatur illam, cum accipimus petentes, et invenimus quaerentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere, etiam hoc Divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quaeramus, atque pulsemus.* Quod et confirmans l. de praedest. SS c. 1. ad eorum quoque errores refellendos edito, *Divina* (inquit) *testimonia, quibus fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse, ostendimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus, ex nobis quidem habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo, tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis eo merito, quo coepit a nobis.* Et c. 3. cum retulisset illa Apostoli verba: *Quid habes, quod non accepisti*, continenter subdit: *Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis.*

Accedit D. Prosper, qui profligandis Semipelagianorum erroribus totus incubuit, ac ita de iis ad Augustinum scribit ep. 225. *Ad hanc gratiam, in qua Christo renascimur, volunt, unumquemque pervenire per natura-*

*lem facultatem, petendo, quaerendo, pulsando; ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturae bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiae ope meruerit pervenire*; ubi per initialem gratiam naturalem liberi arbitrii facultatem intellexisse, gratis a Deo concessam, ex contextu patet. Et paullo infra: *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus volunt paratam vitam aeternam . . . ab his autem eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiae merito credulitatis acceperint . . . Ac sic cum duo sint, quae humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, et hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat, et voluntas hominis Divinae gratiae sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Et l. contra Collatorem c. 3. hunc, idest Cassianum arguit, quod *laudabiles motus, appetitusque virtutum nudae libertati arbitrii adscriberet.* Quibus similia habet quoque D. Hilarius, cujus testimonium initio hujus capitis retulimus.

Prob. 3.° ex Synodo II. Arausicana, quae contra grassantes Semipelagianorum errores, *si quis* ( inquit can. 25. ) *sicut augumentum, ita etiam fidei initium, ipsum piae credulitatis affectum, qua in eum credimus, qui justificat impium, et ad baptismatis regenerationem pervenimus, non per gratiae donum, idest per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, et naturaliter nobis inesse, dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* Ex quibus etiam sequitur, controversiam inter D. Augustinum, et Semipelagianos non fuisse, ut contendit Iansenius, de gratia necessitante, sed de necessitate gratiae interioris praevenientis ad ipsum etiam fidei, et cujusvis actus salutaris initium.

Allatis quidem Augustini, et Prosperi testimoniis, sicut et Canoni Arausicano reponit Yprensis, quod dum inquiunt, Semipelagianos docuisse, quod ad fidei initium, nec non ad petendum, quaerendum, pulsandum sufficit liberum arbitrium, per istud non merum liberum arbitrium, sed gratia versatilis, utpote libertati arbitrii subjecta, intelligenda est; non enim infrequens est apud Augustinum versatilem gratiam ejusmodi nomine appellare; ut quum ait l. de corrept., et gr. c.

10. de Angelis Sanctis, quod *per liberum arbitrium in veritate steterunt.*

Sed prorsus immerito; 1.° enim quod Angeli boni in veritate steterint, disertis verbis tradit Augustinus *l.* 12. *De Civ. Dei c.* 9., fuisse Dei donum, ideoque ex ejus gratia; ejusque testimonium *tract.* 1. *cap.* 2. *prop.* 5. *obj*, 2. *pag.* 40. adduximus. Inquiens ergo, quod Semipelagiani negabant fidei initium esse donum Dei, hoc ipso asserit, quod ad illud merum hominis arbitrium absque ulla Dei gratia satis esse, arbitrabantur. 2.° quia dum *l. de praed. SS. c.* 3. scribit, sese etiam errore Semipelagianorum aliquando laborasse, in ea tunc asserit fuisse sententia, quod ad fidem nonnisi praeconio veritatis homo egerei, ideoque nulla interiori gratia: 3.° ex disertis D. Prosperi verbis l. contra Collatorem c. 3., ait enim, Semipelagianos *ipsos laudabiles motus, appetitusque virtutum, remota Dei gratia, nudae libertati adscripsisse.* Quid disertius? Si nudae libertati, ubinam cuivis interiori gratiae locus?

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod D. Aug. l. de praed. SS. c. 1. de Semipelagianis scribit: *Pervenerunt etiam, ut praeveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse, consentiant.* Nonne autem bona opera et fides, et oratio, et quidquid ad salutem ducit? Utique ergo necessitatem ad ea interioris praevenientis gratiae agnoverunt.

Resp. dist. min.; quod nempe utique sunt bona opera in rei veritate, non vero in eorum sententia, ut expresse D. Hilarius de eorum erroribus apprime conscius testatur in sua ad Aug. epistola: *Magnae enim* (inquiens) *alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterritum, et supplici voluntate unumquemque aegrotum velle sanari.* Quod et de fide arbitratos esse, ex Augustini, et Prosperi testimoniis supra allatis manifestum est, incrementum quidem fidei arbitrantes ex Deo esse, non vero ipsius initium.

Objic. 2.° quod D. Prosper ad Aug. scribens de iisdem ait; juxta eorum doctrinam nempe, *Deum eos praedestinare in Regnum suum, quos gratis vocatos di-*

*gnos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse, praeviderit.* Quid clarius, quam quod vocationem ad fidem non conatum naturae, sed Dei gratiam esse, fatebantur? Ita igitur. Acceditque, quod de iisdem addit: *Nec considerant, se gratiam Dei, quam comitem, non praeviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant, esse praeventas.* Negabant igitur, non quidem necessitatem gratiae interioris praevenientis ad quaevis opera salutaria, ideoque etiam ad fidem, sed ejusmodi solum, quae libertatis arbitrio non subderetur, idest necessitantis.

Resp. ad 1.m dist. min.; quod nempe fatebantur, esse Dei gratiam vocationem externam ad fidem, idest Evangelii praedicationem, non vero ipsam fidem, quippe quod per naturalem facultatem hominem juxta eosdem Evangelio credere, idem D. Prosper testatur. Immo nec ipsam Evangelii praedicationem ajebant esse prorsus gratuitam; iis enim asserebant, quod Deus ab aeterno decreverat Evangelium praedicari, quos praeviderat illius praedicationi solius liberi arbitrii viribus consensuros.

Ad 2.m neg. cons.; loquitur namque ibi D. Prosper de gratia Baptismi, ad quam perveniunt parvuli, qui statim post Baptismum decedunt. Eam vero, ait, quod Semipelagiani comitem arbitrabantur, non praeviam humanorum meritorum, quia in eorum sententia ad illam tales parvuli perveniebant non absque meritis, licet non praeviis ipsi baptismatis gratiae; ajebant namque, eodem teste, *tales salvari, talesque perdi, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur aetatem, scientia Divina praeviderit.* Hinc quoque addit, quod dum futurae parvulorum voluntati subdebatur, seu tribuebatur, ob talia illi tribuebatur merita, ut gratia baptismatis eosdem praeveniret, ac ita praeveniret, ut nonnisi in eorum phantasia existerent.

Objic. 3.º quod de iisdem scripsit ad Aug. D. Hilarius: *In hoc volunt a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis, et perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes*: ex quibus patet, quod totum juxta Semipelagianos discrimen quoad gratiam utriusque status in eo erat

reponendum, quod in primo statu ob integritatem virium homo egeret tantum gratia intellectus, in statu praesenti ob virium amissionem egeat quoque gratia voluntatis, ita ut nequeat ullum in ordine ad salutem velle bonum, nisi etiam per gratiam ipsam voluntatem adjuvantem. Quod cum ita sit, eamdem utique interioris gratiae necessitatem in utroque statu, ideoque etiam ad ipsam fidem, et perseverantiam in finem eos agnovisse, est dicendum: Ita igitur.

Resp. neg. min.; juxta Semipelagianos namque nec fides, nec perseverantia usque in finem inter ea recensebatur, ut inter probationes diximus, ad quae homo egeat Dei gratia; sed hominem nec in primaevo statu, nec in statu praesenti interiori ejus gratia ad utrumque eguisse, et egere, arbitrabantur. Et sane nedum hominem lapsum nulla interiori Dei gratia, quae illum praeveniret, egere ad fidem, et perseverantiam usque in finem, sed multo amplius ea non eguisse in primaevo statu secundum Semipelagianos, ex eo evincitur, quod ideo ad utrumque interioris gratiae praevenientis necessitatem negabant, quia concipere se non posse, ajebant, salva libertatis jura esse, nisi penes hominem saltem esset salutis initium, ac perseverantia in bono, ita ut ipse salutis negotium bona sua voluntate inciperet, et compleret, oppositumque sentientes fatum quoddam invehere, contendebant. Cohaerenter autem ad hoc idem sentire debuisse tam de homine lapso, quam de homine in primaevo statu, immo de hoc multo magis, nemo profecto est, qui non videat. Hinc ex ipsis Hilarii verbis supra allatis patet, quod ad credendum negabant Semipelagiani interioris gratiae praevenientis necessitatem, idem namque est, quod amissis nunc, et perditis viribus *credentes nos tantum* gratia Dei non solum erigit prostratos, verum etiam suffulcit ambulantes, quodque juxta Semipelagianos in reliquis quidem respectu ad salutem operibus gratia Dei egemus, non autem ad credendum.

Objic. 4.°, quod tam D. Prosper, et Hilarius, quam ipse D. Aug. *l. de dono persev. c.* 7. non semel asserunt, Semipelagianorum sententiam circa initium fidei veram fuisse in statu naturae innocentis. Neque autem in hoc fuisset vera, nisi ad illud admisissent interioris gratiae praevenientis necessitatem, cum haec ho-

mini tam lapso, quam innocenti aeque fuerit necessaria ad quodvis opus bonum in ordine ad salutem, ideoque etiam ad initium fidei; Utique ergo illius necessitatem et ad quodvis opus bonum, et ad ipsum fidei initium Semipelagiani fatebantur.

Resp. dist. maj.; veram nempe eam dixisse quoad exclusionem gratiae voluntatis, de qua unice, vel saltem potissimum agebatur quaestio inter D. Augustinum, et Semipelagianos; non vero quoad omnia. Ajebat nempe S. Doctor ex ostensis supra, quod cum homo conditus esset habituali gratia, et virtutibus infusis instructus, ac simul integris, et perfectis viribus, quibus nihil concupiscentialiter resistebat, gratia idcirco voluntatis non erat illi necessaria, ut quodvis opus bonum exerceret, sed liberi arbitrii viribus simul cum donis, quibus praeditus fuerat, cum sola gratia intellectus ei quodvis bonum operari, et in bono perseverare potuisset, si voluisset, absque gratia, quae voluntatem afficeret, et corroboraret. En ex Augustino, ubi sistit comparatio inter id, quod ajebant Semipelagiani, et statum primaevi hominis: cum enim solam Evangelii praedicationem ad fidem sufficere assererent, ipsam quoque gratiam intellectus ad id necessariam negabant, ejusmodi nempe, quae nedum forinsecus se haberet, sed ipsum quoque intellectum erigeret, et adjuvaret.

Objic. 5.° quod D. Prosper ad Aug. scripsit: *Obsecro* ( inquiens ), *ut digneris aperire, quomodo per istam praeoperantem, et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium.* Quorsum autem id quaesivisset, nisi quaestio inter Augustinum, et Semipelagianos non fuisset de gratia necessitante, sed de interioris gratiae necessitate ad ipsum fidei initium? Non igitur de hac, sed de gratia necessitante omnis inter Augustinum, et Semipelagianos quaestio.

Resp. neg. min.; tantum namque abest, quod inde sequatur, quaestionem inter Augustinum, et Semipelagianos fuisse de gratia necessitante, quinimmo non potuisset Prosper ab eo quaerere, ut id explicaret, si de ejusmodi gratia fuisset quaestio, tum quia ita repugnat, ut gratia necessitans cohaereat cum libero arbitrio, quemadmodum repugnat, idem simul esse, et non esse; tum quia nonnisi quum creditur, quod duo simul cohaereant, interrogatur modus, quomodo simul cohae-

reant ; secus enim dicitur, quod cohaerere non possunt. Id autem Prosper sibi explicandum optabat, quia contendebant Semipelagiani, quod nisi homo habeat saltem mediate, et radicaliter illam facultatem ad bonum, quam habet ad malum, liber dici nequit ad bonum, et malum; quod non ita se habere, supra ostendimus *cap. ant. prop. 1. resp. ad 1. pag. 76.*

Objic. 6.° quod Cassianus Semipelagianorum Princeps scribit collat. 3. c. 4. *Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quaedam immissa in cor nostrum nonnumquam etiam dormientes nos ad desiderium aeternae vitae, et salutis exsuscitat, Deumque sequi, et ejus inhaerere praeceptis compunctione saluberrima cohortatur.* Et collat. 13. c. 3. *Quibus manifeste colligitur, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctae voluntatis inspirat, etc.* . Quid clarius, quam quod ipsum salutis initium a Deo agnoscebant; quodque ideo non de hoc, sed de gratia necessitante eos inter, et Augustinum quaestio agebatur ?. Ita igitur.

Resp. dist. min.; quod nempe aliquando ipsum salutis initium a Deo agnoscebant; non semper, ut patet tum ex eo, quod ait *nonnumquam*, tum ex collat. 13. cap. 9., ubi idem Cassianus haec habet : *Ut autem evidentius clareat, etiam per naturae bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quae tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens ; Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Et c. 11. *Si gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de Zachaei fide, quid de illius in Cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam regnis Coelestibus inferentes, specialia vocationis monita praevenerunt ? . . . Cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.* Eo ipso autem, quod non semper salutis initium a Deo agnoscebant, neque etiam Dei gratiam ad id absolute necessariam agnovisse, consequens est. Quod et confirmans D. Prosper, de eorum erroribus aeque edoctus : *His definitionibus* ( inquit ) *hoc docetur, inesse omni animae naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, ut possit, qui voluerit, judicio naturali*

*gratiam praevenire, et adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri, quia nullius est laudis, ac meriti, qui donatis bonis, non propriis, adornatur.*

## CAPUT III.

### *De veteribus Praedestinatianis.*

Iam innuimus *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 4. *pag.* 257., in quaestionem vocari, an prioribus Ecclesiae saeculis haeresis Praedestinatianorum extiterit, qui nempe homini sublato in praesenti statu libero voluntatis arbitrio, antecedenter ad omnem meritorum, et demeritorum praevisionem alios ad aeternam vitam, alios ad sempiternum interitum, et media ad hunc conducentia a Deo praedestinatos fuisse, blasphemabant; quorum posteriorum proinde nec Deum sincere salutem velle, nec Christum sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse, non minus impie asserebant. Et sane, libero voluntatis arbitrio sive ad bonum, sive ad malum homini sublato, quid, nisi Dei praedestinationem omnia in hominibus operari, consequens est? Praefatae autem quaestionis affirmantem partem sequitur communior Theologorum sententia; inter quos Sirmondus insignis e Soc. Iesu Theologus in sua Praedestinatianae haereseos historia contendit, quod cum quidam Monachi, quorum caput Florus, Monasterii Adrumeti in Africa talia docerent circa an. 424., Cresconius, et Felix illius Monasterii incolae eos ad D. Aug. detulerunt: cumque iidem errores brevi ad Gallias transissent, de illis certior factus S. Doctor a SS. Prospero, et Hilario libros adversus eos scripsit de Praedestinatione SS., et de dono perseverantiae. E vivis autem sublato Augustino, cum ejusmodi erroribus eradicandis impares se agnoscerent iidem SS. Prosper, et Hilarius, Coelestinum I. supplicibus litteris petiere, ut tanto malo occurreret; quod S. Pontifex egit Rescripto ab Galliae Episcopos dato. Ita Sirmondus. Sed communiter ab Eruditis ejus sententia rejicitur; omniumque primum, qui haeresim Praedestinatianam docuerit, asserunt, fuisse in Galliis sub finem V. saeculi Lucidum quemdam Presbyterum, Monimum, aliosque paucos obscuri nominis; deinde vero sub finem VIII. saeculi Gotteschalcum Monasterii Orbacensis in Dioecesi Svessionensi

Monachum, primum in suo Monasterio, ac postea in Italia in Agro Veronensi: e quo cum secessisset in Germaniam, Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, coacta contra eum Synodo Moguntiae an. 848. ex omnibus ferme Germaniae Episcopis, eoque ad Synodum vocato, auditoque, et convicto, cum pertinax in suis erroribus manserit, damnatus fuit, et ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, et Metropolitam suum remissus: qui alia Carisiaci coacta Synodo an. 849., rursum ejus errores, ipsumque in illis adhuc pertinacem anathemate iussit; et juxta Agathenses canones, ac regulam S. Benedicti virgis caesum in ergastulo Monasterii Altilvillarensis recludi jussit; ubi tandem lethali aegritudine correptus, in suis semper erroribus pertinax, ac, tamquam suum, D. Augustinnm clamitans, supremum diem extra Ecclesiae communionem obiit.

Nusquam tamen prioribus Ecclesiae saeculis hanc Praedestinatianorum haeresim extitisse, nec fuisse, nisi Semipelagianorum commentum, Augustini doctrinam praefatis conviciis insectantium, ut illi odium crearent, docent non pauci ex Catholicis, ac uno ore Ianseniani: commentitiam proinde, ac fictitiam esse, ajentes, tum Arelatensem, tum Lugdunensem Synodum, in quibus Praedestinatianorum errores dicuntur V. saeculo in Lucido damnati; Gotteschalcum vero nonnisi strenuum Augustinianae doctrinae interpretem, et vindicem. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Praedestinatianorum errores nullatenus tenuisse Monachos Adrumetinos, nec pro iis eradicandis SS. Prosperum, et Hilarium ad Augustinum, et Coelestinum I. confugisse, procul dubio videtur.

Prob. 1. pars; 1.° enim liber, quem D. Augustinus edidit de gratia, et libero arbitrio, editus ab ipso fuit, eodem teste l. 2. Retract. c. 66., contra eos, *qui ita defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam*, quod Pelagianorum, ac Semipelagianorum fuit, non Praedestinatianorum. Eodem autem, atque ibidem teste, editus ab ipso fuit ad componendas controversias inter Monachos Adrumetinos exortas: Non igitur Adrumeti Monachi Praedestinatianorum haeresi infecti, sed oppositis potius Pelagianorum, vel Semipelagianorum erroribus detenti. 2.° quia tamquam Augustini dogmata, et sub ejus patrocinio errores suos sparsisse Praedestinatianos, nemo

nescit, omnesque conveniunt. Ab ejus autem doctrina alienos fuisse Monachos Adrumetinos, adeo certum est, ut eam scandalum sibi esse, clamitaverint, nec nisi ad ejusmodi clamores compescendos librum scripserit, ut diximus, de gr., et lib. arbitrio, utque idem S. Doctor addit l. cit. c. 67., librum quoque de correptione, et gratia; de quo cum D. Prosper ad Aug. scripserit: *Evenit ex disposit one Misericordiae Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correptione, et gratia plenum Divinae auctoritatis emitteres*, manifestum inde est, quod Monachi Adrumetini similia ajebant contra Augustini doctrinam, quae contra eam ajebant Semipelagiani; scilicet, *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeveniat voluntates, et sub praedestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem*. Ita laud Prosper in ep. ad Aug. . Et ad Rufinum scribens, *scripta Augustini liberum arbitrium penitus submovere, et sub gratiae nomine necessitatem praedicare fatalem. Adjicientes etiam, duas illum humani generis massas, et duas credi velle naturas, ut scilicet tantae pietatis viro Paganorum, et Manichaeorum adscribatur impietas*: Non igitur fuisse Praedestinatianos, magis magisque perspicuum est.

Nec facessit, quod quum suboriri coeperunt in Adrumeti Monasterio contentiones circa Christi gratiam, scripsit de iis S. Doctor ad eorum Abbatem Valentinum: *Venerunt ad nos duo juvenes Cresconius, et Felix de vestra Congregatione, qui nobis retulerunt, Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam praedicent, ut negent hominis liberum arbitrium; et quod est gravius, dicant, quod in die Judicii non sit redditurus Deus unicuique juxta opera sua*. Nonne autem istud, quod Praedestinatiani docuere? Resp. enim, quod ita S. Doctor scripsit falsa relatione Cresconii, et Felicis deceptus, sive enim ex imperitia, sive ex simplicitate, ita contentionis statum, qua turbatum fuerat Monasterium, illi exposuerant. Et sane cum illum secundum rei veritatem deinde nosset, librum ad illos direxit de gr., et lib. arb., ne, ut initio libri inquit, *quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium*. Porro, ut diximus, Pelagianorum, ac Semipelagianorum, non vero Praedestinatianorum fuit,

quod ex gratiae necessitate, et gratuitate liberum hominis arbitrium perimi, ajebant.

Prob. 2. pars; quos enim D. Augustinus in libris de praedest. SS., et de dono persev., nec non Coelestinus I. in suo ad Galliae Episcopos Rescripto perstrinxit, erroribus Pelagianorum, et Semipelagianorum traducuntur detenti. Ab his autem Praedestinatianos toto Coelo recessisse, nemo est, qui in dubium vocare possit, cum enim Pelagiani, et Semipelagiani liberum hominis arbitrium plus aequo extollerent, Praedestinatiani ex adverso nullum homini liberum inessse arbitrium, comminiscebantur: Patet ergo propositum.

Prop. II. Utique sub finem V. saeculi emersit primo in Galliis haeresis Praedestinatiana.

Prob.; id enim negari nequit, nisi cum Adversariis vel confictae dicantur Synodi Arelatensis, et Lugdunensis circa an. Christi 475. adversus Lucidi errores coactae, vel earum Patres dicantur partim Semipelagiani, partim a Fausto Semipelagiano decepti. Neutrum autem est verisimile; quoad 1.m namque, id non asseritur, nisi quia illarum Synodorum solus Faustus meminit, quem Semipelagianis adhaesisse, diximus *c. 1. pag.* 85.; Ut tamen disserit Card. Norisius l. 2. Hist. Pelag. c. 15., *hoc negantis argumenti genus lubricum est. Scimus, Leontium Arelatensem ex Hilarii decreto Synodos Gallicanas quotannis coegisse, quarum tamen nusquam memoria extat.* Quoad alterum vero, *sine testibus* ( pergit ) *hanc injusiam doctissimis, ac sapientibus Patribus inurere non ausim. Illud verisimile videtur, Faustum mandati limites excessisse, dum non modo quorumdam Praedestinatianorum errores, ut injunctum fuerat, confutavit, verum etiam ex occasione S. Augustini de gratuita praedestinatione doctrinam subruere conatus fuit.* Cum enim prius Arelatensis Synodus epistolam Fausti ad Lucidum approbasset, Lugdunensis deinde jussit, ut Faustus novos illos errores plenius profligaret; quod cum Faustus aggressus esset in libris de libero arbitrio inscriptis, mandati limites excessit, in Semipelagianismum declinans; quin tamen praefatae Synodi, sicut antea ejus epistolam ad Lucidum, ita postea illos libros approbaverint.

Nec quidquam roboris habet 1.°, quod cum II. Synodus Arausicana an. 519. habita dixerit can. 25. ***Aliquos vero ad malum Divina potestate praedestinatos esse, non***

*solum non credimus , sed etiam si sunt , qui tantum malum credere velint , cum omni detestatione illis anathema dicimus* , hac loquendi ratione in dubium vertit , an umquam haeresis ejusmodi extiterit. 2.° quod tam Prudentius Episcopus Trecensis , quam Florus Ecclesiae Lugdunensis Diaconus in Scriptis contra Scotum Erigenam , neque etiam id se nosse , inquiunt. Resp. enim ad 1.m , quod cum II. Synodus Arausicana habita fuerit an. 519., et jam ab anno 475. errores suos Lucidus ejurasset , nemo amplius medio illo tempore eosdem rursus docuerat. Ad alterum vero , quod cum Prudentius , et Florus IX. saeculo floruerint , Fausto potius Scriptori coaetaneo , quam illis , habenda est fides. Quos etiam facile latere potuit ejusmodi haeresis , quia statim ac emersit , compressa fuit , nec nisi quatuor circa post saecula Gotteschalcus illam e cineribus evocavit ex infra dicendis.

Prop. III. Haeresim Praedestinatianam rursum IX. saeculo Gotteschalcum exsuscitasse , prorsus immerito negatur. Ita nobiscum Norisius *l. 2. hist. Pelag.* , Mabillonius *ad IV. saec. Benedict.* , Natalis Alexander *in hist. Eccl. saec. IX. Diss. 4.* , aliique.

Prob. Et 1.° ex testimonio Rabani Archiepiscopi Moguntini tum in opusculo de praedestinatione , quod contra eum edidit , et ad Nottingum Veronensem Episcopum direxit , tum in ejus epistola Synodica ad Hincmarum ex Conc. Moguntino , cui praefuit , ubi haec de eo habentur: *Dicit , quod praedestinatio Dei sicut in bono sit , ita et in malo ; et tales sint in hoc Mundo quidam , qui propter praedestinationem Dei , quae eos cogat in mortem ire , non possint ab errore , et peccato se corrigere . . . Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes , et incorrigibilem eum reperientes . . . decrevimus eum cum perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos , quatenus eum recludatis.* 2.° ex epistola Synodica Carisiaci an. 849. , ubi , sicut in Moguntino , cum *inventus fuerit haereticus , et incorrigibilis, virgis caesus , ergastulo est reclusus.* 3.° ex epistola Hincmari ad Nicolaum I. ita de eo ajente : *Dicit , quoniam sicut Deus quosdam ad vitam aeternam , ita quosdam praedestinavit ad mortem aeternam . . . quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri , sed tantum eos , qui salvantur . . . quod non pro omnium salute D. N. J. C. sit crucifixus , et mortuus , sed tantum pro*

*his, qui salvantur.* 4.° ex iis, quae Amolo Archiepiscopus Lugdunensis ipsi Gotteschalco scripsit, ut ad meliorem frugem eum vocaret: *Displicet nobis valde, quia tam dure, et immaniter de praedestinatione sentis, et loqueris, ut omnes illos, qui ad sinistram ponendi sunt in die judicii, ita sint divinitus ad interitum praedestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse . . . eosque tam irrevocabiliter, et incommutabiliter perditioni esse praedestinatos, sicut Deus ipse inconvertibilis, et incommutabilis est. 2.° quod asseris, neminem posse perire sanguine Christi redemptum. 3.° quod Sacramenta Baptismi, Chrismatis, et Eucharistiae frustratorie omnibus, qui post perceptionem eorum pereunt, dari confirmas, dum eos Sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, jam non mysteria, sed quaedam velut vacua, et inania ludibria sunt habenda, redemptos negas.* Quis antem Jansenio potius, ejusque discipulis, Gotteschalcum fidelissimum Augustinianae doctrinae interpretem, et vindicem conclamantibus fidem praestabit, et non potius tot Ecclesiae Praesulibus, et Conciliis, qui, perpensis ejus scriptis, eoque etiam audito, illum cum ejus doctrina diris tradidere? Quod si aliqui aequivocis ejus professionibus decepti benigne de ejus fide judicaverunt, mirum esse non debet cui perspectae sunt haereticorum fraudes, ut Ecclesiae fulminibus, poenisque sibi debitis se subtraherent. Aliud porro non egit Gotteschalcus, dum capitiosis, et ambiguis fidei professionibus e carcere, quo detinebatur, datis, ab eo egredi, aliaque sibi imminentia a se avertere, quaesivit.

## CAPUT IV.

*De recentibus Praedestinatianis. Et 1.° de Wiclefo, Luthero, et Calvino.*

Semel sublato, ut diximus c, ant., libero voluntatis arbitrio sive ad bonum, sive ad malum, consequens inde est, Dei praedestinationem omnia in hominibus operari, ac exinde quidquid blasphemum Praedestinatiani docuere. Hinc 1.° cum et Wiclefus, et Lutherus, et Calvinus, liberum voluntatis arbitrium sustulerint, quidnam proinde omnes, nisi recentes Praedestinatiani, ac blasphemiarum, quas hi evomuerant, novi Auctores?

Et 1.º quoad Wiclefum, natione Anglum, sufficiat, adeo dixisse ( quemadmodum de eo scripsimus *l. 1. tract. 4. cap. 2. pag.* 236., ac ex praecipuo ejus libro *Trialogi* titulo inscripto evidenter liquet ), omnia fatali necessitate evenire, ut Deum ipsum, blasphemaverit, aeque necessario ad extra, atque ad intra operari; nec proinde aliud posse, quam quod actu operatur, aliudque esse possibile, quam quod actu est.

Lutherum vero Islebii in Saxonia natum an. 1483., atque ex Monacho Eremitarum S. Augustini Apostatam an. 1517., et haeresiarcham factum, ac eo impudentiae deventum, ut an. 1525. Christo eripuerit, duxeritque uxorem Catharinam de Borè, non aliam in homine libertatem agnovisse, nisi tantum a coactione, patet ex l., quem inscripsit *de servo arbitrio*, ubi haec habet: *Nos necessario operari, dico; necessario vero, non coacte, necessitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte, et lubenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quod voluntas se se mutare, et alio vertere non possit. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata, et blande assibilata per spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia, et pronitate, ac sponte sua vult, et facit, non coacte, pro natura voluntatis, quae si cogeretur, voluntas non esset, nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas.*

Cum autem libertatis jacturam ex peccato primi hominis petierit, ut patet ex articulo 36. ex iis, quos Leo X. in eo proscripsit: *Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo*; peccatum vero, docuerit, per concupiscentiam in nobis transfundi, immo aliud formaliter non esse, nisi ipsam concupiscentiam, inclinationem nempe in bonum sensibile contra rationis praescriptum, exinde duxit, tamquam consectaria, 1.º cum neque per Baptismum, neque per alia Sacramenta deleatur in nobis concupiscentia, nec per Baptismum proinde, nec per alia Sacramenta vel peccatum originale, vel alia peccata in nobis deleri, sed tantum tegi, seu non imputari; eaque tegi, seu non imputari per ipsius Christi justitiam, quam homo sibi applicat certo credendo, peccata sibi esse remissa, seu non imputata per Christum; ac solemne habendum, quod sola fides est, quae justificat. 2.º cum

tota hominis justificatio aliud non sit, nisi Christi justitia, quam homo sibi applicat per ejusmodi fidem, nec fiat per formam justificantem, atque animae inhaerentem, qua haec formaliter reddatur Sancta, et Deo grata, sed tantum per non imputationem, seu condonationem, eo fere modo, quo Princeps reo condonat delictum, eique poenam, quam subire debuisset, indulget, unam proinde esse, ideoque aequalem omnium justitiam, sicut una est Christi justitia, nec locum umquam habere, quod alius sit alio justior, alius alio sanctior. 3.° cum concupiscentia sit formaliter peccatum, ipsumque mortale, omnes proinde concupiscentiae motus, tametsi indeliberatos, totidem quoque esse actualia, et mortalia peccata: cumque concupiscentia cunctis hominum operibus adhaereat, ac se se immisceat, cuncta idcirco hominum opera, licet non libera, totidem esse actualia, et mortalia peccata; atque ad peccatum imputabilia, cum nonnisi ob suam culpam homo libertate careat, et necessario agat; quae tamen praefatam fidem non habentibus et imputabilia sunt, et imputantur, suntque in rigore mortalia; eam vero habentibus imputabilia quidem essent, sed non imputantur, suntque respectu horum venialia. 4.° demum tum quia nobis nulla inest arbitrii libertas, tum quia concupiscentia quibusvis humanis operibus se immiscet, voluntatem idcirco, licet respectu boni omnino passive se non habeat, quatenus est facultas vitalis, quae vitaliter agit, nihil tamen boni, quatenus bonum est, dici posse, quod ipsa operetur, cum nihil cooperetur assentiendo Dei gratiae, sed velut inanime quoddam nihil omnino agens sub ejus motione se habeat; ideoque Deum, tamquam adaequatam omnis boni causam, in ipsa, et per ipsam totum, quod bonum est, operari. Hinc in ejus doctrinam anathema Tridentinum proferens sess. 6. can. 4., *Si quis* ( inquit ) *dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti . . . neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.*

Haec itaque summatim errorum monstra, quae Lutherus in re, circa quam versamur, docuit: eaque cum Germaniae fines pertransissent, et Parisiis in clandestinis conventiculis docerentur, illuc studiorum causa missus Calvinus natus Novioduni in Picardia an. 1509., pleno

haustu ebibit, aliisque superadditis cumulavit. Et sane, nullam homini, nisi merae spontaneitatis, libertatem inesse, quod, ut diximus, haeresis Praedestinatianae basis, et fundamentum est, patet ex l. 2. Instit. c. 2. n. 7., ubi, *liberi arbitrii* ( inquit ) *hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni aeque, ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non coactione.* Et c. 3. n. 5. *Porro, quod, libertate abdicata, voluntatem dico necessitate in malum trahi, vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio. . . Offendit eos, qui inter necessitatem, et coactionem distinguere nesciunt.* Et l. 3. contra Pighium: *Semper testatus sum, libertatem non ad potentiam, vel facultatem boni aeque, ac mali eligendi, sed ad spontaneum motum, et consensum referri debere . . . Libera est hominis voluntas, sed ad malum. Cur? Quia delectatione, et proprio appetitu movetur.*

Quoad concupiscentiam vero cuncta hominum opera inficientem, et maculantem ita l. 3. Instit. c. 15. n. 3. *Bonorum operum laudem, non ut Sophistae faciunt, inter Deum, et hominem partimur, sed totam, integram et illibatam Domino versamus. Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa, quae bona erant, sua impuritate polluit, et contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum.* Et i. 4. *Scripturae doctrina est, aspersa esse perpetuo sordibus multis bona nostra opera, quibus merito Deus offendatur, ac nobis succenseat.* Quibus Lutheri erroribus alios quoque, ut diximus, superaddidit, adjiciens 1.° omnes fideles posse, ac debere certos esse certudine fidei Divinae non solum de praesenti gratia, atque justitia, quemadmodum Lutherani et docent, verum etiam de eorum perseverantia, atque electione, et praedestinatione ad gloriam. 2.° fidem, et justitiam propriam esse electorum, et semel vere acceptam non posse amitti, saltem totaliter, vel finaliter, quia nempe semel justificati vel numquam totaliter amittunt per quaevis etiam atrocia crimina semen illud immortale, vel si illud prorsus amittunt, ante mortem saltem justitiam denuo obtinent, nec umquam fit, ut ait Calviniana Synodus Dordrectana art. 8. de persev. SS., *ut in lapsibus suis maneant, aut pereant.* 3.° fidelium pueros absque Baptismo decedentes salvari, prop-

terea quod nequit quidem ipsis Christi iustitia imputari per fidem, quam in illa aetate habere nequeunt, at nihilominus nascuntur filii foederis, et gratia adoptionis instructi: ex quibus simul congestis infert Bossuetius *t.* 9. *Variat. n.* 16., quod juxta Calvini principia nemo umquam hominum damnari potuisset, vel posset; nemo enim fuit, est, eritque, nisi ex Noe, et Adam, qui profecto, quum filios procreare coeperunt, fideles erant, et justi, ideoque nemo hominum fuit, est, eritque, nisi foederis filius, et gratia adoptionis instructus. Haec autem dicitur inamisibilis, saltem finaliter; nec umquam in statu gratiae decedentes damnantur, vel damnari possunt: Neque ergo umquam aliquis damnari potuisset, vel posset.

Hanc porro errorum molem jam refutavimus ex parte; ostendimus namque *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 2. *pag.* 242., in omnibus operibus ad extra perfectissima Deum libertate gaudere; et *cap.* 3. *pag.* 249. adeo omnia Dei providentiae subesse, et ab ea dirigi, ut nihil omnino sit praeter peccatum, quod Deus non velit voluntate singulari, directa, et positiva. Ad merendum quoque, ac demerendum in statu etiam naturae lapsae satis non esse libertatem a coactione, sed requiri libertatem ab omni necessitate, non solum extrinseca, sed etiam intrinseca antecedente, etiamque voluntaria, et variabili, ostendimus in *tract. De Actibus hum. c.* 3.: falsumque esse, quod peccatum originale ipsa sit concupiscentia, ostendimus in *l. de peccatis tract.* 1. *cap.* 2.; itemque falsum, quod concupiscentia post ipsum Baptismum in nobis superstes sit formaliter peccatum, diximus hoc l. tract. 1. cap. 2. cum Trid. pag. 18., et cum D. Aug. pag. 59,. Caeteris vero refellendis operam suo loco dabimus.

## CAPUT V.

### *De Bajo, Iansenio, et Quesnellio.*

### §. 1.

### *De Bajo, ejusque erroribus.*

Michael Bajus Melini apud Belgas natus an. 1513., ac Doctor postea, et Decanus Academiae Lovaniensis, cum et ipse liberum hominis arbitrium in praesenti statu

sustulerit, nullam quoque in homine libertatem in praesenti statu, agnoscens, quam solam a coactione, ut patet ex ejus prop. 66. *Sola violentia repugnat naturali hominis libertati*: Cui concinit et 39. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit*: Et 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*: Et 54. *Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*: Et 68. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*: cum, diximus, et ipse liberum hominis arbitrium in praesenti statu sustulerit, ad classem proinde recentium Praedestinatianorum et ipse est revocandus; sublato enim, ut et diximus, libero hominis arbitrio, consequens est, quod Dei praedestinatio omnia in hominibus operetur. Cumque et Jansenius, et Quesnellius eum secuti fuerint, immo, ut doctus scriptor advertit ( Ab Miliavacca Animad. in hist. Theol. ), *quoad caput, et summam re nullatenus distent ab eorum perfidia, qui tamquam liberi arbitrii hostes, ab Ecclesia proscripti fuere, cujusmodi sunt Gnostici, Manichaei, Priscillianistae, Protestantes*, recentibus quoque Praedestinatianis eos accensendos esse, ex allata ratione sequitur. Et sane, ut idem pergit, *si quid interest discriminis, id unice ad illorum principiorum qualitatem, non ad efficacitatem revocatur, quod hi scilicet complura confinxerint diversa inter se, quibus tamen eodem modo infallibiliter determinaretur voluntas, priusquam ipsa se determinet. Fatum, astra, temperamentum, lucem, tenebras, aliaque alii excogitarunt. Iansenius demum delectationem indeliberatam in voluntate nostra victricem commentus est, cui subscripsit Quesnellus.*

Exordiamur autem a Bajo: utque ex propositionibus in eo proscriptis primum a S. Pio V., ac deinde etiam a Greg. XIII., et Urbano VIII., erroneam ejus doctrinam summatim contrahamus, ad tria haec capita revocari potest; ad ea scilicet, quae docet circa statum naturae innocentis, lapsae, et reparatae. Et quoad 1.m docet, non potuisse Deum creaturam rationalem condere, quin eam ad intuitivam sui visionem ordinaret, utpote quae finis necessarius, atque essentialis cuivis creaturae rationali. Hinc 1.° originalem justitiam, et dona huic annexa naturae sanae, atque innocenti debita fuisse, nec

proinde supernaturalia, et gratuita, sed naturalia, et quae Deus ratione suae bonitatis, sanctitatis, et justitiae largiri illi tenebatur, prout visum, auditum, caeterasque naturales facultates: *Humanae Naturae exaltatio* ( ita nempe prop. 21. ) *in consortium Divinae Naturae debita fuit integritati primae conditionis.* Ita etiam prop. 24., et 26. . Et sane an non ejusdem naturae finis, et media ad finem? Finis autem visionis Dei intuitivae essentialis juxta eum fuit, ac naturalis rationali creaturae primum conditae: Et naturalia igitur media ad hunc finem, originalis scilicet justitia, et dona huic annexa dicenda ab eo erant. Hinc 2.° originalem justitiam, et dona illi annexa non habuisse rationem gratiae. Ita prop. 9. Ratio enim gratiae quodvis tum personale, tum naturale debitum excludit. Juxta eum autem originalis justitia, et dona illi annexa debitum quidem personale in primaevo illo statu, non tamen naturale excluserunt: Ergo et rationem gratiae, dicendum ab eo erat, exclusisse. Hinc 3.° in statu naturae innocentis nonnisi merita naturalia locum habuisse. Ita prop. 1. 7. et 9. Ejusdem namque ordinis, et rationis aestimari debent principium, et quae ex eo sequuntur. Juxta eum autem cunctorum meritorum principium in primaevo illo statu, originalis scilicet justitiae, et dona illi annexa, nonnisi naturale: Neque ergo in illo juxta eum nisi merita naturalia. Hinc 4.° vitam aeternam futuram non fuisse in statu natnrae innocentis gratiam, sed mercedem. Ita prop. 3. 5. et 9. Ejusdem namque ordinis, et rationis debent quoque aestimari causa, et effectus. Juxta eum autem causa vitae aeternae non fuissent in primaevo illo statu, nisi merita naturalia: Neque igitur juxta eum vita aeterna fuisset, nisi aliquid naturalibus meritis respondens, quibus scilicet natura rationalis illam sibi comparasset, atque ex constitutione naturalis justitiae consecuta esset.

Quoad 2.m, statum scilicet naturae lapsae, cum homo (docet) per peccatum amisisset jus, caeteroqui naturale, ad intuitivam Dei visionem, eoque ipso ad media, quibus eam assecutus esset, in statum cecidit, in quo cujusvis boni incapax, solius iniquitatis est capax, nonnisi enim fretus ejuscemodi mediis malum vitare, ac bonum operari poterat. Hujus vero status consectaria ex natura peccati originalis esse derivanda, quod ita in homines transfundi, docet, ut nihil peculiare habuerit Adae

peccatum, ait namque prop. 52., *eam esse uniuscujusque sceleris naturam, ut ex sese, et propria vi, ac independenter a pacto, et ordinatione Divina, auctorem suum, ipsiusque posteros eo modo inquinare, ac inficere possit, quo infecit prima transgressio.* Naturam autem peccati originalis docet formaliter consistere in concupiscentia, quae est inclinatio in bonum sensibile contra rationis praescriptum. Ita nempe *l. de pecc. orig. c.* 6., *et* 10.; an non enim, inquit, de concupiscentia loquitur Apostolus, dum loquitur de lege membrorum legi mentis repugnante? Eam porro legem peccati, immo peccatum appellat: Peccatum igitur; cumque dici nequeat peccatum aliquod actuale, quid, nisi peccatum originale? Hinc 1.° juxta ipsum concupiscentia totam peccati mortalis rationem continet: Peccatum namque originale totam peccati mortalis rationem continet. Concupiscentia autem ipsum est juxta eum peccatum originale: Et eam igitur totam peccati mortalis rationem continere, ajebat. Hinc 2.° quousque charitas actualis non praedominetur concupiscentiae, ita nempe, ut habitualem peccati affectum subjugaverit, eousque, ajebat, hominem sub peccato mancipari. Ad quod refertur prop. 74. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.* Juxta eum namque, praedominante concupiscentia respectu charitatis actualis, praedominatur in homine, quod totam mortalis peccati rationem habet. Idem autem dictu est praedominari in homine quod totam mortalis peccati rationem habet, ac eum sub peccato mancipari: Quousque ergo charitas actualis etc. . Hinc 3.° tam in non renatis, quam in renatis, in quibus charitas actualis habitualem peccati affectum non subjugaverit, tum quicumque motus concupiscentiae, tametsi homine invito, quam quicumque actus, etsi liberi tantum a coactione, quidnam, pergebat, nisi totidem actualia, et mortalia peccata? Hoc nempe exprimunt prop. 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto* non concupisces. Et 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Et prop. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.* Juxta eum namque

quousque charitas actualis habitualem peccati affectum non subjugaverit, non charitas, sed concupiscentia praedominatur. Hac autem praedominante, omnes ejus motus habent quoque juxta eum totam mortalis peccati rationem, et quidquid homo agit non est, nisi concupiscentiae foetus, ideoque etiam totam mortalis peccati rationem habens: Tam in non renatis ergo, quam in renatis etc. Hinc 4.° *homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis* ( *prop.* 70. ). Potest namque in homine perfecta charitas haberi, qua Deum scilicet diligat propter seipsum, quin tamen sit praedominans, habitualem nempe peccati affectum subjugaverit. Hoc autem in statu et in peccato mortali, et in reatu aeternae damnationis homo juxta eum manet: Et existens igitur in peccato mortali, sive etc.

Quoad 3.m, statum scilicet naturae reparatae, *sicut opus malum* ( inquit prop. 2. ) *ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.* Hinc docet 1.°, quod independenter tum ab ordinatione Divina, tum a meritis Christi, tum a conditione personae operantis, opus bonum, et legi conforme eo ipso esse vitae aeternae meritorium. Ita etiam prop. 6. 11. 12. 13. 15. 17. Opus namque ejusmodi ex natura sua juxta eum vitam aeternam meretur. Idem autem dictu est, quod ex natura sua vitam aeternam meretur, quodque independenter tum ab ordinatione Divina, tum a meritis Christi, tum a conditione personae operantis meritorium est vitae aeternae: Ita igitur asserendum ajebat. Hinc 2.° operibus bonis formaliter justum hominem effici, non vero *per gratiam aliquam animae infusam, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinae naturae consors efficitur.* Ita prop. 42., et 69. Bonis namque operibus ex natura sua juxta eum meretur homo vitam aeternam. Haec autem non redditur, nisi justis: Bonis ergo operibus hominem formaliter justum effici, concludebat. Hinc 3.° nullum dari opus bonum, nisi ex charitate. Hoc nempe exprimit prop. 16. *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.* Et prop. 38. *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quae a Ioannae prohibetur,*

*aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Quidquid enim vitam aeternam meretur, hominemque justificat, charitatis foetus esse debet. Iuxta eum autem quodvis opus bonum vitam aeternam meretur, hominemque justificat: Non ergo, ajebat, dari posse, opus bonum, nisi ex charitate. Hinc 4.° per Baptismum, et Poenitentiam, non quidem hominem renovari per formam quamdam animae infusam, sed tantum poenae reatum auferri. Ita nempe prop. 56. 57. et 58.. Bonis namque operibus vi ipsorum operum, ajebat, quod meretur homo vitam aeternam, et redditur justus. Quod cum ita sit, aliud non superest effici per Baptismum, et Poenitentiam, quam poenae reatum auferri: Ita ex juxta eum igitur.

Haec Bajus; quae profecto mirum, quomodo redux e Tridentino, ad quod missus fuerat una cum Hesselio a Philippo II. Hispaniarum Rege, docere ausus fuerit; ac renovare in multis quoad statum naturae innocentis errores Pelagii, quoad statum naturae lapsae Lutheri, et Calvini dogmata, et quoad statum demum naturae reparatae ea, quae apertissime Tridentini definitionibus adversabantur. Ejus vero propositiones num. 79. S. Pius V. Const., cujus initium *Ex omnibus afflictionibus*, proscripsit Kal. Octob. an. 1567. *Quas* ( inquiens ) *sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes damnamus.* Quod et denuo egit Greg. XIII. Pii V. Successor, nova data Constitutione, cujus initium *In eminenti* an. 1579. inchoante, qua Bullam Pii V. sua quoque auctoritate confirmavit, ac iterato confixit Baji propositiones, misso etiam Lovanium Francisco Toleto e Soc. Iesu, ac postea Cardinali, cujus opera ipse Bajus, licet prius misisset ad Pium V. doctrinae suae Apologiam, demum scripto publico, ac propria manu subscripto declaravit, *se plene persuasum habere, earum omnium sententiarum damnationem jure, meritoque, ac nonnisi maturo judicio, ac diligentissima discussione praemissis factam, atque decretam esse . . . damnationi a Sancta Sede factae acquiescere, neque posthac ullam earum docere, aut defendere velle.*

Ad haec duo Bajanis addicti erroribus reposuere : 1.° quod virgula, quae in Bulla Pii V. praecedit verba *in rigore*, collocanda est post verba *sensu ab assertoribus intento*. 2.° quod Baji propositiones proscriptae fuerint *in globo*, nulla iis specialis censurae nota distributa; cujus generis proscriptiones nullius, inquiunt, sunt momenti, cum nemo queat discernere, quaenam propositio sit haeretica, vel falsa, vel temeraria, etc.

Sed quoad 1.m, Pii V. Bullam legendam esse cum virgula praefato loco apposita, probat 1.°, quod nihil absurdius, ac S. Sedi injuriosius, quam quod S. Pontifex damnaverit propositiones, quas simul dixerit, sustineri posse in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Ac 2.° tum Autographum existens in Archivo S. Inquisitionis virgulam praefato loco habens, quemadmodum se inspexisse die 26. Octob. an. 1644., testatur Card. De Lugo; tum exemplar ad fidem Archetypi excusum, et Lovanium delatum per Franciscum Toletum an. 1580., in quo eamdem praefato loco vidisse, testatur Ripalda *tom.* 3. *De Ente sup. disp.* 1. *sect.* 2.; tum denique alterum jussu Urbani VIII. editum, cumque originali collatum, declaratumque authenticum, ac per Synnichium ad Theologos Lovanienses directum, nec secus se habens. Ait vero illo modo Pius V. de nonnullis Baji propositionibus, quia dum propositio indefinite prolata habet multiplicem sensum, quorum alter est rectus, alter erroneus, satis tunc est ad ejus falsitatem, quod fuerit indefinite prolata, maxime quum sensus, quem exhibet in sensu obvio, et proprio, non rectum, sed erroneum reddit. Hujusmodi autem erant nonnullae ex Baji propositionibus, in aliquo scilicet sensu verae, aut probabiles, sed quae in sensu obvio, et proprio, atque ex antecedentibus, et consequentibus manante, sanae, et Catholicae doctrinae adversabantur.

Quoad alterum vero, idem profecto est debacchari contra censuras *in globo*, ac in praxim Ecclesiae; quid namque in ea antiquius, et constantiori consuetudine firmatum? Et sane, nedum taliter proscripti fuere Origenis libri tum a Theophilo in Synodo Alexandrina, tum a D. Epiphanio, tum a Gelasio in Synodo Romana; nedum taliter et Gelasius in laudata Synodo an. 494., et D. Martinus I. in Concilio Lateranensi an. 649. can. 18. multos haereticos, et impia eorum Scripta perstrinxit; nedum eadem

ratione tum Joannes XXII. quinqne articulos Joannis de Poliaco, aliosque complures Ekardi Ordinis Praedicatorem, tum Sixtus IV. errores Petri De Osma, tum Leo X. errores Lutheri confixerunt; verum etiam taliter I. Synodus Nicaena infamem Arii *Thaliam*, taliter Conc. Constantinop. II. Origenis errores, taliter demum Conc. Constantiense errores Wiclefi, et Joannis Hus, nulla scilicet illis speciali censura inusta. Potestne autem reprehendi praxis, quam Ecclesia cunctis retro seculis fuerit secuta? Ejusmodi autem censuris significatur, ut diximus *l: 1. tract.* 8. *cap. ult. in fine*, et nullam esse ex confixis propositionibus, quae aliquam non mereatur ex illis notis, et nullam esse ex inustis notis, quae alicui saltem ex illis propositionibus non conveniat; quod plane sufficit, ut fideles illas omnes, ac singulas execrentur, et portae Inferi adversus Ecclesiam, eique concreditum fidei depositum non praevaleant. Hactenus de Baji erroribus. Progrediamur modo ad Ianscnium.

## §. II.

### *De Iansenio, ejusque erroribus.*

Cornelius Iansenius in Teritorio Leerdamensi in Hollandia natus an. 1585., et primum Ultrajecti, deinde Lovanii sub Jacobo Jansonio strenuo doctrinae Baji defensore tum humanioribus litteris, tum Philosophiae, ac Theologiae studiis elatus, Parisios se contulit, ubi inita amicitia cum Abbate San-Cyrano, aliquod post tempus simul cum hoc Bajonam petiit, ac D. Augustini lectioni totum se dedit. In hac autem cum per viginti, et duos annos insudasset, ac interim Doctorali laurea donatus esset Lovanii, labentibusque annis Episcopus Iprensis consecratus, tribus in Episcopatu annis expletis, luce obiit an. 1638., Capellano suo Opus ab eo inscriptum *Augustinus* testamento relinquens, ut illud praelo committeret, contestans simul: *Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius; et illius Ecclesiae, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum.* Idem quoque contestatus fuerat c. 29. libri proemialis: *Sensuum meorum* ( inquiens ) *ducem sequor Romanam Ecclesiam, et Beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam petram aedificatam Ecclesiam*

*scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit, apud quem solum incorrupta Patrum servatur haereditas. Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione a teneris vixi, et porro vivere, et mori firum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiae Christianae universae Capite, Moderatore, Pontifice praescriptum fuerit, ho: teneo: quidquid improbatum, improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.*

Nemo tamen arguere illum nequit intolerandae prorsus superbiae ob ea, quae de Scholasticis, et universa Ecclesia non veretur scribere *tom.* 12. *p.* 57.; non satis scilicet intelligere, *quae in precibus suis, ipsaque oratione Dominica quotidiana protestatur.* Quibus similia in omnium Theologorum contemptum habet quoque c. 28. l. proemialis, inquiens de iis, quod Augustinum *clausis, aut extinctis oculis legisse videantur.* Et paullo post, quod *tantum ab ostio verae Theologiae fide salva aberraverunt, ut neque fidem Christianam, quam animo ut Catholici, tenent, neque spem, neque cupiditatem, neque naturam, neque gratiam . . . neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum . . . neque praemium, neque supplicium . . . neque liberum, neque servum arbitrium . . . neque vetus, neque novum Testamentum intelligere videantur.* Scripserat quoque ad Amicum suum San-Cyranum ep. 13. *Doctrinam, quam in S. Augustino reseravi, omnibus stuporem incussuram.* Et ep. 16. *Cum Augustinum degusto, fastidit Thomas.* Et ep. 131. *Se adduci non posse, ut credat Opus suum a Judicibus approbandum umquam fore.*

Hic ipsius Jansenii de suo opere sensus, hoc judicium; ejusque praesagio apprime eventus respondit; vix enim tenebricosum ejus opus lucem aspexit, cum jussu Urbani VIII., cui dicatum fuerat, instituto, et peracto de eo examine, statim data Constitutione, cujus initium *In eminenti* an. 1641. diris traditum fuit his verbis: *Cum ex diligenti, et matura ejusdem libri, cui titulus Augustinus, lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus a Praedecessoribus nostris damnatas contineri, . . . nos huic malo in scandalum totius Reipublicae Christianae, et fidei Catholicae perniciem vertenti opportunum remedium adhibere volentes, Pii, et Gregorii Praedecessorum Constitutiones praedictas,*

*omniaque, et singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, et approbamus, Librumque praedictum, cui titulus* Augustinus, *articulos, opiniones, et sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, continentem, et renovantem . . . prohibemus.*

Cum autem, non obstante Pontificis damnatione, Iansenianae doctrinae virus magis, magisque in dies serperet, octoginta quinque Gallicani Episcopi, excerptis e Iansenii opere quinque propositionibus, de quibus aderat *disceptatio periculosior, et contentio ardentior*, eas peculiari modo ad Innocentium X. detulerunt, ut solemne de illis ferret judicium. Votis annuit Pontifex, ac triginta sex Congregationibus super iis habitis duorum annorum spatio, et quidem, ut postea testatus fuit Alexander VII., qui unus fuerat ex Iudicibus, *ea diligentia, qua major desiderari non posset*, peculiaribus notis eas Innocentius confixit an. 1653. solemni Constitutione, cujus initium: *Cum occasione impressionis libri, cui titulus* Augustinus, *Cornelii Iansenii*; fueruntque propositiones, et notae iis affixae hae, quae sequuntur.

Prop. I. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

Prop. II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.*

Prop. III. *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

Prop. IV. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Prop. V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse.*

Primam autem propositionem Innocentius damnavit, tamquam *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et haereticam.*

Secundam, tamquam *haereticam.*

Tertiam pariter, ut *haereticam.*

Quartam, tamquam *falsam, et haereticam.*

Quintam, tamquam *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*: *et intellectam eo sensu*, *ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit*, *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*. *Divinae pietati derogantem*, *et haereticam*.

Solemni Innocentii Constitutione communi omnium plausu, et ea, qua par erat, reverentia ab universa Ecclesia suscepta, cum ex Jansenianis alii spargere coepissent, allatas supra propositiones non esse in Jansenii libro, alii vero in ipsius sensu non fuisse damnatas; de his eorum molitionibus adversus Ecclesiae judicium monitus a Galliae Episcopis idem Innocentius, Brevi ad eos dato die 29. Sept. an. 1654., ac deinde Alexander VII. ejus Successor Solemni Constitutione sub die 16. Oct. an. 1656. declararunt, *quinque Propositiones* ( sunt verba Alexandri ) *ex libro Cornelii Jansenii excerptas*, *ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse*.

Ad has angustias Jansenianis redactis, cum nihilominus conarentur ab Ecclesiae fulminibus se eripere, ad famosam juris, et facti distinctionem confugerunt, respuere se, ajentes, propositiones Jansenio attributas quoad jus, doctrinam nempe in iis damnatam, quia in hoc Ecclesia est infallibilis; at non teneri, nisi tantum obsequioso silentio quoad factum, illius nempe attributionem Jansenii libro, in hoc, ajentes, Ecclesiam esse fallibilem, nec proinde aliquem teneri ex animo ejus judicio assentiri, sed obsequiosum tantum silentium servare: idem idcirco Alexander a Galliae Episcopis rogatus aliam hac super re Constitutionem edidit sub die 15. Febr. an. 1665., qua jussit ab omnibus Clericis subscribi hanc fidei formulam: *Ego N. Constitutioni Apostolicae Innoc. X. datae die* 31. *Maji an.* 1653., *et Constitutioni Alex. VII. datae die* 16. *Octobris an.* 1656. *Summorum Pontificum me subjicio*, *et quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro*, *cui nomen Augustinus*, *excerptas*, *et in sensu ab eodem Auctore intento*, *prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit*, *sincero animo damno*, *ac rejicio*, *et ita juro. Sic me Deus adjuvet*, *et haec Sancta Evangelia*. Quam formulae subscriptionem, obstrepentibus caeterum Jansenianis, rursum jussit tum Clemens IX., tum Innoc. XII., datis ad id peculiaribus Brevibus, tum denique Clemens XI. solemni Constitutione sub die 16. Julii, an. 1705., cujus initium *Vineam Domini Sabaoth*; in qua cum ad eum delatus esset fa-

mosus conscientiae Casus ex officina Jansenianorum emersus an. 1702., an scilicet rite negata fuisset absolutio cuidam Clerico, qui ad Confessarii pedes declaraverat, *se revera quinque Propositiones simpliciter, et absolute damnare, ac formulae fidei Alex. VII subscripsisse quidem: nihilominus quantum ad quaestionem facti, seu attributionem illarum quinque Propositionum libro Iansenii, existimare se religiosum sufficere silentium*; quodque 40. Doctores Parisienses reprobaverant absolutionis denegationem ejusmodi Clerico: Clemens XI. praefata Const. ejusmodi resolutionem damnavit his verbis: *Hac nostra perpetuo valitura Constitutione obedientiae, quae praeinsertis Constitutionibus debetur, minime satisfieri obsequioso illo silentio; sed damnatum in quinque praefatis Propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut haereticum, non ore solum, sed et corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse; ita ut qui secus, aut contra quoad haec omnia, et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tamquam praefatarum Constitutionum transgressores, omnibus, et singulis illarum censuris, et poenis omnino subjaceant, eadem auctoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, ordinamus.* Et sane, quemadmodum de fide ostendimus *l.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *prop* 5. *pag.* 190., nedum infallibilitatis privilegium, quo Ecclesia gaudet vi promissionum Christi in iis, quae sunt fidei, et morum, nedum, inquam, respicit dogmata, verum etiam facta cum dogmate conjuncta, orthodoxiam nempe, vel heterodoxiam librorum: immo eodem privilegio in id genus rebus ipsum Rom. Pontificem, dum ex cathedra definit, potiri, ex iisdem Christi promissionibus ipsi in Petro factis, ita ibidem ostendimus *tract.* 5. *cap.* 5. *pag.* 293. juxta communiorem, immo communissimam, veramque, ac fidei proximam sententiam, ut nemo id vocare in dubium possit, nisi apertae veritati velit contradicere.

## §. III.

### *De Quesnellio, ejusque erroribus.*

Licet tot attriti fulminibus, nec tamen Ianseniani quieverunt: quinimmo omnium furentissimus Paschasius Quesnellus Parisiis natus an. 1634., ac an. 1657. Congregationem Oratorii, quam Cardinalis Berullus instituerat, ingressus, erroribus Baji, et Iansenii aliis quoque superadditis, scandalum in Ecclesia adauxit. Elucubravit 1.°, edititque an. 1676. Dissertationes quasdam ad Opera S. Leonis Magni: cumque Opus fuisset Romae proscriptum, incredibili ausu proscriptionis Decretum *Libellum famosum*, imposturis, et Diabolico odio plenum appellare non erubuit: cumque eodem anno habitum suae Congregationis dimittere, et Parisiis excedere coactus esset, propterea quod Praelatorum suorum monita, et praecepta spernens, laudato Alexandri formulario adversus Iansenianam haeresim renuerat subscribere, primum Aureliam, deinde Gallias omnino deserens ob poenarum metum, Bruxellas in Belgio, ubi Arnaldus Iansenianorum Dux profugus latebat, petiit: ac inde etiam ambo exire compulsi, ambo simul Delphos in Hollandia petierunt, unde in tractum Leodiensem, ac post tres menses Bruxellas redicre. Huc interim, atque illuc vagans, innumera Quesnellus e suis latebris scripta edidit in Iansenianae causae defensionem, et Romanorum Pontificum, aliorumque Praesulum adversus eam Decretorum subversionem: dignus proinde habitus, ut Arnaldo, cui ultima, cum fatis cessit Bruxellis an. 1694., administravit Sacramenta, a Iansenianis suffectus esset, et Pater Prior, ac Praepositus Augustinianorum ab iisdem appellaretur: donec opera Mechliniensis Archiepiscopi deprehensus, et Ecclesiastico carceri mancipatus an. 1703. simul cum Gerberonio individuo ejus comite, post tres ab incarceratione menses, effractis Amicorum favore carceribus, in Hollandiam secessit; ubi aliis, atque aliis editis opusculis, libellis, epistolis, quibus errores suos latius disseminaret, et dissidiorum facem magis, ac magis ubique inferret, tandem Amstelodami pertinax in suis erroribus, gravissimisque Ecclesiae censuris irretitus an. 1719. diem clausit extremum.

Praecipuum autem ejus opus, ac eo perniciosius, quo sub politioris sermonis illecebris, et affectatae ubique

pietatis specie haereseos venenum tradit, sunt *Reflexiones Morales in Novum Testamentum*; quibus lucubrandis, perinde ac Iansenius suo Operi *Augustinus*, annis et ipse incubuit viginti duobus; delatisque ad Summum Pontificem Clementem XI., excerptae ab iis potissimum fuerunt 101. propositiones, quas laudatus Pontifex maturo examine per biennium fermè integrum in praehabitis ad id Congregationibus discussas, solemni demum Constitutione, cujus initium *Unigenitus Dei Filius*, damnavit an. 1713., *tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae, et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis, et haeresibus, ac etiam Schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac denum etiam haereticas, variasque haereses, et potissimum illas, quae in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus, et reprobamus.* Subjungens quoque: *Caeterum per expressam praefatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, cum praesertim in decursu examinis plures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quae, ut supra, damnatae fuerunt, consimiles, et affines, iisdemque erroribus imbutas . . . ac demum Sacrum ipsum Novi Testamenti textum damnabiliter vitiatum compererimus, et alteri dudum reprobatae* ( ( per Clem. IX., et Innoc. XI. ) *versioni Gallicae Montensi in multis conformem.* Et sane, praeter illas 101. propositiones, alias quoque decem, et novem emendandas in iis jusserat Bossuetius; quasque Auctor cum emendare detrectasset, opus, teste D. *Le Dieu*, qui fuerat Bossuetio a secretis, Bossuetius *suppressit, illudque deinceps typis mandari, constanter recusavit*; ut proinde *l.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *pag.* 279. scripserimus, quod nonnisi ad incautos decipiendos prodiit post Bossuetii mortem sub ejus nomine posthumum illud opus, cui titulus italice: *Giustificazione delle riflessioni morali del P. Quesnel*; prodiit namque, sublatis emendationibus a Bossuetio postulatis, tribus, vel quatuor minoris

negotii tantum exceptis ; ut ex ipsa illius operis doctrina, quae centum, et uni Quesnelli propositionibus nullibi favet, sed omnino adversatur, Senonensis Archiepiscopus in 5. sua Pastorali epistola ostendit : in qua etiam testatur, quod D. Fromageau Doctor Sorbonicus non minus, quam 199., velut erroneas, et censura dignas, ex Quesnelli opere collegerat.

Incredibile autem dictu est, quot laudatam Const. probris, et conviciis Iansenìani insectati fuerint. Eam Quesnellus *futurarum Antichristi tentationum specimen, atque praeludium* vocavit : cumque Clemens XI. sanctissime, prout vixerat, obiisset, septem Gallicani Praesules ausi illam fuere ad Innoc. XIII. Clementi suffectum deferre, tamquam *iniquam, nefandis erroribus refertam, abnorme judicium, quod nec Roma ethnica tulisset, demum qua Patrum omnium locutiones, Conciliorum Generalium Decreta, ac perpetua Ecclesiae Romanae traditio damnantur :* quorum temeritatem, et audaciam gravissime detestatus Innocentius, peculiari Decreto sub die 8. Jan. 1722. Clementis Constitutionem confirmavit, eorumque epistolam perstrinxit, *tamquam continentem multas propositiones . . memoriae Clementis XI., et Apostolicae Sedi injuriosas, schismaticas, et haeretico spiritu plenas.* Ipso etiam Clemente adhuc vivente, primum quatuor, deinde duodecim alii Galliarum Episcopi, quos inter Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisiensis, ab ejus Constitutione ad futurum Oecumenicum Concilium legitime congregandnm an. 1717. appellaverant : at quamvis eorum appellationis instrumenta statim variis Decretis Romae confixa fuissent, unus tamen Cardinalis Noallius post undecim pertinaciae annos sex ante ejus obitum mensibus demum *accessu* ( ut ipse inquit ) *aeternitatis territus* interjectam ab eo appellationem an. 1728. revocavit, ac Pontificiae Const. sincero animo se submisit, datis ad id humillimis litteris ad Benedictum XIII. super Petri Cathedra tunc sedentem.

His caeterum paucis exceptis, qui Clementis Constitutioni contradixerunt, solemniter in ipsa Gallia a 110., et amplius Episcopis recepta fuit, gravissimis ad id editis mandatis ; nec in aliis Nationibus Catholicis, praeter solam Galliam, ullus fuit Episcopus, qui illam vel positive non recepisset, quemadmodum autenticis monumentis Episcoporum Italiae, Hispaniae, Lusitaniae, Belgii, Ger-

maniae, Hungariae, Bohemiae, Poloniae, Dalmatiae, Illyrici, Albaniae, etc. evidenter probat Cont. Tournely, vel tacite saltem illi non consentiret, quin Janseniani vel unum, qui reclamaverit, vel unum, qui tum Jansenii, tum Quesnelli propositiones a notis, quibus confixae fuerant, absolverit, vel unum, qui earum defensores pro haereticis non traduxerit, ac anathematizaverit, in medium valeant proferre. Hinc, licet ex ostensis *l.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. juxta communiorem, immo communissimam, veramque, ac fidei proximam, ut diximus, sententiam solius Rom. Pontificis ex cathedra definientis judicium sit infallibile, et irreformabile, nemo tamen Catholicorum vel negat, vel negare potest, quod ejusmodi sit universae Ecclesiae, sive in Concilium coactae, sive dispersae judicium, ac sive expresse, sive tacite consentiat, quin ulli fas sit, eius judicio sub quovis praetextu non acquiescere, quemadmodum ibidem *tract.* 3. *cap.* 4. *prop.* 1., 2, *et* 3. ostendimus. Nemo autem potest in controversiae aleam vocare, quod tam Innocentii adversus Jansenium, quam Clementis adversus Quesnellum Constitutio fuerit a notabili Ecclesiae parte expresse acceptata, caeteris per Orbem Episcopis non reclamantibus, atque hoc ipso consentientibus; ut enim ait S. Pont. Coelestinus ep. ad Episcopos Galliae, *in talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret*; *merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori*; ac similiter Felix III., cujus verba referuntur quoque in Jure Dist. 83. Cap. *Error*, atque a suis Successoribus usurpata passim inveniuntur: *Error, cui non resistitur, approbatur*; *et veritas, cum non defensatur, opprimitur*: Nonne ergo evidens, quod utraque habenda est, tamquam infallibile, atque irreformabile Ecclesiae judicium, cui nefas, ac summum nefas sit refragari, ac tam externo, quam interno animi assensu non acquiescere? Si Pelagianorum causam finitam esse, ajebat D. Aug. *ser.* 131. *alias* 2. *de verb. Ap. c.* 10., ex quo venerant Sedis Apostolicae Rescripta, quibus Innoc. I. confirmaverat Acta Milevitani, et Carthaginensis Concilii ad eum missa: si licet Pelagii partes 18. Episcopi suscepissent, atque a Rom. Pontificis judicio ad futurum Oecumenicum Concilium conclamassent, ajebat tamen posthac idem S. Doctor l. 3. cont. Iul. c. 1.: *Causa finita est*; *nec amplius vobis-*

*cum agendum est quantum ad jus examinis pertinet*, *nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini*: *Quod si nolueritis*, *a turbulenta*, *vel insidiosa inquietitudine cohibeamini*: debetne aliquid facessere, an potius deflenda est paucorum illorum Episcoporum pervicacia, qui Pelagianos Episcopos imitati a Clementis Constitutione ad futurum Oecumenicum Concilium provocaverunt? *Si quando pars contra Universitatem* ( ita apposite Vincentius Lirin. in Commonit. c. 38. ), *novitas contra vetustatem*, *unius*, *vel paucorum dissensio omnium*, *vel certo multo plurium catholicorum consensionem rebellaverit*, *praeferas partis corruptioni universitatis integritatem*. Quibus etiam accedit, quod, ut ostendimus *l. cit. prop. 4.*, *pag.* 185., infallibilitatis privilegium, quo Ecclesia gaudet vi promissionum Christi in iis, quae sunt fidei, ac morum, inest Episcopis, quotquot numero sint, sive nempe plures, sive pauciores, qui idem cum Rom. Pontifice sentiant, quin obstet aliorum Episcoporum dissensio.

Eo impudentiae demum Quesnellistae devenerunt, ut venditare pergerent pleraque suorum miracula, ac praesertim Domini *Paris* Diaconi Parisini, ad cujus tumulum inquiebant, multa a Deo miracula patrata fuisse, licet, dum viveret, et Alexandri VII. formulario subscribere constanter detrectasset, et rejecta Clementis Constitutione, ab ea ad mortem usque provocare perstitisset ad futurum Oecumenicum Concilium legitime congregandum. At 1.° fuisse omnia, scilicet tam Domini *Paris*, quam aliorum Appellantium miracula et ficta, et absona, et nullius prorsus fidei digna, praeclare ostendit, et juridice declaravit tum Archiepiscopus Parisiensis D. *De Vintimille*, latis die 15. Julii 1731., et die 8. Novemb. 1735. hanc in rem Mandatis; tum Lugdunensis, Senonensis, et Cameracensis Archiepiscopi, luculentis ea de re Documentis editis. Signanter vero cum an. 1731. quatuor ex hisce miraculis oblata fuissent laud. Archiepiscopo Parisiensi a 23. Parochis, tamquam *evidenter probata*, ut juridicam de iis inquisitionem praeciperet, eorum Actis, ut ora loquentium iniqua penitus obstruerentur, matura, ac diligenter discussis, declaravit solemni Mandato sub die 8. Novemb. 1735. Archiepiscopus, ejusmodi *Acta ipso jure radicitus irrita*, ideoque nullius prorsus ponderis, et auctoritatis, *nec non sive quoad rem*, *sive quoad formam*

omnino vitiosa, multisque titulis *abusiva*, *informia*; *inutilia*: miracula vero *temere*, *et contra leges evulgata*, *characteribus* (ad vera scilicet miracula requisitis) *plane destituta*, ac demum talia, *ut omni fide careant*. Quod si de iis, quae a Iansenianis adeo jactabantur, id probatum fuit, quanto magis idem judicandum de iis, quae divulgata exinde fuerunt? 2.° Nonne ipse Christus nos monuit Matth. 24., venturos aliquando fuisse Pseudo Prophetas signa dantes, quibus in errorem inducerentur, si fieri posset, etiam electi? Nonne idem nos monet Apostolus 2. ad Thess. c. 2., quod nempe Pseudo Prophetae venturi essent, qui, ut fideles deciperent *in omni seductione iniquitatis*, signa, et prodigia darent *secundum operationem Satanae*? Ne ergo ab iis, qui in fide naufragaverunt, ejusmodi signis decipiamur, possunt namque et mira, quae ad veri nominis miracula non pertingunt, ab ipsis Daemonibus, Deo permitteute, patrari, ut diximus *l. 1. tract. 1. cap. 1. art. 2. pag. 23.*, *et 24.*, *dedit Deus in Ecclesia* (ut scribit Ap. ad Eph. c. 4.) *Pastores*, *et Doctores* . . . *ut non simus parvuli fluctuantes*, *et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum*, *in astutia*, *ad circumventionem erroris*. Quod confirmans D. Ioannes ep. 1. cap. 4., *Qui novit Deum* (inquit), *audit nos. Qui non est ex Deo*, *non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis*, *et spiritum erroris*. En proinde in iis, quae sunt fidei, et morum, infallibilis, et coelitus tradita nobis regula, cui firmiter oportet adhaerere; quod et nos docet Apostolus ad Gal. 1. illis verbis; *Sed licet* . . *Angelus de Coelo evangelizet vobis*, *praeterquamquod evangelizavimus vobis*, *anathema sit*. Hinc. D. Augustinus l. de unit. Eccl. c. 19. irrideus miracula, quae Donatistae in suorum errorum patrocinium venditabant, *aut* (inquit) *non sunt vera*, *quae dicuntur*; *aut si haereticorum aliqua mira facta sunt*, *magis cavere debemus. Quod cum dixisset Dominus*, *quosdam futuros esse fallaces*, *qui nonnulla signa faciendo*, *etiam electos*, *si fieri posset*, *fallerent*, *adjicit vehementer commendans*, *et ait*: Ecce praedixi vobis. *Unde et Apostolus admonens*, *Spiritus*, *inquit*; *manifeste dicit*, *quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide*, *intendentes spiritibus seductoribus*, *et doctrinis Daemoniorum*. Et paullo post: *De viris autem fallacibus legant*; *quae scripta sunt*, *et quia ipse Satanas trasfigu-*

*rat se, tamquam Angelum lucis, et quia multos seduxerunt somnia sua. Audiant etiam quae narrant Pagani de Templis, et Diis suis mirabiliter vel facta, vel visa . . . ab spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittatur a Deo sublimiter, atque ineffabiliter judicante, quid cuique tribuendum sit.* Quibus positis, concludit S. Doctor, cumque eo et nos: *Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Cum idcirco editus esset Parisiis libellus, cui titulus: *Vie de M. de Paris Diacre etc.*, fuit, praevio Sacrae Inquisitionis consilio, a Clem. XII. proscriptus, tamquam continens propositiones, et assertiones *falsas, piarum aurium offensivas, scandalosas, auctoritati tum S. Sedis Apostolicae, Summique Pontificis, tum Ecclesiae, et Episcoporum injuriosas, temerarias, impias, haereticis faventes, erroneas, atque etiam schismaticas, et haereticas, et haeretico spiritu plenas.* De quo etiam loquens Bened. XIV. in opere de Canoniz. SS. tom. 4. c. 7., *totus et universus* ( scribit ) praedicti libelli *contextus eo unice collimabat, ut homo Apostolicae Sedi refragans, schismaticus, haereticus, acerrimus impugnator Constitutionis, quae incipit* Unigenitus, *pertinax, Iansenistarum assecla, falsis ipsi attributis miraculis imaginem solidae virtutis, et Sanctitatis prae se ferret.*

Haec ergo, quam descripsimus Quesnelli historia. Ejus vero praecipuam doctrinam eamdem diximus fuisse ac Baji, et Iansenii, atque ex 101. in eo proscriptis propopositionibus evidenter liquet. Et sane, aliud non docet a 1. usque ad propositionem 70. inclusive, quam quod Bajus, et Iansenius docuerant: ac praecise primis quatuor propositionibus, nec non 38., et duabus sequentibus, quod absque gratia efficaci impossibilia sunt Dei praecepta: a nona vero usque ad vigesimam quartam, quod nulla datur gratia, nisi efficax; quodque haec ejusmodi est, ut nihil eam impedire, aut retardare possit. Propositionibus 34., 35., et 37., gratiam primi hominis debitam, ac naturalem, docet, illi fuisse, ac propositionibus 26., 27., et 28., fidem, docet, esse primam gratiam, nec ullam ante peccatorum remissionem conferri gratiam. Prop. 90. Richerismum renovat, *Ecclesiam* ( inquiens ) *auctoritatem excommunicandi habere, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem prae-*

*sumpto*, *totius Corporis*: ac demum in reliquis subvertit Ecclesiae ideam, de qua solum esse, docet, Electos, et justos, ejusque auctoritatem, et disciplinam quoad Sacramenta, Sanctarum Scripturarum lectionem, aliaque praecepta haeretico ausu insectatur.

Iis modo absolutis, quae ad historiam, et doctrinam Baji, Iansenii, et Quesnelli pertinebant, superest, ut contra eorum gregales ostendamus, tum quinque propositiones Iansenio attributas revera in ejus libro, cui titulus *Augustinus*, reperiri, ac in sensu ab eodem intento fuisse ab Ecclesia damnatas; tum nonnisi putidum, impiumque mendacium esse, quod S. Ecclesiae Doctor Augustinus talia umquam docuerit; opportuniore loco acturi, quod reliquum est. Sit ergo

Prop. I. Quinque Jansenio attributae propositiones ab Innoc. X. diris traditae revera extant in Jansenii libro, cui titulus *Augustinus*; ac jure in sensu ab eodem intento diris traditae fuere.

*Prob. 1.° ex Constitutionibus Summorum Pontificum.*

Ita enim 1.° super iis Innoc. X. *Cum occasione libri, cui titulus* Augustinus, *Cornelii Iansenii Iprensis Episcopi, inter alias ejus opiniones orta fuerit, praesertim in Galliis, controversia super quinque ex illis*, etc. Iis vero notis supra allatis inustis, pergit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, et definitionem super quinque praedictis propositionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto libro Cornelii Iansenii.* Quid porro clarius tam ex antecedentibus, quam ex consequentibus Innocentii verbis, quam quod praefatae propositiones et ex cit. Jansenii libro excerptae, et in sensu ab eodem intento proscriptae fuerint? Quod et deinde, ut supra diximus, nedum idem Innoc. confirmavit peculiari Brevi, verum etiam Alex. VII. ejus Successor solemni Constitutione ab universa Ecclesia recepta expressis verbis declaravit, et definiit sub die 16 Octob. 1656. *Nos* (inquiens), *qui omnia, quae hac in re gesta sunt, sufficienter, et attente perspeximus, utpote qui ejusdem Innoc. Praedecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis Congregationibus interfuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset . . . quinque illas Propositiones ex*

*libro praememorati Cornelii Iansenii, cui titulus Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, declaramus, et definimus:* Ut autem supra diximus, ac *l.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *prop.* 5. *pag.* 191., nec non *tract.* 5. *cap.* 5. *pag.* 273. ostendimus, eodem modo, quo Ecclesia, ejusque Summus Pontifex ex cathedra definiens est infallibilis circa dogmata, est quoque infallibilis circa facta cum dogmate conjuncta, in definienda scilicet orthodoxia, vel heterodoxia librorum; cujus proinde judicia nedum exteriori obsequio, verum etiam interna animi submissione, et persuasione excipienda sunt, ac venerari tenemur: Cum ergo tam Innocentius, quam Alexander declaraverint, ac definierint editis ad id Constitutionibus, quibus ipsa quoque accessit Ecclesiae acceptatio, et quinque praefatas propositiones e Iansenii libro fuisse excerptas, et in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, satis circa utrumque non est obsequiosum a Jansenianis adinventum silentium, sed utrumque interna etiam animi submissione, ac persuasione persuasum nobis esse debet: *Dum Ecclesia* (ita idcirco Card. De Laurea), *vel Rom. Pontifex damnat aliquam doctrinam cum expressione Auctoris, v. g. doctrinam Sabellii, etc., licet totum complexum includat aliquid facti, damnatio illa est objectum fidei, atque ideo absolute, et sine distinctione facti a jure est recipienda, ut fidei objectum. Sicut etiam dum Ecclesia, vel Rom. Pontifex solus damnat doctrinas cum hac formula*, in sensu Arii, in sensu Neslorii, in sensu Eutychetis, vel alterius personae, *esto tota illa complexio constet ex facto, et jure, et ratione unius partis non sit expresse revelata, non propterea definitio illa cessat esse objectum fidei, ac ideo ut talis recipienda est* (*tom.* 3. *Comment. in* 3. *Sent. Disp.* 6. *art.* 6. *n.* 236., *et* 256.). Ratio vero est, quia eadem ratione, qua Ecclesia, vel etiam solus Rom. Pontifex errare nequit in definiendo vero SS. Scripturarum sensu, quemadmodum *l.* 1. *tract.* 1. ostendimus, eadem, inquam, nec Ecclesia, nec ipse solus Rom. Pontifex errare potest in libris de Religione tractantibus interpretandis. Sed et consulantur quae scripsimus *l.* 1. *tract.* 3. *l. cit.*

Idem quoque patet ex Constitutionibus supra allatis ejusdem Alexandri, et Clementis XI., quibus omnibus, et singulis de Clero praeceptum fuit, ut juramento pro-

fiterentur, utrumque ex animo credere. Quidnam autem injuriosius S. Apostolicae Sedi, immo universae Ecclesiae, quae ejus judiciis ea, quae par erat, reverentia morem gessit, quam quod rem falsam, ac sani, et orthodoxi sensus damnationem juridice imperaverit, etiamque interposito juramento, ac inflicta in reluctantes gravissima excommunicationis poena? Quidnam iniquitatis, injustitiae, immo et tyrannidis non habuisset ejuscemodi praeceptum, dum quinque illae propositiones in Jansenii libro non continerentur, vel in alio ab eo, quem Jansenius intendit, sensu fuissent damnatae?

*Prob.* 2.° *ex quatuor principiis a Iansenio statutis, totidemque iis adjectis animadversionibus.*

Et sane, ut disserit Tournelius in Prael. Theol. de gr. Chr. qu. 3., *quando conclusiones nexu plane necessario ex suo principio sequuntur, vel deserendum est principium, vel admittendae conclusiones; et qui, priori retento, istas negat, similis est illi, qui truncum, et radicem arboris servaret, et ramos inde pullulare nollet.* E principiis idcirco, quae Iansenius statuit in suo libro, cui titulus *Augustinus*, patebit simul, et quod quinque in eo proscriptae propositiones in eodem extant, et quinam fuerit sensus ab eo intentus, in quo proscriptae fuerunt. Sunt autem ejusmodi principia:

I. quod voluntas humana per peccatum primi parentis liberum amisit arbitrium, illam nempe energiam, ac vim se pro nutu suo flectendi ad opposita: *Hic nutus* (ita aperte Jansenius l. 2. de gr. Chr. c. 3.), *hic flexus, seu ista suprema nuendi, flectendique potestas, qua sese utrinque in bonum, aut malum humana libertate, ac dominatione librabat, supplicio non minus cadentium, quam stantium remuneratione prorsus amissa est.* Et c. 12. *Per peccatum Adami vulnus in ipsis volendi cardinalibus inflictum est.*

II. quod omnis voluntatis virtus sese flectendi, ac determinandi sive ad bonum, sive ad malum, oritur in praesenti statu a delectationibus vel coelesti, vel terrena, quarum illa ad bonum, ista ad malum sollicitat: *Coelestis illa suavitas* (ita, idem Jansenius l. 4. de gr. Chr. c. 7.), *si desit, voluntas, veluti torpens, ac mortua, nihil omnino boni amplecti potest: quemadmodum etiam e contrario nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam antea delectaverit.* Et l. 7. c. 3. *Delectatio, seu delectabilis objecti concupiscentia est,*

*quod tantam in liberum arbitrium potestatem habet, ut eum faciat velle, vel nolle; seu ut, ea praesente, actus volendi sit reipsa in ejus potestate, absente, non sit.*

III. quod utraque delectatio agit in alteram per gradus: quumque idcirco est gradibus superior, est quoque viribus superior, ideoque inferiorem necessario vincit; quum vero est gradibus inferior, viribus quoque est inferior, ideoque a superiori necessario vincitur: *Quando cum terrenarum rerum tentationibus* ( ita quoque Jansenius l. 4. de gr. Chr. c. 6. ), *ac delectationibus dimicamus, nisi major fuerit coelestis delectatio, quam terrena . . . fieri non potest, quin propriae voluntatis infirmitate vincamur.* Et c. 9. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est; vigente enim delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis, et honestatis consideratio praevaleat.* Et l. 7. c. 5. *Cum justitiae, vel peccati delectatio sit illud vinculum, quo liberum arbitrium in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur, et retinetur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur, et constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet, ut arbitrium non liberatum eum velle non possit.*

IV. quod nulla agnoscenda est gratia mere sufficiens, sed omnis gratia, quae est vere sufficiens, est simul efficax, et quae non est efficax, neque etiam est vere sufficiens: *Gratia, et opus bonum* ( ita idem Jansenius l. 2. de gr. Chr. c. 25. ) *apud Augustinum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versa ex defectu operis gratiam non esse datam.* Et c. 27. *Nullam Augustinus agnovit actualem Christi gratiam, quam efficacem, nec agnoscere potuit, nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam gratiae medicinalis tradidit, velit interimere.* Et l. 4. c. 10. *Hinc claret, cur Augustinus omnem omnino gratiam pure sufficientem auferat, quia cum ei nulla sit gratia operandi praeter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur, quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex*

*qua operatio nequidem sequi possit, nisi inefficacia per aliam suppleatur.*

En quatuor systematis Janseniani principia; quibus totidem addere animadversiones ad plenam ejus intelligentiam, operae pretium est. Et I. usurpari etiam a Jansenio praestans liberi arbitrii vocabulum: per illud tamen ab eo non intelligi, nisi merum voluntarium, patet ex l. 6. de gr. Chr. c. 4. , ubi haec habet; *Ut cognoscamus, utrum aliquid in nostra potestate, seu liberum nobis sit, hoc intuendum est, utrum fiat, quando volumus: si enim fiat, quandocumque volumus, et non fiat, quando nolumus, liberum est.* Et c. 5. *Voluntas, seu volitio, et libera voluntas, idem sunt, sicut velle, et libere velle: et impossibile est, ut velle non sit liberum.* Et rursus: *Libera est voluntas, hoc est volitio, ratione sui, quia est essentialiter libera; implicat enim contradictionem, ut voluntas non sit libera, sicut implicat, ut volendo non velimus.* Et c. 6. *Omnem omnino voluntatem, quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur necesse esse, ut velit, desinere esse liberam, quia non desinit esse voluntas, quae non esset, si nollemus.* Et infra: *Nescio, quid manifestius, urgentiusque proferri posset ad demonstrandam volitionis cujusque libertatem, etiam illius, quam nos habere necesse est.* Conceptis quoque verbis docet c. 8. , necessitatem simplicem libertati non esse contrariam, *paradoxum* ( inquiens ) *in Augustini doctrina inauditum esse, quod actus aliquis voluntatis ideo liber sit, quia ab illo desistere voluntas, et non agere potest; cum potius diametraliter e contrario semper ab eo propterea libertas alicujus actus asseratur, quia voluntas eum agere potest.* Quibus positis, concludit, eamdem nobis libertatem inesse, quae Beatis, immo ipsi Deo quoad bonum, Daemonibusque, et damnatis quoad malum inest; cum hoc tantum discrimine, quod in beatis determinatio ad bonum, sicut in damnatis determinatio ad malum est immutabilis, atque invariabilis; in nobis vero determinatio sive ad bonum a delectatione coelesti victrice, sive ad malum a victrice delectatione carnali mutabilis est, ac variabilis, si nimirum aut ista imminuatur, aut altera augeatur delectatio: *Liberum arbitrium* ( ita nempe ibidem c. 34. ) *in omnibus sive beatis, sive damnatis, sive viatoribus, sive Deo, sive creatura uniformem li-*

*bertatis rationem obtinet*, *etsi difformem statum. Hominum tantum viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem*, *sed etiam necessitatis immutabilis voluntariae*; *hoc est eam ad utrumque esse indifferentem*, *fatemur perlibenter*; aliud nempe non intelligens per ejusmodi indifferentiam, nisi naturalem voluntatis flexibilitatem sive ad bonum, sive ad malum, ideoque illam explicans l. 7. de gr. Chr, c. 14. exemplo *bilancis*, *quae facillimo nutu in alterutram partem impelli potest.*

II. quod cum ex necessitate agendi oriatur impotentia ad oppositum, non enim necessarium dicitur, nisi cujus oppositum est impossibile; cumque idcirco cujus naturae est necessitas agendi sub delectatione superiori, ejusdem quoque dicenda sit impotentia ad oppositum, qua sub ea voluntas constringitur: quemadmodum proinde necessitas agendi sub delectatione superiori non est juxta Jansenium, nisi tantum relativa, ratione scilicet delectationis, quae est viribus inferior, ita et impotentia ad oppositum sub eadem delectatione superiori non est quoque juxta eum, nisi tantum relativa, ratione scilicet delectationis, quae est viribus superior. Hinc est, quod quaerenti a Iansenianis, utrum voluntas sub delectatione superiori habeat potentiam ad oppositum, statim illam in medium proferunt distinctionem, quae omnium eorum fallaciarum, et aequivocationum est radix, potentiae scilicet absolutae, et relativae; utique scilicet voluntati tribuendo sub delectatione superiori vel coelesti, vel carnali potentiam absolutam, ac solum illi negando potentiam relativam ad oppositum. En potentiae duplicis distinctio; *absolutae* scilicet, quae convenit voluntati, praescindendo a circumstantiis, in quibus tunc ipsa versatur, et nulla habita ratione oppositae delectationis, et *relativae*, quae voluntati convenit etiam ratione habita ad gradus delectationis, quibus ad oppositum sollicitatur, en, inquam, distinctio, quam recte Tournelius l. cit. appellat *clavim*, *qua aditus aperitur ad omnes intimos Iansenismi recessus*; *filum*, *sine quo e labyrintho fallaciarum*, *et aequivocationum*, *quibus Ianseniani censuram quinque propositionum eludere conantur*, *extricare se nemo umquam poterit*: cuinam enim vel parum rem consideranti perspicuum non fit, quod potentia absoluta, quae provenit ex delectatione inferiori, non est vera potentia, sed realis potius, et physica impotentia? Quisnam dicet,

pondus unius librae uni lanci appensum posse bilancem deprimere, dum alteri lanci pondus duarum librarum appensum est, quia bilanx ab eo deprimeretur, si alteri lanci appensum gravius pondus non esset? An non potius dicet, quod pondus unius librae deprimere eam posset, praescindendo a graviori pondere alteri lanci imposito, idest potentia absoluta, at non item ratione habita ad gravius pondus alteri lanci impositum, idest potentia relativa? Hac igitur bilancis similitudine, ab ipso Jansenio adhibita, ad rem, de qua agimus, translata, aeque etiam inferior delectatio posset quidem potentia absoluta voluntatem determinare ad oppositum, nisi a superiori delectatione urgeretur, et ab hac praescindendo; at non item potentia relativa, vividiori scilicet delectatione ex adverso urgente, qua posita, tam impossibile est, ipso Jansenio teste l. 2. de gr. Chr. c. 1., ut homo operetur oppositum, *quam homini caeco, ut videat, vel surdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut recte gradiatur.* Hinc etiam ad clariorem rei intelligentiam advertatur, quod juxta Jansenium tam coelestis, quam carnalis delectatio ex sese, seu ex natura sua nec victrix est, nec victa, sed victrix est, aut victa pro majori, aut minori graduum numero relative ad oppositam, adeo ut, sola decrescente opposita delectatione, ea, quae fuerat victa, evadat victrix, et vicissim, nulla ex parte sui mutatione facta. Quaenam igitur potentia sive ad bonum, sive ad malum voluntati denegatur a Jansenio sub delectatione superiori? Ea scilicet, qua possit oppositum, etiam ratione habita ad superiorem delectationem, qua urgetur, seu relativa; ut enim patet ex ejus testimoniis supra allatis, neque ad bonum, neque ad malum se flectendam habet quidquam virium voluntas in praesenti statu, nisi a delectatione vel coelesti, vel carnali; nec, nisi praevalentibus unius viribus respectu alterius, ulla habetur sive ad bonum, sive ad malum potestas relativa, ideoque et vera potestas; *Tantae necessitatis est* ( ita proinde l. 2, de gr. Chr. c. 4. de delectatione, quae alteram superet ), *ut sine illa effectus fieri non possit; tantaeque efficaciae, ut hoc ipso, quo datur, continuo fiat, dat enim simul et posse, et operari:* Utque loquitur l. 3. c. 15. *Paradoxum est in principiis S. Augustini, quod charitas quamvis minima sufficiat ad quamcumque tentationem superandam, vel quac-*

*cumque praecepta sine transgressione servanda.* Et l. 4. c. 9. *Vigente delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis, et honestatis consideratio praevaleat*; est namque impossibile, quod vires inferiores superioribus praevaleant; utque voluntas sub delectatione superiori posset operari oppositum, necesse esset, ut vires inferiores superioribus praevalerent; quare et impossibile juxta Jansenium, quod voluntas sub delectatione superiori operetur oppositum. Irridens proinde Scholasticos ajentes, quod, licet gratiae efficaci nunquam voluntas actu resistat, ei tamen posset tum physice, tum moraliter resistere, *egregia sane Philosophia* (inquit l. 7. c. 14.), *praeclara gratiae laus, mira defensio humanae libertatis, recondita utriusque conciliatio . . . Paradoxa sunt haec, et Ecclesiae inaudita.* Accedit, quod juxta Jansenium nedum sola potentia relativa ob delectationem alteri superiorem in actum exerit, sed sola etiam in actum potest excrere, nec secus, nisi *velleitates* tantum haberi possunt, ut loquitur l. 2. c. 27.: Implicat autem in terminis, quod simul adsint actus, et oppositum actui: Et in terminis igitur juxta eum implicat, quod dum ob delectationem alteri superiorem habetur potentia relativa ad bonum, vel ad malum, habeatur simul potentia relativa ad oppositum, ideoque et vera potestas.

III. nihil facessere debere quae Janseniani in medium proferunt, ut se Catholicis consentire videantur. Et 1.° quod nullibi Jansenius vel delectationis necessitantis nomine utitur, vel necessitatem actus sub delectatione superiori antecedentem, ac physicam nuncupat. Quamvis tamen delectationis necessitantis nomine non utatur, nonne idem realiter significat, inquiens, quod per superiorem delectationem, tamquam per vinculum, voluntas *in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur, ac retinetur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur, et constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem?* Sicut etiam necessitatem illam expressis quidem verbis nullibi antecedentem vocat: nonne tamen antecedens est ea necessitas, quae ex praevia, atque indeliberata motione oritur, et cui voluntas in iis, in quibus versatur, circumstantiis nequit resistere? Ejusmodi autem est necessitas actus sub delectatione superiori; utriusque enim delectationis motio et praevia est, et indeliberata, et ejusmodi, ut, quum altera est superior, nullatenus voluntas illi possit resistere. Quam

necessitatem denique nullibi etiam expressis verbis appellat physicam, phrasi tamen parcens dumtaxat, sed rem admittens; nonne enim physica necessitas, quae ex virium superioritate oritur, et quibus nulla habetur resistendi potestas? Nonne physica necessitas, quae ad unam contradictionis partem eo fere modo hominis voluntatem ligat, quo compedibus, et catenis ferreis corpore ligari concipitur?

Inquiunt item, potentiam ad oppositum sub delectatione superiori posse et absolutam, et relativam quoque, ac expeditam nuncupari, 1.° si abstrahatur a praesenti statu naturae lapsae. 2.° respectu oppositae delectationis generatim sumptae, generatim enim loquendo, utraque potest alteram vincere. 3.° habita ratione velleitatum, quas tametsi inferior, excitare par est, et de facto excitat. 4.° demum sumpta potentia pro susceptibilitate ulteriorum virium. Quaenam tamen potestas abstracta ad aliquid, ac praescindendo a circumstantiis, quae adsunt, nisi figmentum? Ad quid potestas, quae non valeat, nisi ad velleitates excitandas, sitque insufficiens ad opus? Quaenam demum illa ulteriorum virium susceptibilitas, nisi potestas alterius potius, quam propria, quippe quae tantum passiva, atque, ut dicitur, obedientialis?

Inquiunt quoque, impotentiam ad bonum sub delectatione carnali superiori. 1.° esse voluntariam, quatenus sub ea, si homo vellet, ac plene, et fortiter vellet, Dei mandata servaret. 2.° esse consequentem, quia rationis advertentiam supponit, et superiorem ex opposito delectationem sequitur. 3.° esse mutabilem, fluxam, et transeuntem, quatenus voluntas in praesenti statu neutri parti est immobiliter affixa. 4.° esse moralem, quia ad mores pertinet. 5.° esse relativam, et inadaequatam, nec proinde impotentiam absolute, et omni ex parte talem. Quidnam tamen insulsius, quam quod voluntas sub delectatione carnali superiori, si vellet, ac plene, et fortiter vellet, Dei mandata servaret, cum in iis circumstantiis, in quibus delectatio carnalis est superior, plene, et fortiter velle nequeat, immo nec simpliciter velle Dei mandata servare? Nonne si plene, et fortiter bonum vellet, non quidem delectatio carnalis, sed coelestis esset superior? Nonne pari ratione dici posset, Daemones, et damnatos posse Deum, si vellent, diligere, ac Beatos posse peccare, si vellent? Quomodocumque igitur impotentiam ad

bonum sub delectatione carnali superiori appellent, reipsa tamen est prorsus involuntaria : sicut etiam est antecedens, utpote proveniens ex praevia, et indeliberata delectatione carnali superiori, cui non est penes voluntatem resistere; physica, utpote proveniens ex defectu virium, quas non habet inferior delectatio coelestis sufficientes ad debellandam delectationem carnalem superiorem; vera demum, propria, et realis, ait namqne, et repetit Jansenius, coelestem delectationem inferiorem carnali *nullo modo sufficere, ut homo Dei mandatum operetur*; ita l. 2. de gr. Chr. c. 27. Et l. 4. c. 6. *Nisi delectatio coelestis major fuerit, quam terrena, fieri non posse, quin propriae voluntatis infirmitate vincamur.* Et c. 9. *Vigente delectatione carnali, impossibile esse, ut virtutis, et honestatis consideratio praevaleat.* Et l. 7. c. 3. *Pravam delectationem sine aliqua majore delectatione, et meliore nos non posse compescere.*

Hinc demum *sufficientissimam* illam, *perfectissimam, completissimam, expeditissimamque ad superandam tentationem, et mandatum observandum facultatem, seu potentiam* in justo, qui illud transgreditur sub delectatione carnali superiori, aliud non esse, nisi completissimam Jansenianorum fraudem, atque fallaciam, ut se e Catholicorum argumentis, et Ecclesiae fulminibus eripiant, manifeste sequitur ex dictis, cui idcirco refutandae diutius immorari, superfluum ducimus.

IV. latum valde discrimen esse inter assertores gratiae suapte natura efficacis sive in sensu Thomistico, sive in sensu Augustinianorum tam veterum, quam recentiorum, et assertores gratiae efficacis in sensu Jansenistarum. In illorum namque sententia. 1.º quum homo cedit concupiscentiae, utique tamen habet gratiam vere sufficientem, per quam illi et absolute, et in iis, in quibus versatur, circumstantiis posset resistere. Hanc vero illi deesse, expresse ex ostensis negat Jansenius. 2.º gratia suapte natura efficax non datur ad posse, sed ad agere; non ad actum primum, sed ad actum dumtaxat secundum; qua idcirco gratiae sufficienti accedente, potentia non augetur, sed ad actum solummodo reducitur. At non item gratia efficax in sensu Jansenistarum; haec enim ipsam potentiam confert, ita ut sine illa superiori delectatione coelesti impar sit voluntas, et omnino impar actuali concupiscentiae superandae. 3.º dum inquiunt, efficacem gra-

tiam conjunctam ex sese esse infallibiliter cum actu, anathema simul dicunt ajentibus, quod illi vel physice, vel moraliter impossibile sit resistere: dum e contrario Jansenius eos irridet, ut diximus, qui efficacem gratiam ita asserunt, ut ejus motionibus resistere homo possit tum physice, tum moraliter; contendens juxta principia ab eo statuta, quod homo sub superiori delectatione coelesti, quae sola ex ipso est gratia efficax, nec moraliter, ac neque etiam physice potentiam ad oppositum retinet.

Ex his porro principiis aperte a Jansenio statutis, opportunisque iis adjectis animadversionibus, quis non videt, velut prono alveo, fluere quinque in eo proscriptas propositiones, nec non sensum, quo in eo fuerunt proscriptae? Et sane quoad 1.m, cum justis transgredientibus Dei mandata desit victrix delectatio coelestis, quae sola dat vires ad oppositam concupiscentiam debellandam, jam hoc ipso impossibilia iis sunt Dei mandata secundum praesentes, quas habent vires, ac deest iis gratia, qua possibilia fiant. Quoad 2 m, cum gratia, sive magis, sive minus delectans, quam concupiscentia, effectum semper habeat, quem habere potest in circumstantiis, in quibus datur, nemo non videt, quod interiori gratiae in praesenti statu numquam resistitur. Quoad 3 m, cum omnem homo libertatem a simplici necessitate per peccatum amiserit, nemo etiam non videt, quod ad merendum, et demerendum in praesenti statu neque etiam requiritur ejusmodi libertas, sed sufficit ea, quae dicitur a coactione. Quoad 4 m, cum homo resistere nequeat delectationi, quae sit gradibus superior delectatione opposita, consequens est, quod talis est naturae victrix delectatio coelestis, ut nequeat pro libito voluntas illi resistere, vel obtemperare. Quoad 5 m, cum non omnibus detur victrix delectatio coelestis ad malum fugiendum, bonumque sectandum, nec nisi per hanc solam utrumque homo possit, neque etiam dicendum, Christum pro omnibus mortuum esse. Hinc

*Prob.* 3.º *earum luculentiori evolutione ex praefatis principiis, atque animadversionibus adjectis.*

En namque evidens, quod ex principiis supra allatis necessario fluxu proscriptae in Jansenio propositiones sequuntur, et quonam sensu fuerint in eo proscriptae. Et sane quoad 1.m, impossibilia iis sunt Dei praecepta secundum praesentes, quas habent, vires, quibus deest gratia

vere sufficiens. Justis autem, dum e justitia decidunt peccando, deest profecto gratia efficax, non enim secus peccarent; nec alia datur juxta Jansenium gratia vere sufficiens, quin simul sit efficax: Iis ergo, quum e justitia decidunt peccando, impossibilia secundum praesentes, quas habent, vires sunt Dei praecepta, ac deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Quoad 2.m, resistere enim gratiae idem est, ac eam frustrare effectu, quem in circumstantiis, in quibus datur, habere posset; nemo enim inquit, amicum alteri aliquid flagitanti, vel subditum Praelato aliquid imperanti proprie resistere, quando rem petitam, vel praeceptam ideo tantum non exequuntur, quia eam in illis, in quibus versantur, circumstantiis exequi non valent. Numquam autem potest gratia in praesenti statu eo effectu frustrari, quem in iis, in quibus datur, circumstantiis habere potest; vel enim concupiscentiae praevalet, vel ea inferior est, vel illi aequatur. Si 1.m, necessario eam vincit. Si alterum, necessario ab ea vincitur. Si postremum, *alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur*, ut ex Iansenio supra diximus: Patet ergo, quod interiori gratiae in praesenti statu numquam resistitur. Qua super re addit l. 10. de gr. Chr. c. 7., quod sicut *inundatio Divinae gratiae* (dum nempe haec concupiscentiae praevalet) *totam hominis voluntatem secum instar impetuosi cujusdam torrentis rapit, ac omnia humani cordis retinacula, quibus terrenis rebus irretitur, velut violenta quadam tempestate disrumpit; ita lenis ille, velut aurae tenuis, afflatus* (dum nempe est inferior concupiscentia) *complacentiam quamdam voluntatis tenuissimam quasi furtim post se rapit. Quae idcirco gratia, quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, adhuc tamen facit aliquid, ut quasdam non voluntates, sed velleïtates, vel complacentias excitet, quas proinde ut minimum in omnibus operatur.* Sufficiens vero non est, ut homo Dei mandatum operetur, eo quod vividiore ex adverso concupiscentia urgente, secundum hanc juxta Iansenium operetur, necesse est, et quidem necessitate ex ostensis antecedenti, physica, vera, propria, ac reali: non enim error in hac secunda Iansenii prop. proscriptus in eo positus est, quod omnis interior Christi gratia aliquem semper in nobis effectum producat, quem impedire voluntas non possit, sed in eo, quod omnis gratia eum semper to-

tum effectum obtineat, cujus producendi veram, realem, et relativam potentiam voluntati communicat.

Quoad 3.m, principiis enim Ianseni admissis, alterutrum dicatur, ostendimus; aut nos nempe non mereri, quum bene, nec demereri, quum male agimus; aut in iis nos merêri, ac demereri, quae necessario indeclinabili necessitate operamur. Est autem procul dubio, nos mereri, quum bene, demereri, quum male agimus: Admissis ergo Iansenii principiis, oportet dicamus, in iis modo nos mereri, et demereri, quae necessario indeclinabili necessitate operamur; ideoque ad merendum, et demerendum in hoc naturae lapsae statu non requiri libertatem a necessitate simplici, sed eam sufficere, quae dicitur a coactione, per quam scilicet non coacti, non inviti, sed delectabiliter, et cum complacentia, tametsi necessario, operamur quod agimus. Ut nempe advertit P. Serry tom. 1. Prael. Theol. Disp. 4. de nat. repar. prael. 5., *gratiam efficacem propugnavit Iansenius, quae necessitatem inferat voluntati, quaeque activam indifferentiam amoveat. Quia vero opponi illico poterat, hominem istiusmodi gratia efficaci motum nullum jam meritum habiturum, quippe qui necessitate bonum ageret, hoc incommodum ut effugeret, novum istud doctrinae monstrum efformare coactus est, scilicet stare meritum posse cum agendi necessitate, modo nulla coactio superaccederet, hincque malis mala agglutinavit.*

Quoad 4.m, si enim juxta id, quod Iansenius supponit, admittebant Semipelagiani praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, aliud non superest, quod eos haereticos constituerit, quam quod medicinalem Christi gratiam ad opus bonum necessariam non agnoscerent; illius nempe generis gratiam, qua indigemus in praesenti statu naturae lapsae, ac nobis ex Christi meritis largienda est, ut bonum operemur. Porro id genus gratia non est juxta Iansenium, nisi efficax, atque haec necessitans, seu cui non est penes voluntatem resistere, vel obtemperare: In hoc ergo, quod ejusmodi gratiam non agnoscerent, haereticos juxta eum fuisse, consequens est.

Demum quoad 5.m, admissis namque iisdem Iansenii principiis, Semipelagianum esset, ut ostendimus, talem esse medicinalem Christi gratiam, cui voluntas posset pro libito resistere, vel obtemperare. Porro qui in-

quiunt, Christum pro omnibus mortuum esse, talem coguntur agnoscere medicinalem Christi gratiam, cui voluntas possit pro libito resistere, vel obtemperare, immo talem, cui de facto illi omnes, qui damnantur, resistunt: Et dictu igitur Semipelagianum, Christum pro omnibus mortuum esse. Accedit, quod pro illis solis dicendum est Christum mortuum esse, quibus aeternam salutem reddidit passione, ac morte sua obtentu possibilem. Porrò juxta Iansenii principia solis praedestinatis obtentu possibilem eam reddidit: solis namque praedestinatis efficacem gratiam ad perseverandum finaliter obtinuit, nec praeter gratiam efficacem alia datur juxta Iansenium gratia, per quam homo sufficiat ad perseverandum finaliter: Neque ergo juxta Iansenii principia, nisi pro iis solis, dicendnm esset, mortuum esse; ducendumque oppositum, tamquam Semipelagianorum commentum.

*Prob.* 4.° *ex luculentissimis Iansenii testimoniis, in quibus expressis, vel formaliter aequivalentibus verbis proscriptae in eo propositiones continentur.*

Ita enim quoad 1.m *l.* 3. *de gr. Chr. c.* 13., ubi cum prius explosisset gratiam mere sufficientem, duo sibi objicit: 1.° scilicet, quod omnibus Deus praecipit, ut ejus mandata observent: Omnibus ergo gratia saltem sufficiens tribuenda est, qua illis sint possibilia. 2.° quod quisquis Dei mandata transgreditur, peccat: Quisque ergo gratiam habeat oportet saltem sufficientem, qua peccare non possit. Respondet autem, utrumque consequens negando, et audacter ajendo, *nihil esse in S. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus non tantum infidelibus, excaecatis, et obduratis, sed fidelibus quoque, et justis, volentibus, conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia*; idque *S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum est, qui tentantur, ultra quam possint sustinere*. Addit, iisdem *gratiam ad id faciendum, quod jubetur, frequenter ita subtrahi, ut nec pro tali gratia adipiscenda deprecandi similis sufficiens gratia habeatur* ( c. 5. ). Tandem, *non aliter verum esse, quod Deus non jubeat impossibilia, nisi quia quaecumque jubet, hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adjuta, fieri possunt* ( *c.* 13. ). Quasi dici posset, Deum non jubere impossibilia, si praeciperet caeco, ut videret, sur-

do, ut audiret, tibiisque fracto, ut recte graderetur, quia illis visum, auditum, sanitatem donare posset, ipsique possent visum, auditum, sanitatem recipere.

Quoad 2.m vero, ita l. 2. de gr. Chr. c. 4. *Gratia sanae voluntatis in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam, si vellet, desereret, aut, si vellet, uteretur. Gratia vero lapsae, aegrotaeque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deserat, et arripiat, si voluerit.* Et c. 24. *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.* Et c. 25. *Nulla omnino medicinalis Christi gratia effectu suo caret.* Et c. 27. *Nihil verius dici potest, quam quod omnia, quae hactenus protulimus de gratia efficaci, Augustinus dixerit, et intellexerit; cujus rei causa est, quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit.* Demum l. 10. c. 7. *Omnis gratia operatur, ac perficit effectum suum. Omnis enim delectat voluntatem, et omnis hoc ipso ad operandum effectum illum, ad quem datur, trahit.* Idem autem dictu est, quod medicinalis Christi gratia nullo modo relinquitur in voluntatis arbitrio, quod nequit homo illi resistere, quod numquam effectu suo caret, quod demum alia non datur actualis Christi gratia, nisi efficax, idem inquam, dictu, quodque interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur: Evidens ergo, quod secunda Iansenii propositio aequivalentibus verbis in eo reperitur.

Ita autem quoad 3.m l. 6. de gr. Chr. c. 6. *Duplex necessitas Augustino; coactionis, et simplex, seu voluntaria. Illa, non haec repugnat libertati.* Et l. 7. c. 19. *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, et necessitas violentiae.* Hinc infert l. 8. c. 13., *Voluntatem semper esse liberam tam in bono, quam in malo, tam sub gratia, quam sub peccato, quia expers est violentiae, cogentisque necessitatis.* Quibus positis, docet l. 6. c. 24., *opus esse laude, vel vituperio dignum, meritorium, vel demeritorium ex hoc, quod sit voluntarium, spontaneum, non coactum, tametsi determinatum ad unum*, idest liberum tantum a coactione, quamvis non liberum a necessitate. En nedum aequivalentibus, sed totidem verbis a Iansenio expressam tertiam propositionem in eo proscriptam. Quo ideo loco advertendum, quod ad eam declinandam, tenendum fide

est, humanam voluntatem tam sub gratia, quam sub concupiscentia, nedum utrique consentire, vel resistere, si vult, verum etiam velle utrumque posse; ajendo enim, voluntatem posse quidem consentire, vel resistere sive gratiae, sive concupiscentiae, si velit, sed id velle non posse, absolute negatur, quod id possit. Et sane, ut disserit P. Dechamps l. 3. de haer. Iansen. disp. 2. c. 7. n. 4., *juxta communem loquendi consuetudinem a doctis pariter, et indoctis usurpatam, quando dicimus de aliquo*: Potest hoc, si velit, *eo ipso affirmamus, aut saltem supponimus, posse illum id velle, nam si non potest velle, falso dicitur*: Potest, si velit, *sed dici absolute debet*: Non potest. *Ita absolute dici debet: Deus peccare non potest, mentiri non potest, seipsum odisse non potest, quia licet haec omnia faceret, si vellet, velle tamen absolute non potest.*

Quoad 4.m vero, ita Iansenius l. 8. de haeresi Pelagiana c. 6. *Indubitatum esse debere, sentio, quod Massilienses, praeter praedicationem, atque naturam, veram etiam, et internam, et actualem gratiam ad ipsam etiam fidem necessariam esse, fatebantur.* Quibus similia habet quoque l. 2. de gr. Chr. c. 15. In quo igitur eorum error sistebat? *In hoc proprie* ( inquit l. cit. de haer. Pelag. ), *quod aliquid primaevae libertatis reliquum putabant, quo, sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet; neuter tamen absque interioris gratiae adjutorio, cujus usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, et potestate.* Quibus quoque similia habet l. cit. de gr. Chr., etiamque alibi; sed quae superfluum ducimus adjicere, cum ex allatis ejus verbis satis, superque pateat, formaliter eum docuisse quartam prop. in eo proscriptam.

Demum quoad 5.m ita l. 3. de gr. Chr. c. 21 *Omnibus illis, pro quibus Christus Sanguinem fudit, et quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donari, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint, et faciant id, quod ab iis volendum, et faciendum esse decrevit.* Iuxta Jansenium autem non datur auxilium sufficiens, nisi simul efficax: Neque igitur juxta eum pro iis, quibus efficacia desunt auxilia ad bene vivendum, et perseverandum, Christum mortuum esse, sequitur; quod idem dictu est, ac nonnisi pro praedestinatis mortuum

esse. Quod et conceptis verbis ibidem asserit: *Nullo modo* ( inquiens ) *principiis Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium, vel pro justorum non perseverantium aeterna salute mortuus esse sentiatur* ( Nihil profecto expressius ). *Ex quo factum est, ut non magis Patrem pro aeterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit.* Nullatenus autem pro aeterna Diaboli liberatione deprecatus fuit: Neque igitur juxta Jansenium pro aeterna infidelium, vel justorum non perseverantium salute. Ex quibus demum ibidem infert, *non perire eum, qui sanguine Christi redemptus est; non perire, pro quo Christus mortuus est . . . et ideo quisquis perit, sive aliquando justus fuerit, sive non justus, non esse pro illo mortuum Christum.* Quomodo autem intelligenda juxta eum sint Apostoli verba 1. ad Tim. c. 2., quod *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, diximus l. 2. tract. 12. cap. 4. pag. 257.

*Prob.* 5.º *ex eo quod quinque Iansenii propositiones damnatas non fuisse in sensu Iansenii, sed in sensu Calvini, prorsus immerito dicitur.*

Id namque Janseniani regerunt, quia Urbanus, ac deinde Innocentius dixerunt, eas jam anathemate fuisse damnatas, quod nonnisi in Calvino effectum fuerat; ex quo sequi, inquiunt, 1.m damnatam fuisse hoc sensu, quod Dei praecepta sint homini justo absolute, et invariabiliter impossibilia: 2.m hoc sensu, quod interiori gratiae numquam resistatur ob impotentiam absolutam, et invariabilem illi resistendi: 3.m hoc sensu, quod, licet homo in praesenti statu necessitate absoluta, et invariabili constringatur ad malum, peccatis nihilominus, demeritisque gravetur: 4.m hoc sensu, quod homo sub motione gratiae absolute nequit illi resistere, sed absolute necessario illi consentit: 5.m hoc sensu, quod nullatenus Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit. Praefatos autem sensus Jansenius rejicit; impossibilitas enim, de qua loquitur prop. 1., non est absoluta, sed relativa, quia profluens ex vividiore delectatione carnali respectu delectationis coelestis; ideoque etiam variabilis, sola ejusmodi ratione variante. Ob ejusdem generis impotentiam, dicitur quoque in prop. 2., et 4., quod interiori gratiae

in statu naturae lapsae numquam resistitur, quodque gratiae praesentis status nequit humana voluntas non obtemperare. Ejusdem quoque generis juxta eum est necessitas, a qua dicitur in prop. 3. non requiri in statu naturae lapsae, ut homo sit liber ad merendum, et demerendum. Ac demum ultro Jansenius fatetur, aliquo etiam sensu Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, scilicet, ut diximus *l. 2. l. cit.*, et quoad sufficientiam pretii, et quoad causae communitatem, et quoad temporalia quaedam gratiae auxilia, quae etiam reprobis conceduntur: Non igitur Jansenii, sed Calvini confixerunt sensum sive Urbanus, sive Innocentius; nec proinde quinque illae propositiones in Jansenii sensu damnatae fuerunt.

Sed resp. neg. maj.; damnatas namque fuisse in senso a Jansenio intento, nedum peculiari suo Brevi declaravit ipse Innocentius, verum etiam solemni Constitutione, ut diximus, tum Alexander VII. omnibus, et singulis Clericis praecipiendo sub excommunicationis poena, ut jurarent, se ex animo id credere: tum Clemens XI. damnando resolutionem casus conscientiae, quod satis esset circa id religiosum silentium. Quibus accedit, quod damnatas eas fuisse in sensu a Jansenio intento, magis, magisque in aperto ponunt 1.° , quod Calvinus omnia Dei praecepta, cunctisque, licet Sanctissimis, et cujusvis gratiae auxilio adjutis impossibilia ajebat ob concupiscentiae vitium cunctis humanis actionibus se immiscens. Jansenius vero non omnia, sed aliqua, nec omnibus, sed aliquibus, propterea quod, quum delectatio gratiae minor est, quam sit delectatio concupiscentiae, impossibile est, quod haec illam non vincat. 2.° quod cum Calvinus nihil umquam meriti, tametsi ex gratia, cognoverit, neque etiam ad illum referri poterat propositio, quod ad merendum, et demerendum sufficiat in praesenti statu libertas a coactione. 3.° quod necessarium non erat duorum annorum spatium impendere, ac 36. Congregationes intra id tempus cogere, ut errores in Calvino ab universa Ecclesia in Concilium coacta diris traditi, et de quibus nulla rursus eruperat quaestio, denuo configerentur. Ad probationem vero respondetur, quod, si ait Urbanus multas Jansenii propositiones a suis Praedecessoribus fuisse damnatas, ait simul, se eas denuo configere *ex diligenti, et matura libri Iansenii, cui titulus* Augustinus, *lectio-*

*ne*, *in quo eas compertum fuerat contineri*, ideoque in sensu a Jansenio intento: falsumque esse, quod Innocentius de cunctis quinque Jansenii propositionibus dixerit, quod jam damnatae fuerant anathemate, cum id tantum dixerit de prima, quippe quod eam et Bajus, et Calvinus evomuerant, et Ecclesia in illis anathemate inusserat; in Bajo scilicet, qui eam docuerat eo fere modo, quo Jansenius; in Calvino autem, quia si cum Dei Justitia non pugnaret, quod aliqua Dei praecepta sint homini impossibilia, ut inquit Jansenius, neque etiam adversus eam esset, quod omnia, quae Deus praecipit, sint homini impossibilia, ut inquit Calvinus.

Prop. II. Commentum simul, ac mendacium Jansenianorum est, ut eorum erroribus, et blasphemiis praestantissimum adsciscerent Patronum, quod quinque Jansenii propositiones Auctorem Augustinum habeant.

*Prob.* 1.° *auctoritate Summ. Pontificum.*

Et 1.° Augustini doctrinam, praesertim quoad gratiam, habitam semper fuisse ab Ecclesia, tamquam sui ipsius doctrinam, declaravit Coelestinus I. scribens ad Galliae Episcopos: *Augustinum* ( inquiens ) *Sanctae recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim semper fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam a meis Decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori.* Praesertim vero Augustini de gratiá doctrinam Ecclesiae Catholicae doctrinam esse, scripsit Summus Pontifex Hormisdas ad Possessorem: *Quid de libero arbitrio* ( inquiens ), *et gratia Dei Romana, hoc est Catholica sequatur, et asseveret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Hilarium, et Prosperum, possit cognosci, etc.* Et sane, ut testatur P. Petavius t. 1. Theol. Dogm. l. 9. c. 6 n. 2., *Augustini de gratia sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres, et Doctores, tum vero Ecclesiae Romanae Praesules, Praesulumque conventus, aliorum ratam, et catholicam judicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse constaret.* Statim autem ac Jansenii doctrina in lucem prodiit, statim, inquam, Ecclesia eam detestata fuit, ac anathemate inussit:

Longe igitur, ac toto coelo ab Augustini doctrina eam distare, et alienam esse, est dicendum.

*Prob. 2.° ex apertissimis ipsius Augustini testimoniis e diametro oppositis cuivis ex quinque Iansenii propositionibus.*

Ita enim S. Doctor adversus primam ejus propositionem l. de fide cont. Manich. c. 10. *Quis non clamet, stultum esse, praecepta dare ei, cui liberum non est quod praecipitur facere: et iniquum esse damnare eum, cui non fuit potestas jussa complere?* Et serm. 191. de Temp. *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid a Deo esse praeceptum, et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et l. de nat. et gr. c. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet et facere, quod possis, et petere, quod non possis.* Quae Augustini verba suscepit, consecravitque Trid. *sess. 6. de Justif. c. 11.* Dixerat ibidem c. 23. de justis, *Deum dignos deseri tantum deserere.* Et in Ps. 145. n. 9. *Non deserit opus suum, si ab opere suo non deseratur.* Et l. 4. Confess. c. 9. *Te nemo amittit, nisi qui dimittit.* Reponit quidem Jansenius, postrema haec dicta ab Augustino fuisse hoc sensu, quod Deus neminem deserit subtractione justitiae, nisi prius ab homine desertus fuerit per inobedientiam. Sed perperam; intelligendum namque esse, quod neminem deserit subtractione gratiae actualis, qua possit ipsi per justificantem gratiam adhaerere, patet ex verbis immediate sequentibus: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeternae luce justitiae divinitus adjuvetur; recte non potest vivere.* Ut enim addit cit. l. De nat., et gr. c. 26. *Sanat Deus, non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut praestet etiam, ne peccemus.*

Atque haec satis quidem superque essent. Cum tamen Jansenius, cumque eo Arnaldus ad D. Petri exemplum provocare praesumpserint, ita quoque ex adverso S. Doctor l. de unit. Eccl. c. 9 de ejus lapsu: *Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset: nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et sic confugere supplex ad orationem. Potuit Deo cum Propheta dicere: Adjutor meus esto: ne derelinquas me.* Duplicem namque S. Doctor potestatem distinguit Dei praecepta adim-

plendi ; unam magnam , et robustam , qua homo potest proxime , et immediate illa adimplere , alteram parvam , et invalidam , qua homo nequit proxime , et immediate illa adimplere , sed remote tantum , et mediate , orando scilicet , et sic impetrando uberius auxilium , quo illa actu adimpleat. Ad quod referuntur nedum supra allata ipsius Aug. verba , verum etiam quae habet l. 3. de lib. arb. c. 9. *Nulli homini ablatum est scire utiliter quaerere , quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem , ut quaerenti , et confitenti ille subveniat , qui nec errat , dum subvenit , nec laborat.* Et c. 18. *Praecepto admonitum est liberum arbitrium , ut quaereret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu admoneretur , nisi prius acciperet aliquid dilectionis , ut addi sibi quaereret , unde quod jubebatur , impleret.* Ac l. 1. ad Simplician. qu. 1. *Restat in hac mortali vita libero arbitrio , non ut impleat homo justitiam , cum voluerit , sed ut se supplici pietate convertat ad eum , cujus dono eam possit implere.*

Nec minus luculenter scribit S. Doctor adversus secundam Jansenii propositionem. Et 1.° l. de nat. et gr. c. 65. n. 78. , ubi Hieronymi sententiae et ipse adhaerens , *liberi arbitrii* ( inquit ) *nos condidit Deus. Nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur ; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Si autem interiorii gratiae resisti non posset, quis non videt , quod ad virtutem necessitate traheremur ? Et c. 67. *Potest ergo ei causae, quaecumque illa est, resisti ? Potest plane. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes: Ne nos inferas in tentationem ; quod adjutorium non posceremus , si resisti nullo modo posse, crederemus.* Sic autem se habet voluntas juxta Jansenium sub concupiscentia, quomodo se habet sub gratia: Si ergo vi juxta Augustinum pollet concupiscentiae , quaecumque sit , cum Dei adjutorio resistendi , et gratiae etiam , quantumvis efficax supponatur , illam resistendi vi juxta eum pollere, consequens est.

Dilucido etiam hac super re l. de corr. , et gr. c. 7. , ubi justum e justitia lapsum alloquens , *homo* ( inquit ) , *in eo, quod audieras, et tenueras, perseverares, si velles.* Immerito autem illum hoc modo alloqueretur, nisi gratiam habuisset vere , ac relative sufficientem , ne e justitia excideret , et quam ille libera sua voluntate effectu frustravit. Quod et confirmans l. 1. de peccat. meritis ,

et remiss. c. 39. , *habet* namque ( ait de justo ) *concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit.* Quid clarius ex his verbis , quam quod justus , qui e justitia decidit, habet penes se gratiam juxta Augustinum vere , ac relative sufficientem , ne a justitia decidat ; quodque ipse est , qui in vacuum eam suscipit, ac dum posset ab ea adjutus in justitia permanere, eligit, quantum in se est , de numero reproborum fieri ? Quod et docet l. 2. c. 17. *Ut innotescat* ( inquiens ), *quod latebat , et suave fiat , quod non delectabat, gratiae Dei est , quae hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur , in ipsis itidem causa est , non in Deo:* Quis autem non videt , causam , cur a Divina gratia non adjuventur, esse non posse in hominibus , nisi quia illi resistunt ? Quibus similia habens hom. 12. his quoque peccantem arguit verbis : *Cum per Dei adjutorium in potestate tua sit , utrum consentias Diabolo , quare non magis Deo , quam ipsi obtemperare deliberas ?* En magis , magisque evidens , quod peccans ipse est juxta Augustinum , qui , cum posset per gratiam servire Deo , Diabolo obedire eligit , ideoque interiori gratiae resistit.

Quam demum fuisse Augustini doctrinam ea omnia confirmant supra allata ejus testimonia , quibus docet , omnibus possibilia esse Dei praecepta, quippe quod omnibus Deus suam gratiam confert, qua illa possint vel immediate , vel saltem mediate implere. Idem autem dictu est , quod interiori gratiae in praesenti statu numquam resistitur, quodque non semper Dei praecepta sint omnibus possibilia ; toties nempe , quoties Dei gratia , licet *operetur , et perficiat effectum suum* , ut loquitur Jansenius l. 10. de gr. Chr. c. 7. , idest omnem effectum , ad quem datur , eo tamen non pervenit , ut vividiorem ex adverso concupiscentiam subjuget : Ajendo igitur S. Doctor , quod omnibus Dei praecepta sunt possibilia , ait simul , quod utique interiori gratiae resistitur. Hinc scite advertit Bergerius *art. Jansenius* , quod ex secunda Jansenii prop. , velut prono alveo , aliae quatuor fluunt ; et prima scilicet , ut modo vidimus , et quae sequuntur, ut facili ratiocinio quisque potest colligere

Quaenam modo adversus tertiam Jansenii propositionem S. Doctor habeat , videamus. Et 1.° adversus Manichaeos Dial. 3. cum Evodio c. 2. loquens de motu vo-

lantatis, *si naturaliter* (inquit), *vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest.* Et l. de duabus animabus c. 11., postquam praemisit peccati definitionem, quod nempe est *voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*, continenter pergit: *Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum esse, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in Scholis, et Antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum?* Et paullo infra: *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis est, et insaniae.* Quibus in locis Augustinum de libertate loqui a simplici necessitate, ex eo liquet, quod contra Manichaeos agit, qui ne somniabant quidem, malas animas, quas comminiscebantur, male in nobis agere coactas, et invitas peccare. Huc quoque refertur, quod l. de nat. et gr. c. 65. ex Hieronymo laudat, scilicet, quod *nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, ibi nec damnatio, nec corona est.*

Eadem quoque evidentia adversus quartam Jansenii prop. non semel loquitur. Satis hic sint quae habet l. de spir. et litt. c. 34. *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat, profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.* Ait quidem Jansenius, significare his verbis Augustinum, consentire, et dissentire ita pertinere ad voluntatem, quemadmodum affirmare, et negare pertinet ad intellectum. Sed respondet P. Dechamps l. 3. de haer. Jans. Disp. 3. c. 1., *an timendum S. Doctori fuit, ne quis arbitraretur, consentire, et dissentire non voluntatis, sed intellectus munus esse? Quis umquam negavit, velle officium esse voluntatis, sicut intelligere est officium mentis? Quid*

*ergo S. Augustinus tot verbis id unum contendere, quod nemo inficiatur?*

Quae demum tradit adversus quintam Jansenii prop., produximus *l. 2. tract. 12. cap. 4. prop. 1. pag. 264.*, ubi consulantur: ex quibus omnibus nemo est, qui non videat, calumniam tanto Doctori a Jansenio, ejusque gregalibus impactam esse, quod ipse alicubi eorum erroribus faverit, quibus immo tot in locis apertissime adversatur.

*Prob.* 3.º *evertendo quae Jansenius praesumit ex Augustino statuere.*

Et 1.º falsum est, Augustinum docuisse, quod hominis voluntas non determinatur, nisi a delectationibus vel coelesti, vel terrena; ait enim S. Doctor l. de cathech. rudib. c. ult., *Diabolum non solum per cupiditates tentare, sed etiam per terrores insultationum, et dolorum, et ipsius mortis.* Item l. 2. de Gen. ad lit. c. 28. ,*nihil sic revocare hominem a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitationem.* Item l. 2. de peccat. meritis c. 10. *Etiam illa peccata juste imputari, quae non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandae molestiae alicujus, aut doloris, aut mortis.* Sic etiam Enarr. in Ps. 79., *omnia* ( inquit ) *peccata duae res faciunt in homine, cupiditas, et timor.* Et paullo infra: *Ad omne recte factum amor, et timor ducit. Ad omne peccatum amor, et timor ducit.* Tandem l. 1. ad Simplician. qu. 2., Deum *ad se homines trahere variis, et ineffabilibus modis, per timorem, dolorem; etc.* Idem autem dictu est, quod nedum amor, sed et timor ad bonum, et malum ducit, quodque Deus ad se trahit homines per timorem, dolorem, etc., idem inquam, dictu, quodque non est sola delectatio, a qua hominis voluntas ad utrumque determinatur; non enim ex delectatione oritur timor, sed amor, nam quod delectat, bonum est, et quod est bonum, timorem non excitat, sed amorem: Falsum ergo, Augustinum docuisse, quod hominis voluntas non determinatur, nisi a delectationibus vel coelesti, vel terrena. Quod si inquit l. cit. ad Simplician. *Quis animo amplectitur aliquid, quod non eum delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit?* Et paullo infra: *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animam, moveri nullo modo potest*: Et l. 22. cont. Faustum: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*: haec, alia-

que id genus intelligenda esse vel de quavis propensione in objectum, quamvis non semper sub ratione jucundi; vel saltem non stricte, sed moraliter, de eo scilicet, quod ordinarie, atque ut plurimum fit, ex iisdem supra allatis testimoniis manifeste sequitur; nonne enim secus tribuendum Augustino esset, quod pugnantia dixisset?

2.° falsum quoque est, eum docuisse, quod in duarum inaequalium delectationum conflictu voluntas nostra illi necessario obsequitur, et secundum illam necessario operatur. quae alteram intensive superat; a sola enim voluntate proxime petendam esse rationem, cur e duobus, qui aequali delectatione carnali sollicitentur ad malum, alter peccat, alter in bono consistit, expressis verbis Augustinus docet l. 12. De Civ. Dei c. 6. *Si duo* ( inquiens ) *aequaliter affecti animo, et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa, unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causae, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala. . . et unus tentationi cedat, atque consentiat, alter idem, qui fuerat, perseveret, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* In hypothesi autem Jansenii carnalis cupiditatis delectatio, qua ponit S. Doctor, eos aeque sollicitari ad malum, vel supponitur major delectatione coelesti, vel aequalis, vel minor. Si major, dicere Augustinus debuisset, necessario futurum, ut ambo illi homines peccarent: Si aequalis, quod vel peccasset uterque, vel uterque suspensus haesisset: Si minor, quod uterque castus necessario mansisset: Falsa igitur Jansenii hypothesis, Augustinum nempe docuisse, quod in duarum inaequalium delectationum conflictu voluntas nostra, etc.

Nihil autem ineptius, ac risu vere dignum, quam quod Jansenius regerit, de statu scilicet innocentiae ibi Augustinum loqui; tum quia in primaevo illo statu non duo, sed unus tantum homo extabat; tum quia in eodem nulli carnali concupiscentiae homo erat obnoxius.

3.° falsum demum est, nullam in homine libertatem Augustinum agnovisse in praesenti statu, nisi a coactione; ita enim 1.° S. Doctor l. 2. de Actis cum Felice Manichaeo c. 3. *Veritas dicit, omnia ista, quae videmus, et quae non videmus, quae naturaliter subsistunt, a Deo facta esse: in quibus rationalem creaturam etiam ipsam factam, sive in Angelis, sive in hominibus, ac-*

*cepisse liberum arbitrium*; *quo libero arbitrio si Deo servire vellet secundum voluntatem, et legem Dei, haberet apud eum aeternam felicitatem*; *si autem legi ejus subdi noluisset, sed potestate sua usa contra ejus fecisset imperium, secundum ejus justitiam poenae debitae subjaceret*. Et paullo infra: *Dominus dicens, aut facite hoc, aut facite illud, ostendit esse in potestate, quid facerent*. Ita autem inquiens, certum profecto est, eam in homine admisisse, et propugnasse libertatem, quam illi Manichaei denegabant; nec Manichaei negabant in homine libertatem a coactione, sed eam, quae dicitur a necessitate; ut enim disserit Tapperus art. 7. cont. Calv., *hanc voluntatis libertatem, quae coactionem excludit, et externum motum, quo violenter voluntas trahatur, nec Manichaei, nec alii haeretici negaverunt, noverunt enim inseparabilem esse a voluntate*: Nedum igitur libertatem a coactione, sed et eam, quae dicitur a necessitate Augustinum in homine agnovisse, consequens est. 2.° ut constat ex l. 2. de Nupt., et concup. c. 3., Juliano objicienti, Coelestianum, et Pelagianum ab Augustino vocari, *si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem*, diceret, respondet S. Doctor; *Liberum in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus*; *non hinc estis Coelestiani, et Pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio Dei, et non erui parvulos a potestate tenebrarum, et sic transferri in Regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc estis Coelestiani, et Pelagiani*. Porro si eadem et penes Augustinum, et penes Pelagianos erat notio liberi arbitrii, profecto sicut Pelagiani nedum homini tribuebant libertatem a coactione, sed et libertatem a quavis necessitate, utramque etiam homini Augustinum tribuisse, cuivis consideranti patet; secus namque dicere non debuisset, *liberum in hominibus esse arbitrium, utrique dicimus*, sed potius *liberi arbitrii nomen utrique retinemus*: Utramque igitur homini Augustinum tribuisse, magis, magisque est perspicuum.

Quod demum clariori semper luce colligitur ex eo, quod habet l. de gr. Chr. c. 47., *Ita quaestio* (inquiens), *ubi de arbitrio voluntatis, et de Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur*; *quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur*

*auferri.* Quid autem ad discernendum facilius, quam quod voluntas nequit cogi ad volendum, quia in hoc casu vellet simul, et non vellet; ideoque ubinam ulla difficultas in concilianda Dei gratia cum libero hominis arbitrio, si juxta Augustinum nonnisi libertatem a coactione servaret voluntas sub motione gratiae, non vero etiam libertatem a quavis necessitate? *Tam certum est istud* ( ita apposite P. Dechamps l. cit. c. 3. ), *tamque perspicuum, ut vel ipsi Philosophiae tirones in hac libertate cum Dei gratia componenda ne levissimam quidem difficultatis umbram suspicentur; et persuadebunt Adversarii, Augustinum, Doctorum omnium aquilam, ac veluti ingeniorum apicem in hac difficultate caligasse, eamque difficillimam, a paucis intelligibilem, et quemlibet nostrum vehementer angustantem appellasse, quam nec Theologi vocant in quaestionem, quamque nullo negatio dissolvunt, qui primis Philosophiae elementis initiantur?*

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Non aliam umquam in praesenti statu agnovit Augustinus gratiam, nisi efficacem: ut patet 1.° ex eo quod discrimen juxta eum reponendum inter gratiam utriusque status, est, quod in primaevo statu habuit homo adjutorium, ut loquitur l. de corrept., et gr. c. 12., *sine quo non posset perseverare, si vellet*; in hoc vero eget adjutorio, *quo in illo Deus operetur, ut velit . . . ac, ipso donante, invictissime, quod bonum est, velit, et hoc deserere invictissime nolit.* Id genus autem adjutorium non est, nisi efficax; 2.° ex characteribus, quos gratiae medicinali tribuit, id quod nempe *a nullo duro corde respuitur*, ut loquitur l. de praed. SS. c. 8., et quod *facit, ut velimus, praebendo vires efficacissimas voluntati*, ut loquitur l. de gr. et lib. arb. c. 16. Ejusmodi autem characteres nonnisi efficaci gratiae conveniunt. 3.° ex illis ejusdem testimoniis, quibus docet, quemquam habentem internam Christi gratiam, eo ipso bonum operari: *Si enim* ( inquit cit. de praed. SS. ) *omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit, profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit, nam si audisset, et didicisset, venisset.* Et paullo post: *Qui credunt praedicatores forinsecus insonantes, intus a Patre audiunt, et discunt; qui autem non credunt, foris*

*audiunt*; *intus non audiunt*, *neque discunt*. Et l. de gr. Chr. c. 13. *Qui novit*, *quod fieri debeat*, *et non facit*, *nondum a Deo didicit secundum gratiam*. Quod si Augustinus non aliam in praesenti statu agnovit gratiam, nisi efficacem, 1.° quidem, omnem hoc ipso deesse gratiam censuit iis, quibus deest gratia efficax; quae profecto cum desit omnibus, qui Dei praecepta transgrediuntur, secus namque illa non transgrederentur, sintque Dei praecepta iis, quibus omnis deest gratia, omnino etiam impossibilia, iis omnibus idcirco, qui illa transgrediuntur, omnino etiam impossibilia esse, censuit, ac deesse iis gratiam, qua possibilia fiant. 2.° cum numquam efficaci gratiae resistatur, secus namque esset, et non esset efficax, eo ipso etiam, quod non aliam, nisi efficacem gratiam in praesenti statu agnovit, censuit item, quod interiori gratiae in praesenti statu numquam resistitur; En igitur et prima, et secunda Jansenii propositio adamussim juxta Augustini doctrinam; quaeque idcirco, nonnisi hanc damnando damnari poterant.

Resp. neg. maj.; quoad 1.m enim, per adjutorium *sine quo*, et *quo* gratiam Augustinum non intellexisse, quatenus est sufficiens, et efficax; sed per adjutorium *sine quo* gratiam intellectus, qua tantum egebat homo innocens ad perseverandum, per adjutorium *quo* gratiam voluntatis, qua ad perseverandum eget praeterea homo lapsus, ostendimus *l. 2. tract. 11. cap. 2. pag. 218.*, *et 224.* Caeterum in hoc quoque statu naturae lapsae homini a Deo conferri juxta Augustinum adjutorium *sine quo*, evidenter patet ex ejus verbis l. de corrept. et gr. c. 11., quod in statu innocentiae dederat Deus *homini bonam voluntatem* . . . *dederat adjutorium*, *sine quo in ea non posset permanere*, *si vellet*; *ut autem vellet*, *in ejus libero reliquit arbitrio* . . . *Nunc autem quibus deest tale adjutorium*, *jam poena peccati est*. *Quibus autem datur* ( datur ergo ), *secundum gratiam datur*, *non secundum meritum*. Quod si ait: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium*, *jam poena peccati est*, non ideo ita ait, ut Janseniani regerunt, quia sufficiens ad perseverandum gratia justis aliquando desit; sed quia cum homo per peccatum justitiam amiserit, 1.° in peccati poenam destituitur aliquando gratia immediate sufficienti, cumque sola relinquitur gratia orandi, qua possit uberius auxilium sibi adsciscere: ac 2.°, quia non ad perseverandum in bono,

quod deseruit, sed ad resurgendum a peccato Dei gratia illi adest.

Nec magis habet roboris quod 2.° loco objectum est, non enim tum allata, tum alia id genus, quae ex Augustino producuntur, testimonia evincunt, aliam eum non agnovisse gratiam, nisi efficacem; sed tantum, quod, praeter gratiam ab effectu sejunctam, quia ab homine respuitur, idest mere sufficientem, aliam quoqne docet, Deum largiri gratiam, quum prae caeteris alicujus misereri vult, quae a nemine respuitur, et qua facit, ut velimus, praebendo vires efficacissimas voluntati. Id autem nemo Catholicorum in aleae dubium vocat, ac solum in explicanda ratione, qua, illaesa arbitrii libertate, *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, *invictissime* operetur, inter se dissentiunt, ac, salva fide, quisque in suo sensu abundat. Sive, ut disserit Franciscus Vanrast tom. 2. Veritatis in medio positae pag. 59., *si dixisset Iansenius, gratiae interiori efficaci non resisti, nihil a fide, vel a castigatiori Theologia dixisset extraneum*; at quia ajendo absolute, quod interiori gratiae in praesenti statu numquam resistitur, hoc dicendi modo exclusit gratiam vere, ac relative sufficientem, ideo, tamquam haeresim manifestam docens, catholicam fidem, universamque Ecclesiam offendit.

Quod et demum quoad 3.m dicimus; quaenam enim gratia, per quam bonum discitur, nisi ea, per quam voluntas convicta de bono, illi acquiescit, ideoque efficax? Quam etiam *cit. l.* appellat S. Doctor gratiam, qua homo intus audit, quia intime eum penetrat, eique adeo proponit bonum, ut illud voluntas certo, atque infallibiliter amplectatur. Praeter hanc tamen admisisse etiam gratiam mere sufficientem, idest cui voluntas resistit, dum per eam vires haberet, cum quibus cupiditatem debellare, ac superare posset, et Dei mandata servare, nec solum potentia absoluta, sed et potentia relativa ad praesentes ejus circumstantias; aliis ejusdem testimoniis inter probationes ostendimus.

Haec quidem satis, superque essent. Sed et quod sequitur prae oculis habeatur; dumque allata magis, magisque, alia etiam id genus, quae ex Augustino congerunt Janseniani testimonia adversus gratiam mere sufficientem, facili opera solventur: voluntatis nempe, et actionis gratiam, idest qua absolute egemus, ut bene

velimus, et agamus, quamque secundum fidem Catholicam strenue S. Doctor propugnavit adversus Pelagianos, interdum quidem efficacem esse, interdum inefficacem; ipsum tamen passim loqui de ea maluisse, quasi esset cum effectu conjuncta, seu efficax, non quia aliam mere sufficientem rejecerit, atque excluserit, sed, ut advertimus cum Petavio *l.* 2. *tract.* 11. *cap.* 2. *prop.* 6. *resp. ad* 1.m *pag.* 200., 1.° quia cum Pelagiani dicerent, homines non tantum posse, sed Sanclos, Deoque gratos fieri, et esse reipsa suis viribus, contra eos proinde S. Doctor dimicans, et gratiam, atque ejus necessitatem, usumque commendans, non quid illa posset, sed quid reipsa faceret iu nobis, praedicare debuit. 2.° quia ita fert usus, consuetudoque scribendi, et loquendi, ut cum de re aliqua sermo incidit, quae virtute, ac facultate aliqua praedita est, de ea non aliter loquamur, quam ut reipsa id agit, et confert, ad quod adhibetur. Caeterum praeter gratiam cum effectu conjunctam, aliam quoque agnovisse, quae effectu frustratur ob liberam hominis resistentiam, jam, ut diximus, inter probatioues vidimus.

Objic. 2.° Quidnam per gratiam mere sufficientem, nisi merae possibilitatis gratia, idest gratia, quae dat merum posse? Hanc autem, conceptis verbis docet D. Aug. *l. de gr. Chr. c.* 47., nullatenus in praesenti statu sufficere sive ad legem implendam, sive ad quodvis opus in ordine ad salutem, sed gratiam necessariam in praesenti statu, quam proinde appellat *gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, eam tantum esse, qua *bene velimus, et agamus*, idest efficacem: Nullatenus ergo in praesenti statu gratiam mere sufficientem agnovit, sed solam efficacem.

Resp. neg. min.; neque enim gratia possibilitatis, quam S. Doctor ajebat, nullatenus sufficere in praesenti statu sive ad legem inplendam, sive ad quodquis opus in ordine ad salutem, confundenda est cum gratia mere sufficienti, quam Catholici profitentur; nec gratia, quae dat velle, et operari, cujus confessionem idem S. Doctor quaerebat a Pelagio, confundenda est cum gratia efficaci, de qua in Scholis agitur. Per gratiam enim possibilitatis non aliud intelligebat Pelagius, nisi ipsam naturam libero arbitrio praeditam, cui postmodum adjecit legem, atque doctrinam, Christi exempla, ac interiores

illustrationes; hujusque generis gratiam, ajebat contra eum Augustinus, nullatenus in praesenti statu sufficere, sive ad implendam legem, sive ad quodquis opus salutare. Per gratiam vero, quae dat velle, et operari, intelligebat S. Doctor gratiam, quae ipsam voluntatem praevenit, ac usque in finem adjuvat ad bonum, quam pertinaciter Pelagius noluit umquam ad mortem usque confiteri: *Nos* ( ita ipse Pelagius apud Aug. l. cit. c. 4. ) *primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, idest posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturae suae contulit; duo vero reliqua, idest velle, et esse, ad hominem referenda sunt.* Hinc ajebat contra eum Aug. c. 47., *non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Objic. 3.°, quod cum Semipelagiani Augustino objicerent adversus praedestinationem, quam propugnabat, consequens ex ea esse, quod dici posset: *Si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis*, respondens eis S Doctor. L. de dono persev. c. 22., id unum, ait, in ejusmodi propositione reprehendi, quod in secunda persona enuntiabatur, ac utique posse in tertia persona enuntiari: *Si qui obediunt* ( ajendo, *si praedestinati etc.* . Idem autem dictu est, quod iis, qui non sunt praedestinati, subtrahentur aliquando obediendi vires, ut obedire cessent, quodque iis relative ad vires, quas habent, impossibilia sint Dei praecepta, eisdemque desit gratia, qua sint possibilia: Haec itaque Augustini doctrina, juxta quam idcirco excusa fuit prima Jansenii propositio.

Resp. neg. maj.; non enim id solum, quod in secunda persona enuntiabatur, seu quoad loquendi modum, praefatam propositionem S. Doctor reprehendit, sed in seipsa etiam, et quoad rem ipsam, secus namque eam nec vocasset *abominabilem, durissimam, odiosam,* nec sequenti emendasset modo: *Si qui obediunt, sed in Regnum ejus, et gloriam praedestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Quod si eam S. Doctor emendans, abstu-

lit ab ea virium subtractionem, quidnam dicendum, quam quod eam ob ejusmodi subtractionem abominabilem, durissimam, et odiosam vocaverat, ideoque eam in seipsa, et quoad rem ipsam reprehenderat? De eadem proinde, prout ab Augustino emendata, sermonem faciens D. Proper in Excerpto 9. Genuensium: *Hanc propositionem* ( inquit ) *corrigens, atque emendans Augustiuus, tolerabiliorem audientibus facit; quae vera sunt, temperans, quae falsa sunt, resecans.* Quidnam autem resecuit, nisi subtractionem virium? Ob hanc igitur eam abominabilem, durissimam, et odiosam vocasse, magis, magisque perspicuum est. Quibus accedit, iis etiam, qui obedire cessant, orationis gratiam saltem adesse, qua possent sibi vires adsciscere ad obediendum usque in finem, innuit ibidem S. Doctor illis verbis; *Sperandum, et quotidianis orationibus poscendam esse obediendi perseverantiam*; si enim quotidianis orationibus poscenda, iis ergo, qui eam poscunt, datur; et quibus non datur, ideo non datur, quia eam non poscunt.

Objic. 4.ª Per magnam, et robustam voluntatem adimplendi Dei praecepta aliam intelligi non posse, quam eam, qnae datur per gratiam efficacem, notius est, quam ut probatione egeat. Qui autem voluntatem ejusmodi magnam, et robustam non habet, nullam habet juxta Augustinum potestatem Dei praecepta adimplendi, ut patet ex ejus verbis l. de gr., et lib. arb. c. 16. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, et invalidam. Poterit autem, cum magnam habuerit, et robustam.* Quod et confirmans l. 8. Conf. c. 5., ita de seipso ante ejus conversionem scribit: *Voluntas autem nova, quae mihi esse coeperat, ut te gratis colerem . . . nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam*: Quum ergo homini deest gratia efficax ad Dei praecepta adimplenda, nullam juxta Augustinum potestatem illa adimplendi habet; quod idem dictu est, quodque illi secundum praesentes, quas habet, vires, sunt impossibilia, eique deest gratia, qua possibilia fiant.

Resp. neg. min.; hoc unum namque ex relatis Augustini verbis inferri potest, quod, absente gratia efficaci, non semper homo babet gratiam sufficientem proxime, et immediate Dei praecepta adimplendi, quam tamen adsciscere sibi potest per gratiam orationis; hanc enim ne-

mini ex Dei largitate deesse, iterum, atque iterum tradit S. Doctor, ut inter probationes ostendimus.

Objic. 5.º Nonne saltem unum, idemque, quod homo absque Dei gratia in eo statu est, in quo fuit Petrus, quum negavit Christum, quodque Petrus, quum Christum negavit, desertus prorsus fuerat a Dei gratia, a qua desertus et impos erat ad Christum confitendum, et deerat illi gratia, ut Christum confiteretur? Conceptis autem verbis Augustinus docet, quod homo absque Dei gratia in eo statu est, in quo fuit Petrus, quum negavit Christum: *Quid est homo* ( inquiens serm. 124. de Temp. ) *sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum?* Hoc ipso igitur docet, quod, quum Christum negavit, desertus prorsus fuerat a Dei gratia, a qua desertus et impos erat ad Christum confitendum, et deerat illi gratia, qua Christum confiteretur; quod cum prima Iansenii prop. esse consonum, nemo est, qui non videat.

Resp. dist. maj.; unum scilicet, idemque esse, ac non habuisse Petrum penes se gratiam efficacem Christum confitendi, ac neque etiam gratiam sufficientem, qua proxime, et immediate id posset; non vero ipsam gratiam sufficientem, qua id posset remote, et mediate, orando scilicet, et per orationem gratiam sibi adsciscendo, ne Christum negaret, sed illum fortiter confiteretur. Hunc porro esse S. Doctoris sensum *l. cit.*, patet ex ejus verbis *l. de unit. Eccl. c.* 9. supra allatis, ubi expresse docet, quod Petro, *dum se perculsum sensit*, orationis gratia non defuit, qua *potuit Deo cum Propheta dicere: Adjutor meus esto, ne derelinquas me.*

Objic. 6.º ipsam orationis gratiam nonnullis juxta Augustinum aliquando subtrahi, ut patet ex eo, quod scribit l. 1. ad Simplician. qu. 2., ubi: *Nonne aliquando* ( inquit ) *ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dolemus, jam oramus.* Quod cum ita sit, omnis omnino juxta eum gratia deest homini, quum Dei praecepta transgreditur, cum nec ipsa juxta eum illi adsit orandi gratia: Falsum ergo, quod juxta Augustinum semper illi adsit gratia orandi, qua uberius auxilium queat sibi adsciscere, et possibilia illi fiant Dei praecepta. Accedit, aliis quoque in locis absolute Augustinum adstrue-

re, quod interdum ipsis justis cum gratia, quam habent, impossibilia sunt Dei mandata; ut *l. de perfect. just. c.* 3, *et* 4., *l. de gr.*, *et lib. arb. c.* 17., *tract.* 34. *in Jo. n.* 9., *et serm.* 97. *de diversis c.* 4.. Sicut etiam absolute legitur scripsisse ad Bonifac. Comitem *ep.* 70., quod Deum rogaret, ut posset aliquando, quod eo tempore non poterat. Ita igitur.

Resp. neg. maj.; 1.° enim aliud oratio, aliud gratia orandi est; nec S. Doctor ait, quod cum hominis oratio tepida est, et fere nulla, deest ei gratia, qua ferventer, et quemadmodum par est, oret; immo contrarium eum docere, patet ex ejus verbis supra allatis. 2.° quia aliud quoque est gratia sufficiens orandi, aliud orationis efficax gratia. Ex objectis autem Augustini verbis ad summum inferri potest, quod non raro deest homini gratia efficax, qua ferventer oret, non vero quod illi desit gratia sufficiens orandi, qua, ut par est, orare posset; quam numquam homini deesse, constanter S. Doctor docuit, ut ex ejus testimoniis supra allatis evidens est: docens simul, ut advertit Card. Norisius in opere, cui titulus: *Janseniani erroris calumnia sublata* pag. 129., quod *tepida oratione impetramus spiritum ferventioris orationis*, ait enim Ps. 17. *Ego libera, et valida intentione preces ad te direxi, quoniam, ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem.*

Ad id vero, quod additum est, resp. neg. cons.; ut enim liquet ex aliis Aug. testimoniis supra allatis, non loquitur illis in locis S. Doctor; nisi de potentia proxima, et immediata, qua ipsimet justi nequeunt interdum cum gratia, quam habent, Dei mandata observare, sed possunt per orationem uberius sibi auxilium adsciscere, qua id possint. Quod vero objectum est ex cit. ep. ad Bonifac., nihil prorsus facessit; cum enim hic quaesisset ab Augustino, quomodonam providere sibi deberet, ut qui continentiae proposito post primas nuptias se obstrinxerat, alias deinde nuptias iniverat; respondet illi S. Doctor, quod prius voluntatem uxoris explorasset, an vellet secum continentiam in Matrimonio servare? Quod si nollet, rogaret Deum, ut uxoris voluntatem ad servandam continentiam flecteret: *Ut quod* (illi ajebat) *non potes modo* (defectu scilicet consensus uxoris), *possis aliquando* (accedente scilicet illius consensu).

Objic. 7.° quod legitur l. de correpț., et gr. c. 14.

*Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Coelo, et in terra omnia quaecumque voluit, fecit, et qui etiam illa, quae futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* Quid clarius, quam quod juxta eum talis est ejus gratia, qua velit hominem salvum fieri, ut illi nequeat humana voluntas resistere, vel obtemperare? Ita igitur.

Resp. neg. min.; cum enim certo certius aliis in locis doceat, sub motione cujusvis gratiae liberum semper fatendum esse hominis arbitrium, quo illi homo consentit, et cooperatur, non aliud idcirco objectis verbis significari dicendum est, quam quod id, quod Deus praesciverit futurum per media ex se qnidem repudiabilia, sed quibus ipse certo, et infallibiliter praescivit, voluntatem humanam libere bonum operaturam, atque in eo perseveraturam usque in finem, erit simul a nostrá libertate dependens, et uumquam fiet, immo fieri poterit, quod non sit certo, atque infallibiliter futurum. Qua super re consulatur etiam quod scripsimus *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *pag.* 238.

Objic. 8.°, quod Augustinus scribit l. 5. De Civ. Dei c. 10., ubi quaerens, *an voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas*, ait, *si necessitas nostra illa dicenda est, quae non est in nostra potestate, sed, etiamsi nolimus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum esse, voluntates nostras, quibus recte, vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse.* Contra vero, *si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio, cur eam timeamus.* Porro necessitatem, de qua primo loquitur, esse necessitatem coactionis, alteram vero illam, quae simplex necessitas dicitur, qua voluntas nempe ita ad unum determinatur, ut contrarium velle nequeat, nemo est, qui non videt: Docet ergo S. Doctor, necessitatem quidem coactionis libertati adversari, non vero aliam, qua simpliciter necessarium sit, ut velimus. Quod et confirmans in Enchir. c. 105. *Voluntas* (inquit) *aut voluntas non est, aut libera dicenda est.* Et l. 3. de lib. arb. c. 3. *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* Et l. cit. De Civ. Dei: *Necesse est, ut quod volumus, libero velimus arbitrio.* Ac de-

mum l. de nat. et gr. c. 46. *Perquam absurdum est, non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus*; rejiciens his verbis illam Pelagii sententiam: *Voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur quidquid naturali necessitate constringitur*. Ait propterea D. Th: qu. 22. de verit. art. 1. *Libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Cujus proinde doctrinam sequens qu. 10. de potent. art. 2., *naturalis necessitas* ( inquit ), *secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat.* Quae omnia cum tertia Jansenii prop. cohaerent.

Resp. neg. min.; necessitas enim, sub qua S. Doctor non negat, esse voluntates nostras, illa est, ut patet ex contextu, quam voluntati imponi, dicebat Tullius, admissa in Deo futurorum praescientia. Necessitas autem, quam voluntati imponit Dei praescientia, non est illa, quae dicitur simplex, seu antecedens liberam voluntatis determinationem, sed consequens, ut ubi de Dei praescientia diximus *l. 2. tract. 11, cap. 1. pag.* 153. *resp. ad* 5., ac ipso Augustino duce ostendimus: En ergo etiam necessitas, de qua S. Doctor cit. loco loquitur, consequens nempe liberam voluntatis determinationem, nec proinde simplex; ipso enim Jansenio teste *l. de gr. Chr. c.* 6., Augustini argumentum in l. 5. De Civ. Dei, ex quo illud testimonium sumptum fuit, est, quod *adversus cujusvis fati, aut praescientiae necessitatem arbitrii, et voluntatis libertatem ex professo asserit, ac tuetur.* Hinc patet responsum ad aliud quoque S. Doctoris testimonium ex eodem loco sumptum.

Dum vero *in Enchir.*, et *l.* 3. *de lib. arb.* voluntatem, et liberum arbitrium videtur accipere, tamquam unum, idemque, voluntatem accipit contra Manichaeos non quidem pro mera spontaneitate, et prout distinguitur a coactione, sed pro potestate faciendi, vel non faciendi, exerendi, vel cohibendi motus suos, huc demum, vel illuc se pro libito ferendi, et prout distinguitur a natura, estque actuum suorum Domina. Ita patet ex Dial. 3. cum Evodio c. 2., ubi de motu voluntatis, *si naturaliter* ( inquit ), *vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest.* Quem deinde c. 3. cum motu lapidis comparans, *in eo* ( pergit ) *dissimilis est, quia in pote-*

*state non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut, superioribus desertis, inferiora diligat; et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius.* Et l. de duabus animabus c. 19., objicientibus illi Manichaeis, quod duplicis generis deliberatio animi, in bonum scilicet, et in malum, indicium sit duarum in nobis animarum, *cur non magis*( Augustinus regerit ) *hoc signum est unius animae, quae libera illa voluntate huc, et huc ferri, hinc, atque hinc referri potest?*

Loco demum cit. *de nat. et gr.* agit S. Doctor contra Pelagianos, qui cum dicerent, de essentia libertatis esse, nedum eam, quae vocatur exercitii, sed et eam, quae vocatur contrarietatis ad bonum, et malum, inferebant inde, quod cum homo sit naturaliter liber, naturaliter quoque dicendus est sibi sufficiens ad bonum aeque, et malum, quin scilicet ab bonum Dei gratia egeat. Respondens porro ad id S. Doctor, liberum quidem, ait, hominem esse in praesenti statu tum libertate exercitii, tum libertate contrarietatis, ita tamen, ut quoad bonum egeat Dei gratia, quae illum et praeveniat, et comitetur, et usque in finem adjuvet; qua super re consulantur quae diximus *cap.* 1. *prop.* 1. *resp. ad* 1. *pag.* 85., *et sequ.*: at falsum esse, quod libertas contrarietatis ad bonum, et malum sit de libertatis essentia, inde enim sequeretur, Deum non esse liberum, sed utique simul stare libertatem quoad exercitium, etiamsi voluntas sit ad unum determinata quoad specificationem. Quod et alio S. Doctor exemplo explicans, tametsi, inquit, necessario feramur erga beatitudinem in genere, non enim velle possumus beatos non esse, circa quam proinde liberi non sumus quoad specificationem, liberi tamen sumus in electione mediorum, hujus nempe, vel illius medii ad beatitudinem capesssendam, circa quam proinde in particulari liberi sumus quoad exercitium.

Quo idcirco sensu etiam D. Thomam loqui loco cit., patet ex eodem, quo ipse D. Thomas utitur, felicitatis exemplo, in quam generaliter sumptam necessario rapimur, quamque idcirco tali modo sumptam necessario velle, ait, non repugnare *libertati voluntatis*, idest qua liberi sumus in electione mediorum, quia in horum electione plena, et perfecta quoad exercitium libertate fruimur. Caeterum ne de auctoritate D. Thomae Janseniani glorientur, satis sit,

quod S. Doctor scribit 1. p. qu. 41. art. 2. *Liberum arbitrium habemus respectu eorum, quae non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum.* En quomodo S. Doctor praeter immunitatem a coactione, quam profecto habemus in iis, ad quae rapimur naturali instinctu, requirit etiam ad liberum arbitrium immunitatem a quavis necessitate. Et qu 83. art. 1. ad 3: *Dicendum, quod sumus Domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc, vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his, quae sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus.* Porro si nostrorum actuum domini, penes nos ergo potestas ad utrumlibet oppositorum, eosque ex aequo ponendi, vel non ponendi.

Qua super re advertatur demum, in usu fuisse nedum apud Augustinum, sed et apud alios Ecclesiae Patres, et Doctores, voluntatem quandoque accipere non solum pro facultate volendi absque coactione, verum etiam pro potestate agendi, vel non agendi pro libito. Ita nempe Damascenus, in nostra, inquiens l. de fide orthod. c. 26., voluntate sita esse, *quorum liberam habemus potestatem, ut ea faciamus, aut non faciamus.* Ita quoque D. Bernardus, a quo definitur libertas c. 1. de lib. arb. *habitus animi liber sui, si quidem non cogitur, neque extorquetur*; ubi quod *cogendi* verbum usurpet, prout etiam opponitur simplici necessitati, patet ex verbis immediate sequentibus, *est quippe voluntatis, non necessitatis*; ut enim addit l. de gr. et lib. arb., *ubi necessitas, ibi libertas non est.* Ait proinde serm. 5. in Quadr. *Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est, si volueris dare, vel negare consensum. In tua facultate est, si volueris, inimicum tuum facere servum tuum.* Quibus similia apud alios quoque Patres, et Doctores reperire est.

Objic. 9.°, quod D. Augustinus definit quidem peccatum l. de duab. animab. c. 11., alisque in locis per *voluntatem retinendi, aut consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*, loquens tamen l. 1. Oper. imperf. n. 44. de hac peccati definitione ab eo tradita, *hic* (inquit) *peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam poena peccati.* Et n. 47. *Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quae*

*tibi placuit*, *intuebatur*. Quod et repetit n. 104., et l. 2. Retract. c. 15.. Idem autem dictu est, quod praefata peccati definitio locum in praesenti statu non habet, quodque in praesenti statu ad peccatum imputatur, ideoque etiam ad demeritum id quoque, unde liberum non est abstinere, sed necessario fit: Haec igitur Augustini doctrina, eademque idcirco, ac tertia Jansenii propositio. Quod S. Doctor conceptis verbis eodem loco confirmans, ita n. 105. Iulianum alloquitur: *Multum erras*, *qui necessitatem nullam putas esse peccandi*, *vel eam non intelligis illius peccati esse poenam*, *quod nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est* ( *ut omittam vim mali ejus*, *quod originaliter trahitur*, *hoc enim nullum esse vos vultis* ), *quid patiebatur*, *quaeso*, *qui secundum vestrum sensum tanta mole pravae consuetudinis premebatur*, *ut diceret*: *Non quod volo facio bonum*, *sed quod nolo malum hoc ago*? Et n. 106. *Necesse est*, *ut peccet*, *a quo ignoratur justitia. Numquid ideo*, *cum justitiam cognoverit*, *non sunt ei remittenda peccata*, *quae ignorantiae necessitate commisit?* Ibidem denique cum triplicis generis peccatum distinguat, 1.° scilicet quod est simpliciter peccatum, cujus generis fuit Adae noxa, 2.° quod est poena peccati, cujus generis est concupiscentia, et ignorantia, ac 3.° quod est simul et peccatum, et poena peccati, cujus generis est peccatum, in quo concipimur: quis non videt, veram peccati rationem juxta eum habere, quae ex concupiscentia, vel ignorantia fiunt, tametsi in iis non habeatur libertas primaevi status, quae constituit peccatum simpliciter dictum, sed necessario fiant? Quod et confirmans conceptis verbis l. 1. Retract. c. 15., *qui cogenti* ( inquit ) *cupiditati bona voluntate resistere non potest*, *et ideo facit contra praecepta justitiae*, *jam hoc ita peccatum est*, *ut sit etiam poena peccati*. Quod si vera in iis habetur peccati ratio, profecto et ad peccatum, et ad demeritnm imputantur: Juxta Jansenium igitur aeque ac Augustinum ad demerendum in praesenti statu non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Resp. Et quidem ad 1.m neg. min.; totum namque in objectis locis Augustinum esse, ut ostendat originalis peccati veritatem, licet nobis ab eo liberum non sit abstinere, patet ex ejus scopo contra Pelagianos, qui negabant originale peccatum, quia ab eo liberum non est par-

vulis se eripere. En Augustini scopus, juxta quem contra illos ajebat, quod ad peccandum actualiter necesse est, ut homini liberum sit a peccato abstinere, *si enim homo* ( inquit l. cit. Retract. ) *libero ad faciendum, et non faciendum motu animi caret, si ei abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum ejus tenere non possumus* : at non item ad peccatum originale, quod parvulos inficit, ut ibidem loquitur, *quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero et ad faciendum, et ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat.* Et memorato l. 1. cont. Julian. n. 47. *Origo hujus peccati descendit a voluntate peccatoris. Fuit enim Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt.* Quibus Augustini verbis magis quoque, magisque haeresis Janseniana confoditur, quemadmodum enim juxta eum actualium origo peccatorum est uniuscujusque voluntas, ita origo peccati originalis ab Adae voluntate est petenda. At si Adae liberum non fuisset abstinere a peccato, neque etiam ab ejus posteris originale peccatum contraheretur, ait enim contrahi, *quia etc.* : Neque ergo ab aliquo actualiter peccatur, nisi quia a peccato liberum ei est abstinere. Ait vero, quod Adae summa potestas erat ab opere malo abstinendi; *multa quippe sunt* ( ut addit cit. l. cont. Julian. ), *quae agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere; sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui Deo suo, a quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat*; ita, inquam, ait, quia actualia quaeque peccata ad culpam, et supplicium nobis merito imputantur, tametsi in nobis illa non sit libertatis perfectio, qua primus homo gaudebat : at simul ex his verbis aliud quoque contra Jansenianam haeresim argumentum ex Augustino depromitur; actualia scilicet peccata non ita ab hominibus, quemadmodum Janseniani contendunt, urgente ad malum concupiscentia patrari, ut liberum iis non sit ab illis abstinere.

Apparet proinde, quo item sensu S. Doctor in verbis secundo loco objectis concupiscentiam, et ignorantiam peccatum appellaverit; quia nempe sunt peccati poena, non vero, quemadmodum Pelagiani loquebantur, primordia naturalia. Et sane, nec concupiscentiam materialiter sumptam, nec ignorantiam, quae sit invincibilis, vere, et

proprie peccatum eum censuisse, ostendimus *tract.* 1. *c.* 2, *prop.* 6. *resp. ad* 5. *pag.* 59. : qua super re apertissima praesertim sunt, quae habet quoad concupiscentiam l. 1. de nupt., et concup. c. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* De qua item scribit l. de pecc. meritis c. 4., quod *ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura.* Quidnam disertius? Quoad ignorantiam vero, modo sit invincibilis, apertissima item sunt, quae habet l. 3. de lib. arb. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras.*

Cogi nos demum a concupiscentia ad peccatum, quo sensu dixerit S. Doctor, patet ex *l. cit. Retract.*; idest non vere, et proprie, sed moraliter, quatenus ob pravam ad malum inclinationem facile in peccatum labimur, nisi Dei gratia nos fulciat; nec non comparate ad peccata, in quae omnino libere prolabimur: ac item, quia licet in exercitio, et in admissione deliberata cujusvis peccati nulla nos ineluctabilis necessitas comprimat, attamen absque speciali gratia omnia etiam venialia peccata vitare non possumus. Hoc autem sensu locutum esse, patet tum ex aliis ejus verbis supra allatis, tum ex fidei articulis, quos contra Pelagianos juxta Catholicam fidem tuebatur, quorum unus erat, ut scribit l. de dono persev. c. 2., *in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.*

Objic. 10., quod de Deo habet S. Doctor l. de Nat., et gr. c. 46. *Nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiae, quia non potest velle peccare.* Nec non de Beatis l. 12. De Civ. Dei c. 1. *Quam porro magna sit laus adhaerere Deo, ut ei vivat, etc., quis cogitare digne possit, aut eloqui?* Et l. 5. Oper. imperf. n. 61. *Neque enim tunc sine virtute vivimus, quando nobis concedetur, ne aliquando a Domino recedere possimus.* Quod cum ita sit, nihil clarius, quam quod ad laudem, justitiam, veramque virtutem comparandam, ideoque etiam ad merendum, necesse non est juxta Augustinum, ut homo sit liber a necessitate, sed tantum sit liber a coactione; hac enim tantum libertate Deus est justus, eique adhaerent, et vivunt Beati: Nihil ergo et clarius, quam quod tertia Jansenii propositio cum doctrina Augustini adamussim convenit.

Resp. neg. sequ. min. ; quidnam enim haec duo commune habent, quod nempe ad merendum liber homo esse debet a quavis necessitate, quodque cum Deus naturaliter, et essentialiter sit ipsa Justitia, et Sanctitas, ad immutabilem ipsius voluntatem pertinet illam nolle deserere? Ait vero, quod non audebat hanc ipsius immutabilem voluntatem necessitatem appellare, quia in hac immutabili voluntate adeo sibi complacet, quemadmodum sibi complacet, ipsam Justitiam, et Sanctitatem esse. Quod autem Deo in Coelis immutabiliter adhaerere, et vivere magna sit Beatorum laus, et virtus, nemo in dubium umquam vocavit: laus tamen, et virtus, quae ex merito quidem est ab ipsis, dum in Terris degerent, comparato, sed laus simul, et virtus, quae illic non est amplius meritum.

Objic. 11.° Amisisse hominem liberum arbitrium in peccati poenam, non semel Augustinum docere; ut in Enchir. ad Laurentium c. 30., ubi, *libero arbitrio* ( inquit ) *male utens homo, et se perdidit, et ipsum*. Et epist. ad Vitalem : *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Quibus simi lia habet quoque aliis in locis. Hinc quoque ait in c. 5. ep. ad Galat. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est*. Quod cum ita sit, aliud non superest in praesenti statu juxta ejus doctrinam, quam quod charitati, vel cupiditati necessario obsequamur, prout magis ab alterutra earum ad bonum, vel malum urgemur: Aeque igitur et juxta Augustinum, et juxta quartam Jansenii prop. ea est medicinalis gratiae natura, ut nequeat illi humana voluntas obsistere, vel obtemperare.

Resp. neg. maj. ; quo enim sensu S. Doctor dixerit, amisisse hominem per peccatum liberum arbitrium, ipsemet declarat l. 1. contra duas ep. Pelagii : *Quis nostrum* ( inquiens ) *dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam*. Cum scilicet, ut scripsimus tract. de Act. hum. c. 1., in statu naturae innocentis nulla fuerit concupiscentia, nulla carnis libido, nulla pugna, sed plenissima pax, hinc in illo felici statu fuit homo liberrimus, non modo quoad substantiam, in quantum erat indifferens ad agendum, et non agendum, sed etiam quoad accidentalia libertatis pri-

vilegia, quatenus facillime poterat quodlibet operari bonum nullis retardatus impedimentis, sicut etiam ab omni malo abstinere nullo pondere ad vitium impulsus. A qua libertatis integritate, et perfectione cum in praesenti statu naturae lapsae exciderit, hoc sensu S Doctor ajebat, periisse liberum hominis arbitrium, siquidem revera periit quoad illam integritatem, et perfectionem, licet non perierit quoad rem, et substantiam.

Quod vero ait *in c. 5. ep. ad Galat.*, de delectatione non indeliberata, sed deliberata, nec proinde de necessitate antecedente, sed consequente liberam voluntatis determinationem esse intelligenda; sensumque habere, quod cum actus consistere nequeat cum non actu, necesse idcirco est, quod quum deliberate in bono, vel malo delectamur, bene etiam, vel male operemur: patet 1.° ex *serm. 17. de verb. Ap. c. 2.*, ubi S. Doctor docet, quod penes nos est, magis, vel minus in bono, vel malo delectari, et delectationem coelestem carnali delectationi praeponere: *Inter omnia* ( inquiens ), *quae delectant, plus te delectet justitia. Non ut alia non delectent, sed plus ipsa delectet. Justitia sic delectet, ut vincas etiam licitas delectationes; et ei delectationi, qua licite delectaris, praepone justitiam.* Et c. 4., et 5. *Decertant in te duae delectationes. Modo interrogo, quid praeponas? Praepone delectationem mentis.* Ac 2.° etiam ex eo, quod de se ait l. 8. Conf. c. 8.: *Non faciebam quod incomparabili affectu mihi magis placebat.* En, ut diximus *l. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 6. resp. ad 5. pag. 227.*, gratiae delectatio imcomparabiliter excedens delectationem concupiscentiae, nec tamen efficax, sed inefficax; quia nempe etsi in actu primo magis, vel minus nos delectet, quam concupiscentia, penes nos tamen est, ut in actu secundo nos magis, vel minus delectet.

Accedit falso in objectione Augustino tribui, quod omnis voluntatis actus sit formaliter amor, isque vel supernaturalis charitas, vel vitiosa cupiditas; ab aliis namque affectibus voluntatem quoque sive ad bonum, sive ad malum juxta eum determinari, disertissimis ejus testimoniis supra inter probationes ostendimus. Et sane praeterquamquod consequens inde esset, actus fidei, spei, timoris, etc., quos charitas non imperaret, vitiosos esse., quo nihil absurdius; nullamque in peccatoribus fidei virtutem superesse, quod non minus absurdum; nemo etiam non

videt, quod estne formaliter amor vel imminentis mali aversio, vel illius fuga? Estne delectatio, a qua voluntas movetur ad ejusmodi aversionem, an potius trepidatio, et timor? Per cogitationem autem mortis imminentis, nec non malorum aeternorum a peccato homines revocari, et ad Deum trahi, expresse docet S. Doctor laudatis in locis, neque est, qui in controversiae aleam vocare id possit: Non ergo omnis voluntatis actus est juxta Aug. formaliter amor; sed dicendum cum D. Th. 2. 2. *qu.* 17. *art.* 8., omnem quidem motum appetitivum oriri ex amore, non tamen ipsum semper esse formaliter amorem.

Quaenam demum ex Augustini operibus Janseniani emendicent, ut propugnent, Semipelagianos eo teste utique admisisse praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, nec non ad quintam Jansenii propositionem ex eo fulciendam, produximus, iisque respondimus *cap.* 2. *pag.* 91., *et sequ.* hujus libri, et tractatus, ac *l.* 2. *tract.* 12. *prop.* 1. *obj.* 4., *et* 5: *pag.* 269., *et sequ.*

# TRACTATUS III.

## CAPUT I.

### *De necessitate gratiae. Et* 1°. *ad cognitionem veri.*

Cum operationes intellectus voluntatis operationes praecedant, ignoti enim nulla cupido; cumque praeceptum nobis sit primo, ut declinemus a malo, secundo, ut operemur bonum: recta idcirco methodus postulat, ut primo etiam de gratiae necessitate quoad intellectum, ad verum scilicet cognoscendum, deinde vero de ejus necessitate quoad voluntatem, ad malum scilicet fugiendum, bonumque operandum loquamur. Quorum discussioni duplex 1.° praemittenda est potentiae species, physica scilicet, *exurgens ex vi naturae insita, ac relative proportionata operi*; et moralis, *exurgens ex vi nedum proportionata, sed et expedita operi faciendo.* 2.° duplex quoque species veritatum; naturalium scilicet;

suntque eae, *quae intra naturae ordinem continentur, quarumque assecutio est humano captui accommodata*; et supernaturalium, suntque *eae, quae naturae ordinem, ac naturalem intellectus aciem praetergrediuntur*. 3.° duplex quoque species veritatum tum naturalium, tum supernaturalium; ex iis enim aliae dicuntur speculativae, idest *quae in veritatis tantum contemplatione versantur*; aliae practicae, idest *quae praxi, et usui inserviunt*. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Suapte natura homo potest tum physice, tum moraliter aliquas veritates naturalis ordinis tum speculativas, tum practicas cognoscere. Omnes tamen sive collective, sive distributive sumptas nec moraliter, ac neque etiam physice. Ita communiter quoad primam partem; communius saltem quoad alteram.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis; ad id enim refertur et illud Sap. 13., quod *a magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri*: et illud Ap. ad Rom. 1., quod *invisibilia Dei a creatura Mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas, ita ut sint inexcusabiles*. Utroque autem loco de cognitione per naturale ratiocinium acquisibili sermonem fieri, cuivis consideranti patet. Addit vero eodem loco Apostolus c. 2. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt* ( idest *aliqua legis*, ut explicat D. Aug. l. de Spir. et litt. c. 26. ), *faciunt*; *ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Ubi etiam de cognitione legis naturalis, sin complete, incomplete saltem comparabili per ipsum rationis lumen cuique inditum Apostolum loqui, nemo est, qui non videt; non enim secus dixisset, et in cordibus ipsarum Gentium opus legis scriptum esse, et ipsas naturaliter exequi nonnulla, quae sunt legis: Patet ergo suapte natura hominem posse tum physice, etc.

2.° ex PP.; pro quibus sufficiat, quod Aug. scribit l. 1. ad Simplician. qu. 2. *Non solum* ( inquiens ) *bonum ingenium, sed et honestas, et utiles disciplinas comparari ante gratiam salutarem*. Et Enarr. in Ps. 57. *Manu formatoris nostri in cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et l. 1. Retract. c. 4. revocans quod l. 1. Soliloquior. c. 1. scripserat: *In his libris* ( inquit ) *non approbo, quod in ora*.

*tione dixi*: *Deus*, *qui*, *nisi mundos*, *verum scire noluisti*. *Responderi enim potest*, *multos etiam non mundos multa vera scire*..

3.° ex ratione; quod enim facile ipso naturali lumine demonstratur, potest quoque tum physice, tum moraliter solo naturali lumine cognosci. Ejusmodi autem sunt nonnullae veritates naturalis ordinis tum speculativae, tum practicae: Patet ergo propositum. Quibus accedit, Daemones absque ulla gratia naturalium rerum scientia longe hominibus caeteroqui doctissimis praecellere: Et hi igitur absque ulla gratia aliquarum saltem naturalium rerum scientia pollere possunt.

Prob. 2. pars; impotentia enim exurgens tum ex virium defectu, tum ex impedimentis propria virtute insuperabilibus, nedum moralis, sed et physica est dicenda. Ejusmodi autem est impotentia, qua homo in praesenti statu nequit suapta natura veritates omnes naturalis ordinis sive collective, sive etiam distributive sumptas cognoscere; vitae enim brevitas, onus corporis, sensuum defatigatio, vitae civilis officia, rerum denique infinita propemodum multitudo, ac varietas, et alia id genus, completae cognitionis impedimenta sunt: quibus accedunt quoad veritates practicas, ab iis plene capessendis nos quoque avertere praejudicia educationis, regionis, et consuetudinis publicae, quae non raro in publicas quasdam leges evadunt. carnis illecebras, cupiditatem gloriae, avaritiam, ac omne demum, quod in Mundo est, quodque ab illis regulis nos abstrahit, ut enim ait D. Joannes, *omne*, *quod in Mundo est*, *concupiscentia carnis est*, *concupiscentia oculorum*, *et superbia vitae*, *quae non sunt a Patre*: Patet ergo propositum. Quod et ex iis, quae diximus *l*, 1. *tract*. 1. *art*. 1. *pag*. 17., *et sequ*., ubi de necessitate revelationis disseruimus, magis, magisque manifestum fit. Quid enim clarius, quam quod si nemo hominum absque revelationis praesidio doctrinae, ac legum codicem edidit, qui nullatenus a vero, et recto deflexerit, nemo etiam hominum suapte natura par est, ut omnes naturalis ordinis veritates captu assequatur; ad quas complete capessendas impar idcirco nedum moraliter, verum etiam physice dicendus est?

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. Et 1.° ex Gen. 6., quod *cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore.* Quod cum ita sit, quidnam boni poterit homo cogitare absque gratia? 2.° ex l. 2. Paral. c. 20, ubi legitur Josaphat ad Deum dixisse: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Te.* 3.° ex c. 1. Jo., ubi Deus dicitur *lux in tenebris lucens*, quodque *tenebrae eam non comprehenderunt.* Quidnam autem per illas tenebras, quae Deum non comprehenderunt, nisi homines, qui sibi relicti, et gratia seclusa, Deum, neque etiam, ut Auctorem Naturae, possunt cognoscere? 4.° ex ep. 1. ad Cor. c. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si autem homo ex se posset aliquod verum cognoscere, ex se etiam ab aliis illud ignorantibus discerneretur, ac de se comparate ad eos gloriari posset. 5.° ex ep. 2. ad Cor. c. 3., quod *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Nonnisi autem cogitando ad cognitionem cujusvis veri perveniri potest: Ad neutrum ergo ex nobis sufficimus. Quod demum profiteri dixerunt Patres Conc. Milevitani can. 4. *Donum Dei* ( ajentes ) *est et scire quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus. Sicut enim de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est: Charitas ex Deo est.* Idemque confirmans Arausicanum II. can. 9., *Divini est muneris* ( inquit ), *cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate, et injustitia continemus.* Et can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum.*

Resp. ad 1.m, illud *semper* eo loci, ut passim quoque alibi Scripturarum, significare *ut plurimum*, non vero ita, ut nemo hominum sit, cujus cogitatio ad malum intenta non sit, dicitur namque ibidem de Noe, *invenisse gratiam coram Domino*, eo quod esset vir justus, atque perfectus. Ad 2.m, sermonem illic fieri de eo, quod agere deberet Josaphat in iis, in quibus versabatur, circumstantiis, ut patet ex verbis immediate praecedentibus ipsius Josaphat: *Non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus, etc.* Ad 3.m, per illas tenebras, D. Aug. inter-

prete tract. 1. in Jo., excaecata hominum corda intelligi, *quae istam lucem capere non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint.* Ad 4 m, loqui eo loci Apostolum de fide, aliisque supernaturalibus donis, quibus nemo ab aliis discernitur, nisi per Dei gratiam; pro quibus proinde nemo, nisi in Domino, gloriari debet. In quo caeterum pro ipsis quoque naturae donis gloriari debemus, cum nihil sit, sive in ordine supernaturali, sive in ordine etiam naturali, quod gratis ab ipso non acceperimus. Ad 5 m, loqui et illic Apostolum de insufficientia ex nobis ad omne id, quod spectat ad ordinem supernaturalem, in quo nec ad ipsum fidei initium ex nobis sufficimus: quare et subdit, Deum fuisse, qui tum se, tum caeteros Apostolos *idoneos fecit Ministros Novi Testamenti.* Quo demum sensu intelligendos esse Canones Conc. Milevitani, et Arausicani, ex eorum scopo colligitur Pelagianorum errores configendi, qui ipsum verum supernaturale et cognosci, et amplecti absque Dei gratia, contendebant. Ex quo etiam patet, quo sensu dixerit Arausicanum, quod *nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum*; idest quod, ut aliquis erret, et peccet, utique ad utrumque ex se sufficit; nullatenus tamen, quemadmodum Pelagiani contendebant, ut verum, vel bonum aliquod ad salutem ducens cognoscat, et operetur. Sit namque

Prop. II. Insufficiens homo est absque gratia et ad fidem, et ad ipsum fidei initium, et ad quodvis verum supernaturale. Est de fide.

Prob. 1. pars Et 1.° nihil ex Sacris Litteris evidentius, quam veritates, quas fides credendas nobis proponit, nos nec posse assequi, nec iis debito, idest firmissimo assensu absque gratia adhaerere. Ad hoc enim refertur èt quod ait Christus Matth. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et quod subdidit Matth. 16., postquam D. Petrus ejus Divinitatem confessus fuit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est.* Et quod ait Jo. 6. v. 36. *Et vidistis me, et non creditis. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.* In quae ita D. Aug. l. de Praed. SS. c. 8. *Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Sed ut fiat, Pater dat.* Et v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Quae et de fide in eum dixisse, patet ex sequentibus v. 65. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt . . . propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* In quae idcirco ita idem Aug. l. cit. *Trahi a Patre ad Christum, et audire, ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum.* Idem quoque docet passim Apostolus, nedum scilicet laudatis supra locis, sed et 2. ad Cor. c. 4 *Deus* ( inquiens ), *qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Jesu.* Et ad Eph. c. 2, *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Et c. 5. *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.*

Accedit ex Scripturis, quod cum nihil in effectu esse possit, quod non sit in causa, si illud profecto, quod est salutis initium, et unde incipiunt omnia bona merita, non esset gratia, neque etiam salus, et merita, quibus ad eam pervenitur, essent gratia. Est autem fides salutis initium, et unde incipiunt omnia bona opera, ajente Apostolo ad Heb. 11., quod *sine fide impossibile est placere Deo*: Si ergo fides non esset gratia, quia non ex gratia, sed ex nobis absque gratia credentibus, neque etiam salus ipsa, et merita, quibus ad eam pervenitur, essent gratia, idest ex gratia. Quod cum nefas dictu, nefas quoque dictu habendum, quod fides non sit gratia, idest ex gratia, ad quam proinde homo absque Dei gratia non sufficit.

Ad quam item satis non esse ipsam Evangelii praedicationem, et auditionem, luculenter confirmant illa Apostoli verba 1. ad Cor. c. 3. *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et ad Eph. 1. *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriae det vobis Spiritum Sapientiae, et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus.* Etiamque 1. ad Thess. c. 1. *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto*; quo nempe intus movente, et inspirante fidem susceperant. Hinc et dicitur Act. 16., quod

Deus *cor Lydiae aperuit intendere iis, quae dicebantur a Paulo.* Jure idcirco, ac merito Conc. Araus. II. can. 7. *Si quis* ( inquit ) *per naturae vigorem . . . Evangelii praedicationi consentiri posse confirmat, absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti . . . haeretico fallitur spiritu.*

Qua super re ita demum Trid. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, hominem sine Sancti Spiritus inspiratione, atque ejus auxilio credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Prob. 2. pars, ad ipsum scilicet fidei initium hominem absque Dei gratia non sufficere, quod et Scripturae luculentissimis docent verbis; ad hoc enim refertur quod ait Ap. ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia:* Si autem fidei initium esset ex nobis, jam homo prior Deo daret; in quae idcirco ita D. Aug. l. de Praed. SS. c. 2. adversus Semipelagianos: *Non receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse damnare compulsus est, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, si initium fidei nostrae priores damus Deo, ut retribuatur nobis et supplementum ejus. Et igitur initium fidei nostrae ex quo, nisi ex ipso est?* Et 1. ad Cor. c. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quae Apostoli verba ita urgent, ut idem Aug. dixerit eodem libro c. 3., hoc testimonio convictum praecipue fuisse, cum ante Episcopatum opposito Semipelagianorum errore detineretur. Addit 2. ad Cor. c. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* In quae ita adversus eosdem laud. Aug. l. cit. . . *Attendant, et verba ista perpendant, qui putant, ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum, et ipsum credere est cum assensione cogitare . . . Ergo si non sumus sufficientes cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est.* Addit quoque ad Philipp. c. 1. *Vobis donatum est pro*

*Christo*, *ut in eum credatis*; in quae idem Aug, l. cit. *Non ait*, *ut plenius*, *et perfectius credatis in eum*, *sed ut credatis in eum*. Et 1. ad Tim. 1. *Misericordiam consecutus sum*, *ut fidelis essem*. Neque etiam inquiens, ut ibidem advertit laud. S. Doctor, *misericordiam consecutum*, *ut fidelior*, *sed ut fidelis esset*, *quia sciebat*, *non se initium fidei suae priorem dedisse Deo*, *et retributum sibi ab illo fidei augumentum*. In eo demum totus praecipue est Apostolus in ep. ad Rom., quod si fides uni datur, alteri denegatur, primum petendum est ex Dei Misericordia, alterum ex Dei judicio. Si autem fides, vel fidei initium esset a nobis absque gratia operantibus, ideo fides uni daretur, alteri denegaretur, quia is, cui datur, propriis viribus ad illam obtinendam se disposuit, quod praestare omisit is, cui denegatur: Falsum ergo, quod fides, vel ipsum fidei initium sit ex nobis absque gratia operantibus, sed utrumque ex Dei gratia agnoscendum esse, consequens est. Hinc et merito Conc. Arausicanum II. can. 6. *Si quis*, *sicut augumentum*, *ita etiam initium fidei*, *ipsumque credulitatis affectum* . . . *non per gratiae donum*, *idest per inspirationem Spiritus Sancti* . . . *sed naturaliter nobis inesse dicit*, *Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur*.

Prob. 3. pars. Et 1.° quoque ex Scripturis, ex quibus ad id refertur quod ait Regius Psaltes Ps. 118, *Da mihi intellectum* ( Deo inquiens ), *et scrutabor legem tuam*. Cum autem frustra postuletur, quod penes nos est, quidnam oratio ejusmodi, nisi apertissimum testimonium, quod ad quamlibet scientiam, quae animum excitet ad salutariter operandum, Dei gratia egemus? *Ipsa oratio* ( ita apposite D. Aug ep. 177. ) *clarissima est gratiae testificatio*. Item quod ait Ap. ep. 1. ad Cor. c. 1. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei*, *quae data est vobis in Christo Jesu*, *quod in omnibus divites facti estis in illo*, *in omni verbo*, *et in omni scientia*, cum amore scilicet veritatis conjuncta, et ad recte operandum alliciente. Quodque addit ep. 2. ad Cor. c. 3.: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis*, *quasi ex nobis*; quae Apostoli verba de quavis cogitatione, quae ad recte operandum nos ducat, esse intelligenda, Conciliorum, Patrumque auctoritas compellit; ita enim prae aliis Conciliis Milevitanum, et Arausicanum, II. supra allata; ex Patribus vero ita prae aliis saepe

laud. Aug. l. 6. cont. Julian. c. 26. *Ignorantia minuitur veritate magis, magisque lucente; concupiscentia minuitur charitate magis, magisque fervente. Nihil boni horum duorum est a nobis, non enim spiritum hujus Mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* Ad quod demum referuntur ex Scripturis quae in iis habentur super necessitate gratiae praevenientis ad quidquid sit in ordine ad salutem; ut quum dicitur Ps. 58. *Misericordia ejus praeveniet me*: Et Ps. 78. *Cito anticipent nos Misericordiae tuae*: Et Sap. 6. *Praeoccupat, qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat*; antequam scilicet concupiscant, secus namque non diceretur, eos praeoccupare. Qua super re placeat quoque rationem audire; hominem namque absque Dei gratia vel ea, quae naturae ordinem praetergrediuntur, vel ejus captum superant, naturaliter posse assequi, manifestam contradictionem implicat. Ejusmodi autem est quodvis verum supernaturale: Magis ergo, magisque patet propositum.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod Deus Davidi ait, quemadmodum legitur l. 3. Reg. c. 8. *Quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Verumtamen non tu aedificabis domum nomini meo.* Cogitatio autem, de qua ibi agitur aedificandi Templum Domino, dum dicitur bona, ideoque et pia, quia in Dei honorem, hoc ipso tamen, quod effectu caruit, dicenda ex gratia non est, quod enim Deus inspirat, etiam perficit: Utique ergo dari potest pia cogitatio, quin sit ex gratia; ex quo sequitur, utique etiam hominem ex se sufficere et ad fidei initium, et ad fidem, et ad quodvis verum supernaturale assequendum.

Resp. neg. min.; pleraque enim desideria a Deo inspirari, quin simul velit omnino impleri, patet tum ex praecepto Abrahae dato, ut offerret illi in sacrificium filium suum Jsaac, super quem deinde Deus ipse illi prohibuit, ut manum extenderet; tum ex praecepto Apostolis dato Matth. ult. *docendi omnes gentes*, dum simul Actuum 16. dicitur, quod *prohibiti sunt loqui verbum in Asia, et ire in Bithyniam.* Et pia igitur cogitatio aedi-

ficandi Templum Domino fuit Davidi a Deo inspirata, quin tamen ipsum Templum ab ipso perfici voluisset.

Objic. 2.°, quod, ut legitur Prov. 16., *hominis est praeparare animam*; unde et dicitur l. 1. Paral. c. 28. *Si quaesieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, dejiciet te in aeternum*; ajebatque Regius Psaltes ad Deum Ps. 87. *Mane oratio mea praeveniet te.* Ad quod demum referuntur illa Dei ipsius verba per Zach. c. 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, aliaque id genus Scripturarum testimonia. Quidnam autem per haec datur intelligi, quam quod salutis initium, ideoque fides, hominis est absque gratia; qua tantum eget, ut operetur quod reliquum est ad salutem? Ita igitur.

Resp. neg. min.; non enim aliud, ut et diximus *tract. 2. cap. 2. pag. 87.*, relatis Scripturarum verbis datur intelligi, quam quod praevenienti gratiae nos cooperando, subsequentem gratiam, qua egemus ad finem salutis consequendum, Deus nobis impertitur; secus namque contradicerent (quod dictu nefas) et iis, quae inter probationes produximus, et aliis quoque apertissimis earumdem Scripturarum locis, quibus docemur, Deum operari omnia in omnibus, ipsum nobis dare velle, et perficere pro bona voluntate, nec sine eo aliqnid nos posse facere; quae, aliaque id genus conciliari nequeunt cum aliis supra objectis, nisi ajendo, quod hominis quidem est praeparare animam, nec non Deum precibus praevenire, et quaerere, atque ad eum converti, ipso tamen eum adjuvante, nec absque ejus gratia: sine qua nec animam Deo praeparare, nec Deum precari, et quaerere, nec ad eum converti possit. Apposite idcirco Trid. sess. 6. cap. 5. *Cum dicitur*: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos; *libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus*: Converte nos, Domine, et convertemur, *Dei nos gratia praeveniri, confitemur.*

Objic. 3.° quod legitur Matth. 25., data scilicet fuisse *uni quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.* Quid clarius, quam quod Deus dona sua, ideoque et fidem, unicuique largitur juxta naturalem, quae illi inest, facultatem ea recipiendi? Non igitur fides, et alia id genus Dei dona ex gratia, sed ex naturae merito.

Resp. neg. min; rite enim per talenta, de quibus eo loci agitur, gratiae subsequentes intelliguntur, quas

Deus unicuique distribuit juxta rationem, qua homo praecedentibus gratiis cooperatus fuerit. Ita prae aliis D. Thomas 2. 2. *qu.* 24. *art.* 3. *ad* 1.

Objic. 4.° quod Christus ait apud Marcum c. ult. *Qui crediderit*, et *baptizatus fuerit*, *salvus erit*; quo in loco advertendum, primum exigi, scilicet fidem, alterum offerri, aeternam scilicet salutem. Quod autem ab homine exigitur, in ejus potestate esse debet: Ejusmodi ergo est fides, ad quam proinde hominem absque gratia ex se sufficere, est dicendum.

Resp. dist. min., et cons.; quod nempe fides utique in ejus est potestate cum Dei gratia, non vero absque gratia; *sicut enim* ( D. Aug. disserit l. de Praed. SS. c. 11. ), *quamvis Dei donum sit facta carnis mortificare*, *exigitur tamen a nobis proposito praemio vitae*, *ita donum Dei est fides*, *quamvis et ipsa cum dicitur*, *si credideris*, *salvus eris*, *proposito praemio salutis*, *exigatur a nobis. Haec ergo et nobis praecipiuntur*, *et dona Dei esse monstrantur*, *ut intelligatur*; *quod et nos ea facimus*, *et Deus facit*, *ut illa faciamus*, *sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicit*: *Ego faciam*, *ut faciatis*.

Objic. 5.° quod, ut legitur Jo. 1., *quotquot receperunt eum* ( idest Deum Verbum hominem factum ), *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Si autem gratia, qua homo de numero filiorum Dei fiat, iis dicitur dari, qui Christum receperunt, prius dicendum est, hominem ex se, propriis scilicet liberi arbitrii viribus, Christum recipere per fidem, deinde hujus fidei, quam ex se amplexus fuerit, merito illi gratiam, qua de numero filiorum Dei fiat, conferri: Non ergo ex gratia, sed ex sola voluntatis electione fides in Christum dicenda est, ad quam proinde utique homo ex se sufficit.

Resp. neg. sequ. min.; quod enim Christum nec recipiant, nec recipere possint per fidem, nisi ii, quibus a Deo datur per gratiam, ipse D. Joannes expressis verbis docet ep. 1. c. 5. *Omnis* ( inquiens ), *qui credit*, *quoniam Jesus est Christus*, *ex Deo natus est.* Quod et Apostolus expressis quoque verbis repetit laud. inter probationes loco ad Philipp., *Vobis* ( inquiens ) *donatum est pro Christo*, *ut in eum credatis.* Aliud proinde objectis verbis non significatur, quam quod iis omnibus, qui per gratiam, nullam libero hominis arbitrio inferen-

tem necessitatem, in Christum credunt, ejusque fidei, ac legi obediunt, dedit Deus potestatem filios ejus fieri per gratiam adoptionis, quomodo Christus Filius est natura per hypostasim Divinam: *Datur* ( ita apposite D. Aug. l. 1. cont. 2. ep. Pelagii ) *potestas, ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum.*

Objic. 6.° quae extant in Scripturis exempla, Zachaei scilicet, et Boni Latronis apud Lucam c. 19. et 23., et Centurionis Actuum 10., qui ad fidem Christi pervenisse dicuntur per opera moraliter bona, ideoque non ex gratia, sed ex se elicita. De Zachaeo enim legitur, quod desiderium, et aviditas Christum conspiciendi, ac bona, quam Christo significavit, voluntas dimidium bonorum suorum dandi pauperibus, nec non iis, quibus aliquid forte fraudaverat, restituendi quadruplum ( quae omnia quid, nisi opera moraliter bona? ), causa fuere, cur in Christum credidisset. De bono Latrone item legitur, quod ob motum compassionis erga Christum, eo quod morti traditus esset, quin mali aliquid egisset ( quem, nisi motum moraliter dumtaxat bonum, quis dixerit? ), meruit pervenire ad fidem, qua, Christum Coelorum Regem esse, agnovit. De Centurione demum, quod cum esset ex Gentibus, et inopiam pauperum eleemosynis sublevaret ( quas Gentium more ex humana tantum compassione eum erogasse, quis non videt? ), meruit quoque ob ejusmodi eleemosynas, ut Christi fidem consequeretur. Quae cum ita sint, utique hominem ad fidem ex se sufficere, est dicendum: Ita igitur.

Resp. neg. maj, ob opera scilicet bona tantum moraliter Zachaeum, Bonum Latronem, et Centurionem ad Christi fidem pervenisse. Et quidem quoad Zachaeum, id ipse Christus non obscure adstruit, *hodie* ( inquiens ) *salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae*; quia nempe illi nec humanum tantum desiderium Christum conspiciendi, nec moralis tantum honestas, quae habetur sive in sublevandis pauperibus, sive in restituendo quidquid alteri fraudatum fuerit, sed fides in Messiam venturum totum id suggesserat. De Latrone in Cruce ad Christum converso id quoque ipse D. Lucas non obscure innuit; scribens enim de eo, quod Dei timore ductus increpavit alterum, quod Christum blasphemabat, *nec tu* ( illi inquiens ) *times Deum, quod in eadem dam-*

*natione es? Et nos quidem juste, quia digna factis recipimus: hic autem quid gessit?*, satis significat, quod Christo compatiebatur non ex natura, sed ex gratia; quodque idcirco non ob motum compassionis erga eum, bonum tantum moraliter, sed Dei timore informatum; ideoque supernaturaliter bonum, meruit de congruo, ut Christi Divinitatem agnosceret, ac in eum crederet. Eleemosynas demum, per quas Centurio ad Christi fidem dicitur pervenisse, erogatas ab eo fuisse ex humana tantum compassione, ideoque non fuisse, nisi opera moraliter dumtaxat bona, falsum ostenditur 1.° ex eo, quod de eo dicitur eodem loco Actuum, quod erat *religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, et deprecans Deum semper*; quodque ejus et *orationes, et eleemosynae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Quod si illi, antequam ad Christi fidem perveniret non deerat in Deum fides, itemque dicitur et religiosus, et timens Deum, et deprecans Deum semper, quid clarius ex Sacris Litteris, quam quod non ex humana tantum compassione, sed ex Religionis etiam motivo pauperum miserebatur, atque ob hanc supernaturalem ejus misericordiam, ejusque effusas ad Deum preces meruit de congruo, ut ad Christi fidem perveniret? 2.° ex iis, quae D. Petrus de eodem inquit l. cit. *In veritate comperi, quia . . . in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam acceptus est illi.* Quidnam autem per justitiam, qua homo acceptus sit Deo, nisi verae pietatis opera? Per quae idcirco, non per opera moraliter dumtaxat bona, de congruo eum meruisse, ut ad Christi fidem perveniret, magis, magisque perspicuum est.

Objic. 7.° *Neminem, nisi orantem, auxilium* (idest actualem gratiam) *promereri*, credit Ecclesia, ut inquit D. Aug. l. de Eccl. Dogm. c. 50. . Idem autem dictu est, quod homo nonnisi per orationem Dei gratiam meretur, quodque ad orandum non eget gratia; est enim de ratione meriti, ut praecedat id, quod per illud obtinetur: cumque homo orare nequeat, si fide careat, ut enim inquit Ap. ad Rom. 10., *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?*, quid clarius, quam quod aeque nec ad orandum, nec ad fidem Dei gratia eget? Ita igitur.

Resp. neg. min.; quod enim ad orandum egeamus gratia, expressis verbis docet Ap. tum ad Rom. 8., *Spiritus* (inquiens) *adjuvat infirmitatem nostram, nam quid*

*oremus, sicut oportet, nescimus*; tum 1. ad Cor. 12., *nemo* ( inquiens ) *potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Dum proinde dicitur, quod homo per orationem Dei gratiam meretur, non intelligitur per id, quod ad orandum non egeat gratia, sed quod gratia orandi nulli deest, ut penes nos sit cum Dei gratia, ut ait D. Aug. l. de nat. et gr. c. 69., *in facilibus, quid agamus, et in difficilibus, quid petamus. In facilibus* nempe, cum praeceptum, quod instat, est nobis proxime, seu immediate observatu possibile: *in difficilibus* vero, cum praeceptum instans est nobis remote, seu mediate tantum possibile ad illud observandum; juxta eumdem Augustinum namque, tametsi aliquando Dei praecepta non sint nobis proxime, seu immediate observatu possibilia, semper tamen, cum instant, sunt nobis possibilia remote saltem, seu mediate, quia semper nobis praesto est orandi gratia, qua uberiorem impetremus: *Praeceptum* ( ita idem S. Doctor l. 2. cont. Maximin. c. 14. ) *id nobiscum agit, ut quod jam est in potestate, faciamus. Si autem nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut quod praeceptum est, impleamus.*

Objic. 8.° Quod fidei dogmata sint omnibus evidenter credibilia per motiva, quae produximus *l. 1. tr. 1. cap. 1.*, et quae idcirco appellantur credibilitatis motiva, Regius Psaltes adstruit illis verbis Ps. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, nosque etiam *cit. l.* ostendimus. Hoc ipso autem, quod aliquod fiat evidenter credibile, hoc ipso, inquam, cogit quodammodo ad assensum; *sicut enim necesse est* ( ait Tullius ) *lancem ponderibus deprimi, ita mentem perspicuis cedere*: Et fidei dogmata igitur hoc ipso, quod fiant per credibilitatis motiva evidenter credibilia, talia etiam redduntur, ut absque ulla gratia per eadem credantur.

Resp. dist. cons.; quod nempe per credibilitatis motiva talia reddantur, ut credantur fide humana, incerta, atque ad salutem inutili, non autem, *sicut oportet*, ut ait Trid. can. supra cit., fide scilicet, qua mens ob auctoritatem Dei revelantis toto se subjiciat affectu, ac firmo, atque infallibili assensu, qui omnem prorsus formidinem excludat, iis, quae Deus revelavit, adhaereat; cum enim credibilitatis motiva non efficiant, ut fidei dogmata desinant esse obscura, et inevidentia, neque etiam efficere ex se possunt, ut mens absque Dei gratia firmiter, in-

fallibiliter, et absque ulla prorsus formidine de opposito illis adhaereat. Accedit, quod cum homo ordinetur per fidem ad fruitionem Dei facie ad faciem, sicut haec proinde est quid supernaturale, ita et fides, quae est medium ad illam, dicenda aeque est quid supernaturale, ideoque supra omnes naturae vires, et quam homo absque Dei gratia habere nequeat. Qua super re consulantur, quae scripsimus tum *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. *resp. ad* 5. *pag.* 73., *et sequ.*, tum *l.* 2. *tract.* 10. *cap.* 3. *prop.* 3. *pag.* 133.

Objic. 9.° Quod fides, qua haeretici pleraque Ecclesiae dogmata profitentur, sit absque gratia, ex erroribus sequitur, quibus adhaerent. non enim fides, quae aliquid excludat ex iis, quae Deus Ecclesiae revelavit, est vera fides, nec proinde Dei donum. Quod si absque gratia homo habere potest aliquorum articulorum fidem, cur non omnium fidem poterit quoque habere absque gratia? Ita igitur.

Resp. neg. sequ. min.; fides enim, qua haeretici aliquibus articulis credunt, non est, nisi humana, opinativa, atque ad salutem inutilis; quam utique hominem habere posse absque gratia, concedimus. At non item fidem, prout eam habere oportet, ut sit Deo digna, atque ad salutem utilis; triplex enim, ut id magis cum Bellarmino declaremus, ad ejusmodi fidem requiritur certitudo, objecti scilicet, subjecti, et motivi: *Objecti*, idest ut res credatur, tamquam a Deo revelata, quaeque idcirco nequeat esse falsa, quemadmodum Deus nequit vel fallere, vel falli: *Subjecti*, idest ut ita firmiter credatur, ut de ea homo nihil dubitet, malitque potius mori, quam eam vel prorsus non credere, vel etiam in dubium vocare: *Motivi* demum, idest ut credatur ex ea, quae debetur, submissione Deo nob's per Ecclesiam loquenti, captivando intellectum in ejus obsequium, et corde se subjiciendo ad credendum ob ejus infallibilitatem, et veracitatem iis etiam, quae omnem mentis nostrae aciem superant. Haec autem triplex certitudo deest fidei, qua haeretici aliquibus articulis credunt; cum enim Ecclesiae infal ibilitatem abjiciant, undenam iis constare potest certitudine infallibili, quod Deus locutus fuerit, sitque ideo hoc, atque illud infallibili certitudine credendum? Hinc etiam quidquid ab iis creditur, non ex ea, quae debetur, submissione Deo revelanti, sed ex propria electione creditur, atque hoc ipso non ea, quae

ad fidem oportet, certitudine, sed dubia, et opinativa: quorum proinde fidem nec Deo dignam, nec ad salutem quidquam prodesse, consequens est. Fidem porro ejusmodi eos habere absque gratia, quid mirum?

Inst. Non defuit ex haereticis, qui errores suos ita firmiter profiteretur, ut pro iis mortem quoque oppetere non dubitaverit. Quod si ex propria electione potest homo falsum ita firmiter credere, ut pro eo mortem oppetere non dubitet, profecto absque gratia, cur non etiam ex ea, quae debetur, submissione Deo revelanti credere non poterit absque gratia verum, quod ipse revelaverit, aeque firma certitudine? Absque gratia igitur fidem habere eum posse, dicendum est, quae et objecti, et subjecti, et motivi certitudinem habeat.

Resp. neg. sequ. min.; quemadmodum enim eadem non est ratio boni, et mali, malum namque ex se homo operatur, quin tamen ex se aliquid boni in ordine ad salutem operari possit; ita eadem non est ratio veri, et falsi, ideoque etiam falsum quidem potest homo firmiter profiteri, et pro eo etiam mortem oppetere, ut quod semel se tenere ait, obstinate tueatur, non tamen ex se absque Dei gratia aliquid veri in ordine ad salutem fide, sicut oportet, credere potest.

## CAPUT II.

### *De necessitate gratiae ad non peccandum per observationem legum.*

De praeceptis tantum legis naturalis, quae scilicet duce natura cognoscimus, nec non quorum observantia sit tantum quoad substantiam, nec nisi solam moralem honestatem habeat, sermo hic est: non vero de praeceptis supernaturalibus, quae scilicet consecuta sunt Christianam Religionem hominibus annuntiatam, vel etiam de praeceptis ipsius legis naturalis, quae observentur et quoad substantiam, et quoad modum, ita nempe ut eorum observatio utilis sit ad salutem. Qua super re a duobus extremis declinandum ex fide est. Primum est Pelagianorum, qui solis naturae viribus absque ullo gratiae auxilio universam legem observari, ac peccata omnia, omnesque tentationes superari posse, docuerunt; ac nedum quoad substantiam, sed et quoad modum. Alterum Baji, Jansenii,

Quesnelli, eorumque gregalium, qui nullam legis naturalis praeceptum quoad ipsam substantiam observari, nullam prorsus tentationem vinci posse absque gratia, asseruere. *Celebris* (ait Bajus prop. 61. et 62. ex damnatis a Pio V., Greg. XIII., et Urb. VIII.) *Doctorum distinctio, Divinae legis mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad Regnum aeternum, hoc est ad modum meritorum, commentitia est, et explodenda.* Ab utroque autem extremo cum Orthodoxis declinando, sit [illegible]

Prop. 4. In statu quidem naturae integrae potuisset homo absque gratia et physice, et moraliter omnia, et singula legis naturalis praecepta quoad substantiam implere. At in statu naturae lapsae nec moraliter, nec physice potest universa legis naturalis praecepta, dicet quoad substantiam tantum, implere absque gratia actuali, immo nec diu potest moraliter illa implere absque gratia etiam habituali. Utique tamen quoad substantiam tantum aliqua ex iis et physice, et moraliter implere potest, absque gratia, modo gravis tentatio non obstet. Cujus autem certitudinis sint singula propositionis membra, ex dicendis patebit.

Prob. 1. pars, quae communis est inter DD. post D. Th. 1. 2. *qu.* 109. *art.* 4. Ad naturae enim integritatem spectasse videtur, ut quod natura ipsa duce homo implendum cognovisset, viribus etiam naturae potuisset implere; magnus namque fuisset naturae defectus, si ex naturae dictamine ipsi incubuissent obligationes implendae, iisque naturae ipsius viribus satis non fuisset. Ipsa autem natura duce homo cognoscit praecepta legis naturalis. Utique ergo in statu naturae integrae omnia, et singula ejus praecepta et physice, et moraliter naturae viribus implere potuisset. Quod et auctoritate D. Th. comprobatur; ita enim S. Doctor l. cit. *Dicendum, quod implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa, et fortia, et alia virtutis opera: et hoc modo homo in statu naturae integrae potuit omnia mandata legis implere, alioquin homo non potuisset in illo statu non peccare, cum nihil aliud sit peccare, quam transgredi Divina mandata: Sed in statu naturae corruptae non potest homo implere mandata Divina sine gratia sanante. Alio*

*modo possent impleri mandata legis, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant; et sic neque in statu naturae integrae, neque in statu naturae corruptae potest homo implere absque gratia legis mandata.*

Prob. 2. pars, de fide scilicet esse, quod in praesenti statu nec moraliter, nec physice potest universa legis naturalis praecepta, licet quoad substantiam tantum, absque gratia actuali implere. Et 1.° ex illis Apostoli verbis ad Rom. 7. *Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Et paullo infra: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me sub lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo! Quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Idem autem dictu est, quod homo citra gratiam captivus est sub lege peccati, quodque absque gratia nequit totam legem implere: Patet igitur propositum.

Item ex illis, quae habet c. 8. *Lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati, et mortis, nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Quidnam autem, quod Christi gratia nos liberavit a peccati jugo, quodque justificatio, idest observatio legis impossibilis fuisset ipsi legi, idest per solam cognitionem legis, ob infirmitatem carnis, nisi Deus misisset Filium suum in similitudinem carnis peccati, quidnam, inquam, per ejusmodi verba, quam quod in praesenti statu nec moraliter, nec physice homo potest universa legis praecepta, licet quoad substantiam tantum, absque gratia implere? Quidnam legem esse legem peccati, et mortis, nisi quia demonstrando, quid sit faciendum, et simul non praebendo vires naturae infirmae, praevaricatorem hominem constituit, ideoque reum peccati, et mortis? Utroque autem in loco Apostolum loqui de praeceptis naturalibus, sive moralibus, procul dubio est, cum in specie disserat de praecepto: *Non concupisces.*

Huc quoque referuntur quae habet 1. ad Cor. c. 15. *Virtus peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Victoriam autem de lege ferre idem est ac legem implere: Non-

nisi ergo per Christum, idest per ejus gratiam datum nobis est illam implere.

Ad quod etiam referuntur quae habet ad Gal. c. 2. *Non abjicio gratiam Dei; si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Si autem ad legem implendam satis homo sibi esset in praesenti statu, per legem ipsam homo esset justus apud Deum. cum nequeat Deus exosum habere, qui legem impleat: Non ergo ad legem implendam hominem sibi sufficere in praesenti statu, consequens est; in quae Apostoli verba ita proinde D. Aug. l. de Nat., et gr. c. 40. *Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium et ad cognoscendum, quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum sufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est.* Quibus in locis advertendum demum, quod Apostolus nedum de observatione legis quoad modum, ut prosit scilicet ad salutem, sed de ea quoad ipsam substantiam loquitur. Haec enim requirit, quod observetur praeceptum, ita ut homo non fiat peccati reus ob praeceptum non impletum. Id autem docet, non fieri, nisi per gratiam: Loquitur ergo de observatione legis etiam quoad ipsam substantiam.

Accedit ex Scripturis, quod completa legis naturalis observatio disponit ad fidem; ut patet ex iis, quae ait Christus Marci 12. ad Scribam, eo quod sapienter illi responderat super Decalogi observatione: *Non longe es a Regno Dei.* Fides autem est Dei donum ex ostensis c. ant.: Et completa igitur legis naturalis, quae Decalogo continetur, observatio. Item confert ad salutem, ajente Ap. ad Rom: c. 2., quod *factores legis justificabuntur.* Nemo autem esse potest justus, nisi ex gratia: Neque igitur, nisi ex gratia, legem complete implere. Et quidnam item necessarium, ut homo aeternam assequatur vitam, nisi completa legis observatio? Ita plane Christus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Est autem, ut ait Ap. ad Rom. c. 6., *gratia Dei vita aeterna:* Et Dei gratia igitur completa legis observatio: Quaenam item perfecta charitas, nisi perfecta legis observatio? Ita plane ipse Christus Jo. 14. *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me . . . Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et ep. 1. c. 2. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Et c. 5. *Haec est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Nefas autem dictu, ad perfectam charitatem ho-

minem ex se sufficere: Neque ergo ad completam legis observationem ex se sufficere, est dicendum.

Ex quibus demum accedit, aliqua ex praeceptis moralibus adeo esse difficilia, et ardua, ut conceptis verbis Scripturae dicant, nonnisi per Dei donum, idest gratiam observari posse. Ejusmodi enim dicitur continentiae praeceptum Sap. 8., ubi: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiae scire, cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum.* Et Apostolus 1. ad Cor. 7. Dei donum appellat, nedum continentiam Virginum, et Viduarum, sed etiam conjugatarum: *Unusquisque* (inquiens) *proprium donum suum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic.* Ejusmodi etiam a Christo dicitur praeceptum dilectionis inimicorum Matth. 5. illis verbis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos .... ut sitis filii Patris vestri, qui in Coelis est.* Quisnam autem Dei Filius, nisi per gratiam? Et per hanc igitur homo implere potest ejusmodi praeceptum. Cujus generis quoque esse maximum, et primum mandatum dilectionis Dei, Joannes pronunciat ep. 1. c. 4., *Charitas* (absolute inquiens) *ex Deo est.*

Jure ergo, ac merito Concilium Milevitanum, vel, ut aliis placet, Carthaginense III. can. 5. ita definit: *Quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possemus implere per gratiam; tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa Divina implere mandata, anathema sit.* Quod et docet D. Aug. l. de perfect. just. in fine, anathematizandum nempe eum, *qui contendit, ad non peccandum gratiae Dei adjutorium non esse homini necessarium.* Et l. de Haeresibus haer. 88. de Pelagianis scribit: *Hi .... Dei gratiae in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia Divina mandata.* Quod si D. Th. *in* 2. *dist.* 28. *qu.* 1. *art.* 2. docuerat, posse hominem absque gratia, licet difficile, omnia mortalia peccata vitare, re postmodum maturius perpensa, contrarium docuit in scriptis posterioribus, scilicet l. 3. *cont. Gentes c.* 160., *de verit. qu.* 24. *art.* 12., 1. 2. *qu.* 63. *art.* 2. *ad* 2., ac demum ex professo eadem parte *qu.* 109. *art.* 8.

Addidimus vero, quod nec diu potest moraliter illa

implere, licet quoad substantiam tantum, absque gratia etiam habituali. Ita saltem communiter; 1.° enim homo a Deo aversus per peccatum instabilis dicitur in obedientia mandatorum Thren. c. 1., ubi legitur: *Peccatum peccavit Ierusalem; propterea instabilis facta est*: nec firmus esse posse in illis servandis, nisi Deo per charitatem adhaereat, Ps. 17., ubi David ad Deum inquit: *Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum, et refugium meum*: Nequit ergo moraliter illa implere, saltem diu, absque gratia etiam sanctificante. 2.° quia Apostolus renatos alloquens ep. ad Rom. c. 6., peccatum, inquit, iis non dominaturum, quia non amplius erant *sub lege, sed sub gratia*, ab illis scilicet per baptismum acquisita: Hac igitur per peccatum amissa, peccatum homini dominaturum, nec proinde moraliter posse, saltem diu, Dei implere mandata, consequens est. 3.° quia, ut docet D. Jo. ep. 1. c. 3., ideo *omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*, idest gratia habitualis; utque addit c. 5., quia *generatio Dei conservat eum*, gratia scilicet adoptionis filiorum: Rursus ergo, hac per peccatum amissa, diu persistere non poterit, quin in peccatum labatur. Demum conceptis verbis dicitur Eccli. c. 3., quod *cor nequam gravabitur; et peccator adjiciet ad peccandum.*

Accedunt et Patres; ita enim D. Aug. in illa Ap. verba: *Factores legis justificabuntur*; *ut sciamus* (inquit l. de spir. et litt. c. 26.), *aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur*. Ita quoque D. Greg. M. hom. 11. in Ezech. *Peccatum, quod per poenitentiam non deletur, mox ipso suo pondere ad aliud trahit*. Ita quoque et alii, quos secutus D. Th. 1. 2. qu. 109. art. 4. *in statu* (inquit) *naturae corruptae non potest homo implere omnia mandata sine gratia sanctificante*. Et art. 2. *In statu naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abstineat*. De quo item rationem reddens art. 8., quia *non potest* (inquit) *diu non operari secundum convenientiam inordinatae voluntatis, nisi cito per gratiam debitus ordo reparetur.*

Huic tamen rationi a D. Thoma allatae accedit, quod in statu peccati homo, ut ait Apostolus 2. ad Tim. c. 2., *captivus teneatur ad Daemonis voluntatem*, ob potestatem nempe, quam in eum exercet; et Deus ob odium, in quo

ei sunt *impius, et impietas ejus*, ut dicitur Sap. 14., parcior est in largitione gratiarum; ad quod referuntur, D. Augustino interprete, illa Davidis verba Ps. 17. *Cum sancto sanctus eris*, et *cum perverso perverteris*; cum eo scilicet, qui gratia sanctificante ornetur, large, et copiose duceris; cum eo autem, qui in statu peccati sit, parce in peccati poenam, et stricte. Ob quam proinde uberioris gratiae subtractionem passim quoque dicitur tum a D. Aug., tum ab aliis DD., quod non raro peccatum est poena peccati; ad quod etiam ab iis refertur quod Deus ait Deut. 32. *Mea est ultio, ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum*. Hinc quoque Auctor Eccli. c. 5. eum, qui in statu peccati sit, hortatur illis verbis: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*. Quod si Ecclesia semel tantum in anno Confessionem praecipit, illam quidem praecipit semel in anno sub comminatione interdicti, ne fideles ultra id tempus eam negligant. Eam tamen optare, ut statim peccati jugum excutiant, qui in illud lapsi fuerint, tum ex tenore canonis, quo eam praecipit *semel saltem in anno*, tum ex ejus voto per Trid. expresso *sess*. 13., *et* 22., quod fideles frequenter ad Euchar. accedant, ad quam nemini in peccati statu accedere licet, ut idem Trid. declaravit *sess*. 13., absque praemissa Sacramentali Confessione, quantumvis sibi contritus videatur, luculenter colligitur.

Prob. 3. pars, utique scilicet hominem posse in praesenti statu aliqua legis praecepta tum physice, tum moraliter absque gratia quoad substantiam implere, modo gravis tentatio non obstet. Et 1.° ex illis Apostoli verbis ad Rom. c. 2. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Verum quidem est, quod cum Pelagiani ex hoc Apostoli textu contenderent, nonnullos ex Gentilibus universam legem servasse, veramque justitiam adeptos fuisse absque gratia (quod profecto est dupliciter haereticum), inquit proinde contra eos D. Aug. tum *l. de spir. et litt. c.* 26., tum *l.* 4. *cont. Iulian. c.* 3., praefata Apostoli verba intelligenda esse de Gentibus ad fidem conversis, ac illud *naturaliter* excludere legem scriptam, seu Mosaicam per Evangelium aboletam, non Christi gratiam; nedum tamen S. Doctor eodem *l. de spir. et litt. c.* 27., *et* 28. non improbat eos, qui illa

intelligunt de Infidelibus, verum etiam ejusmodi interpretationem et ipse amplectitur, *nam et ipsi* ( inquit ) *homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid* ( idest lege praeceptum ) *anima rationalis sentit, et facit.* Hinc proscripta item fuit 22. Baji prop., quae ajebat: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Quidnam autem per illa verba, quod Gentes naturaliter ea, quae legis sunt ( idest aliqua legis, D. Agustino interprete l. de Spir. et litt. c. 26. ), faciebant, quam quod aliqua legis praecepta solis naturae adimplebant viribus; et quidem cum omnibus circumstantiis ad honestatem requisitis, cum et has lex naturalis praecipiat? Patet ergo propositum.

2.° ex Constitutionibus Pii V., Gregorii XIII., et Urbani VIII., quibus proscripta fuit et illa Baji prop. n. 27. *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet*, quam ob ipsam ejus falsitatem, non vero ob acerbitatem censurae, qua Bajus oppositum perstringeret, ut quidam autumant, proscriptam fuisse, ex eo patet, quod nuda, et simplex sit, et absque ulla censura, qua ipse oppositum inurat. Si autem homo in praesenti statu nullum legis praeceptum, neque etiam quoad substantiam tantum, absque gratia implere posset, profecto liberum ejus arbitrium absque gratia nonnisi ad peccandum valeret, quidnam enim peccatum, nisi libera legis transgressio? Magis ergo, magisque patet propositum.

3.° auctoritate D. Th. 1. 2. qu. 109. art. 2., ubi ita S. Doctor disserit: *Quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere. . . non tamen totum bonum sibi connaturale, ita ut in nullo deficiat. Sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae.*

4.° demum ratione; cum enim naturae vires in ordine ad honestatem attenuatae quidem fuerint per peccatum, non tamen perierint; quod et ait Trid. sess. 6. c. 1., inquiens, liberum hominis arbitrium per Adae peccatum *minime extinctum esse, licet viribus attenuatum, et*

*inclinatum*; ubi idcirco concurrat, quod praeceptum legis et intellectui pateat, utpote notissimum per solum lumen naturale, et voluntati sit facile ad illud observandum, utpote sensui simul, et rationi conforme, ideoque nulla vincenda sit lucta inter rationem, et sensum: nulla etiam requiritur neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis gratia, ut quoad substantiam impleatur. Utique autem dantur ejusmodi praecepta, ut ex. gr. parentes, filios, pauperes honorandi, educandi, sublevandi, etc.: Utique ergo ad illa implenda quoad substantiam satis sibi homo est tam physice, quam moraliter absque gratia; eumque idcirco utique posse in praesenti statu aliqua legis praecepta tam physice, quam moraliter absque gratia quoad substantiam implere, consequens est.

Diximus tamen *modo gravis tentatio non obstet*; potest enim homo graves etiam tentationes per alias absque gratia superare, ut avaritiam ex. gr. ex vana gloria, etc., nam *concupiscentia* (ut scribit D. Aug. l. de patient. c. 17.), *quae non est ex Patre, sed ex Mundo, quanto fuerit in homine vehementior, et ardentior, tanto fit quisque pro eo, quod concupiscit, omnium molestiarum, dolorumque patientior . . . cui falsae patientiae potest sine adjutorio Dei humana voluntas sufficere, tanto durior, quanto cupidior, et eo tolerabilius mala sustinens, quanto ipsa fit pejor*: at non item potest graves tentationes superare absque Dei gratia, tametsi ex motivo solius naturalis honestatis. Et quidem de tentationibus carnis ait Ap. ad Rom. 7., quod *de corpore mortis hujus* nemo illum erat liberaturus, nisi *gratia Dei per Jesum Christum*. De tentationibus Mundi ait 1. ad Cor. c. 10., a Deo; *qui fidelis est, et non patitur nos tentari supra id, quod possumus*, expectandum esse, quod *faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*. Sermonemque faciens ad Eph. 6. de tentationibus Daemonis, *induite vos* (omnes hortatur) *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli . . in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*: Et generatim demum victoria tentationum Deo adscribitur Ps. 17., ubi David ad Deum inquit: *Quoniam in te eripiar a tentatione*. Hinc ait D. Aug. l. de perfect. just. c. ult. *Quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem . . . ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum*

*esse, non dubito*; secus namque, ut addit l. de bono viduitatis, c. 17., *frustra Dominus dixisset*: *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem; et frustra quotidie in oratione Dominica diceremus: Ne nos inferas in tentationem. Si enim nostrae tantummodo potestatis est, ne tentatione superemur, ut quid oramus, ne intremus, vel inferamur in eam? Ut quid peto a Domino, quod in mea posuit potestate? Sed absit, ut hoc sapiat, qui sanum sapit.* Ita igitur quoad graves tentationes credendum.

Leves autem ex motivo solius naturalis honestatis absque gratia vinci posse, ex supra dictis sequitur. Quibus accedit, proscriptam fuisse in Bajo prop. n. 29., quae ajebat; *Non soli fures ii sunt, et latrones, qui Christum viam, et ostium veritatis, et vitae negant, sed etiam quicumque . . . aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur*; quam nedum ob acerbitatem censurae, ut quidam adstruunt, verum etiam ob ipsam ejus falsitatem proscriptam fuisse, ex eo evincitur, quod, nisi esset falsum, neque etiam leves tentationes ex motivo solius naturalis honestatis absque gratia superari posse, injuriam profecto Christi gratiae irrogaret, qui diceret, posse taliter absque gratia superari; ideoque jure, ac merito fur, et latro diceretur, qui id assereret.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° contra 1. part., quod ex D. Aug. ait Conc. Arausicanum II. can. 19. *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret.* Si autem in primaevo illo statu potuisset absque gratia servare universam legem, hoc ipso potuisset seipsam, Creatore suo non adjuvante, servare: Neque igitur in primaevo illo statu universam legem servare potuisse absque gratia, est dicendum. Quibus similia item sunt, quae idem S. Doctor scribit l. de nat. et gr. c. 26., *Sicut* (inquiens) *oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Resp. neg. sequ. min.; non enim vel Conc. Arausic.,

vel D. Aug. de lege naturali loquitur, sed de obedientia, qua Adam observaret praeterea praeceptum illi factum non comedendi de fructu vetito, quod tum ex parte praecipientis, tum ex parte motivi, et circumstantiarum et positivum erat, et supernaturale: per observantiam enim illius praecepti Deus decreverat, quod justitiam originalem pro se, et posteris Adam servaret, nec non et fidem secuturae mortis, si de eo comederet, et obedientiam, atque charitatem Deo debitam ostenderet. Quid mirum ergo, quod supernaturali etiam Dei auxilio indigeret ad praeceptum hujusmodi observandum, nec nisi, Creatore suo adjuvante, illud servaret? Thesis autem, quam nos ostendimus, praecepta tantum legis naturalis, statuit, potuisse hominem in statu naturae innocentis absque gratia quoad substantiam servare, non vero ullum praeceptum, quod fuisset supernaturale, ad quod servandum, ultro fatemur, supernaturali etiam Dei auxilio eguisse.

Ad id vero, quod additum est, respondetur, Augustinum loqui de homine justificato, ideoque de homine in praesenti statu. Vel si ejus verba accipi velint eiam de primaevo homine, dicimus, eum loqui contra Pelagianos, quos semper insectabatur, de rectitudine, quae prosit ad salutem. Qua profecto rectitudine hominem vivere non posse absque gratia, docet fides Catholica contra Pelagianos, qui id negabant.

Objic. 2.° contra 2. part. illud Deut. 30. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est*: Nulla ergo gratiae necessitas ad mandata Dei implenda. Nec non illud Eccli. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te*: Per solam ergo ergo voluntatem absque gratia potest homo in praesenti etiam statu Dei mandata servare.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim, quod mandatum dilectionis Dei, de quo illic agitur, dicatur, non esse supra nos per gratiam, qua Deus facit, ut eum diligamus, et quam Deus omnibus confert, vel offert, ex verbis, quae ibidem leguntur, manifeste patet: *Circumcidet Dominus Deus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua.* Et generatim, quod nobis Deus praecipit, non esse supra id, quod possumus, per ipsius gratiam, quam omnibus confert, vel offert, illis ipse Deus testatur verbis apud Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio ve-*

*siri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Quoad alterum vero, aliud relatis verbis non demonstratur, ut scribit D. Aug. *l. de gr., et lib. arb. c.* 16., nisi tantum liberum hominis arbitrium sub gratia. Quod enim haec non excludatur, patet ex aliis testimoniis, quibus gratiae necessitas demonstratur, quin liberum excludatur arbitrium: *Certum namque est* ( ait S. Doctor ), *nos velle, cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum.*

Objic. 3.° auctoritas Chrysost. hom. 5. in ep. ad Rom., ubi inquit de nonnullis ex Gentibus, *admiratione dignos esse, quod nec lege ipsis opus fuerit, et tamen omnia, quae legis erant, praestiterint.* Nec non D. Hilarii in Exposit. Ps. 68. n. 24., ubi loquens de libro viventium, et de libro justorum, *eos* ( inquit ) *in libro viventium scriptos esse, qui antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati omnia praescripta legis impleverint; . . . Eos autem scribi in libro justorum, quibus justitia Christus factus est.* Uterque igitur docet, utique absque gratia omnia impleri posse legis naturalis praecepta.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim, sensum ejus verborum esse, non quidem omnia legis naturalis praecepta a singulis, sed a singulis quaedam observata fuisse, cum nulla neque ex parte operis, neque ex parte circumstantiarum difficultas esset, adeo ut in tota Gentilium collectione visa fuerit lex naturalis opere impleta, sin secundum spiritum, saltem secundum litteram ad captandam gloriam, vel aliis id genus causis: hunc, inquam, esse ejus verborum sensum, ex eo colligitur, quod idem S. Doctor scribit hom. 13. in ep. ad Rom., ubi expendens illa Apostoli verba: *Miser ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, expresse docet, legem non sufficere sine gratia, nec salutis spem, ac tentationum victoriam haberi posse sine speciali Dei adjutorio.

Quoad alterum vero, en quoque ejus verborum sensus; quod nempe si qui ex Gentibus a criminibus caverunt societatis bonum subvertentibus, vita tum naturali, tum civili freti sunt, satis id non est, ut quis sit de justorum numero, ad quod item necesse est fides in Christum, et quidem ea, quae per charitatem operatur.

Objic. 4.° Nefas dictu, quod Dei praecepta sint alicui impossibilia. Si autem homo ad servanda omnia prae-

cepta legis naturalis absolute egeret gratia, quis non videt, quod Decalogi praecepta, quibus lex naturalis absolvitur, essent homini impossibilia, sin omnia, ea saltem, quae servare non posset absque gratia? Et nefas dictu igitur, quod homo ad servanda omnia legis naturalis praecepta absolute egeat gratia.

Resp. dist. maj.; nefas scilicet dictu, quod Dei praecepta sint alicui impossibilia, quin simul Deus cuique tribuat gratiam, qua possibilia fiant; non autem cum nemo sit, cui Deus gratiam non tribuat, qua illi fiant possibilia; *juste enim* (ut ait D. Leo Magnus serm. 16. De Pass. Dom.) *nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio*. Hinc aeque dist. sequ. min.; quod nempe sunt quidem homini impossibilia Decalogi praecepta absque gratia, non autem cum gratia, quae, ut ait D. Th. *in c. 12. ep. ad heb.*, nulli deest, sed omnibus Deus, quantum in se est, communicat.

Objic. 5.° Quidnam praecepta legis naturalis, quam praecepta naturae viribus proportionata? Quod si naturae viribus proportionata, iisdem quoque absque gratia servari possunt: Ita igitur.

Resp. dist. maj.; scilicet proportionata viribus naturae integrae; non autem naturae, quae per peccatum vitiata auxilia illa amisit, quibus poterat deordinatos ejus motus compescere, vel saltem impedire, ne adversus rationem insurgerent. Ita Estius *in 2. Dist.* 26. §. 41., nec non Bellarminus *l.* 5. *de gr.*, *et lib. arb. c.* 6.

Objic. 6.° cont. 3. part. Quantumvis gravis sit tentatio, penes hominem est illi resistere, nisi enim ad id esset liber, neque etiam peccaret, quia nemo peccat in eo, quod cavere nullo modo potest. Idem autem dictu est, quod homo liber est ad resistendum cuivis tentationi, quodque solis naturae viribus potest tam gravibus, quam levibus tentationibus resistere: Ita igitur.

Resp. neg. min.: sicut enim cum dicitur, quod homo est liber ad servanda Dei mandata, ad Deum diligendum, ad bonum operandum, ac in eo manendum usque in finem, non excluditur Dei gratia, sine qua nihil quidquam horum potest; sed quia illi praesto semper est Dei gratia, ideo ad ea dicitur liber: ita cum dicitur, quod homo liber est ad resistendum cuivis tentationi, neque etiam excluditur Dei gratia, sine qua gravibus tentationibus nequit resistere; sed quia illi praesto semper est Dei

gratia, ideo liberum ei est illis resistere. Hinc quoque si illis non resistat, fit peccati reus, quia nempe illis cum Dei gratia, quae praesto ei erat, utique poterat resistere. Qua super re consulantur quae scripsimus *tract.* 2. *cap.* 1. *resp. ad* 1.m pag. 76.

Objic. 7.° quod nulla facta distinctione inter graves, ac leves tentationes, quarumlibet tentationum victoriam uni Dei gratiae Patres adscribunt; ex quibus ita D. Greg. Magnus l. 9 Moral. c. 53. in illa Jobi verba: *Et in pulverem deduces me*; quae nempe exponens, *hominem* (inquit) *reduci ad pulverem, quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aura raptatur*: Nec graves ergo, nec leves tentationes hominem superare posse absque gratia, est dicendum.

Resp. neg. cons., uni enim Dei gratiae victoriam tentationum generatim Patres adscribunt, 1.° ut se Pelagianis opponerent, qui humanis dumtaxat viribus omnium tentationum victoriam generatim tribuebant. 2. quia, ut advertit D. Aug. serm. 99. c. 6., Dei beneficium quoque est, ubi tentatio sit levis: *Hoc tibi dicit Deus tuus* (ita S. Doctor): *Ut adulterium committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci: locus, et tempus defuit; et ut haec deessent, ego feci: adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti.* 3.° demum quia sive gravis, sive levis sit tentatio, superari nequit cum merito vitae aeternae absque gratia.

## CAPUT III.

*De peculiari gratiae necessitate ad implendum dilectionis Dei mandatum.*

Cum duplici modo a nobis Deus cognoscatur, naturali scilicet lumine, ut Naturae Auctor, ac lumine supernaturali, idest fidei, ut Auctor gratiae, et gloriae, duplex quoque a Theologis distinguitur Dei amor; naturalis scilicet, quo diligitur, ut Auctor naturae; et supernaturalis, quo diligitur, ut Auctor gratiae, et gloriae. Uterque autem hic amor subdistinguitur ab iisdem in perfectum, quo scilicet Deus propter se, et super omnia diligitur, ita ut affectu, et effectu rebus omnibus ante-

ponatur; et in imperfectum, quo scilicet nec propter se, nec super omnia diligatur. Quibus praemissis, de fide est contra Pelagianos, hominem non posse naturae viribus Deum supernaturali amore diligere: ad quod referuntur ex Scripturis Apostoli verba ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Eph. 6. *Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre.* Et ad Gal. 5. *Fructus Spiritus est charitas.* Et quod ait D. Jo. ep. 1. c. 4. *Charitas ex Deo est.* De quo item ait D. Aug l. 4. cont. Jul. c. 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est, nisi a Deo Patre per Iesum Christum cum Spiritu Sancto.* Ac demum, aliis silentio praeteritis, ita etiam de eo Trid. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, hominem sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, anathema sit.* Quaestio idcirco, quae inter Theologos agitur, non est, nisi de amore naturali: quo dicimus, hominem in praesenti statu imperfecte quidem, non autem perfecte posse absque gratia Deum diligere. Sit proinde

Prop. Neque etiam amore naturali potest homo in praesenti statu absque gratia Deum perfecte diligere: utique tamen imperfecte. Prima pars est de fide: altera nobis verisimilior.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis, aliisque momentis, quibus c. ant. ostendimus, de fide esse, quod homo in praesenti statu nec moraliter, nec physice potest absque gratia omnia Dei mandata, licet quoad substantiam tantum, implere. Ut autem Deum in praesenti statu perfecte diligeret absque gratia, tametsi amore tantum naturali, facultas illi inesse deberet in praesenti statu omnia Dei mandata, saltem quoad substantiam, absque gratia implendi: Sicut proinde de fide est, quod in praesenti statu illi deest ejusmodi facultas, ita de fide est dicendum, neque etiam posse in praesenti statu Deum perfecte diligere absque gratia, licet amore tantum naturali.

2.° ex Scripturis, quae absolute, et simpliciter inquiunt, quod *fructus Spiritus est charitas*; quodque *charitas ex Deo est* (l. cit.). Quod si absolute, et simpliciter ita loquuntur, fas nobis non est inter amorem, et amorem distinguere, sed absolute etiam, et simpliciter

pronunciandum, nullatenus hominem absque gratia posse Deum diligere, saltem perfecte: Ita igitur.

3.° ex eo, quod *Deus diligentes se diligit*, ut dicitur Prov. 8., ex quo sequitur, quod si quis perfecte Deum diligeret naturae viribus, et ex hac vita Deum ita diligendo migraret, damnari non posset, ideoque salutem naturae viribus consequeretur: Id autem dictu nefas: Et nefas igitur dictu, quod homo in praesenti statu Deum naturae viribus possit perfecte diligere. Nec inde sequitur, quod si homo mansisset in statu naturae innocentis, salutem consecutus esset solis naturae viribus; eam namque consecutus esset, quia per gratiam intellectus supra se elevatus, gratia simul sanctificante, in qua conditus fuit, caeterisque habitibus supernaturalibus originalem justitiam comitantibus ornabatur, per quam ad intuitivam Dei visionem ordinatus fuerat.

4.° ex Conc. Arausicano II. can. 25 *Hoc praedicare debemus, et credere, quod per peccatum primi hominis inclinatum, et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum esse possit, nisi eum gratia Misericordiae Divinae praevenerit.* Hinc et inquit: *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* In ipso autem statu naturae innocentis impotens homo erat ad diligendum Deum super omnia actu supernaturali sine gratiae auxilio: Dum ergo Concilium inquit, quod post peccatum impos factus fuerit ad illum diligendum sine gratiae auxilio, non de amore supernaturali, sed de amore naturali locutum fuisse, consequens est. Accedit, quod impotentiam hujusmodi ad Deum in praesenti statu diligendum repetit Concilium, non ex supernaturalitate actus, sed ex liberi arbitrii infirmitate per peccatum. Si autem locutum fuisset de impotentia illum diligendi in praesenti statu amore tantum supernaturali, ex hujus quoque supernaturalitate, non ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum repetere debuisset, quod homo impotens ad id sit in praesenti statu: Nedum ergo amore supernaturali, sed et amore naturali hominem non posse absque gratia in praesenti statu Deum perfecte diligere, est dicendum.

5.° demum auctoritate D. Th., cujus haec est doctrina 1. 2. qu. 109. art. 3. *Dicendum, quod homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae supe-*

*redditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia . . . Sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis.*

Prob. 2. pars. Et 1°. ex proscriptis in Bajo prop., ex quibus 34. ita se habet. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut Auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum Sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata.* Cui prorsus similis est quoque prop. 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola Philosophia per elationem praesumptionis humanae cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.* Quod si homo in praesenti statu neque etiam imperfecte posset Deum diligere amore naturali, hoc ipso plane, quod hic esset impossibilis, esset quoque commentitius, et ad illudendum excogitatus, nam unus tantum daretur Dei amor, idest supernaturalis: cumque homo absque Christi gratia neque etiam amore naturali, et imperfecte posset Deum diligere, nonnisi cum injuria Crucis ejus defenderetur: Patet ergo propositum.

Nec argumenti vim eludit, qui dicat, dari quidem duplicem Dei amorem, naturalem nempe, et supernaturalem, quoad objectum: quem duplicem Dei amorem cum negaret Bajus, propterea quod ordinationem hominis ad Deum, ut Auctorem gratiae, et gloriae, asserebat esse homini naturalem, ejusque conditioni debitam, hoc quoque sensu utraque propositio proscripta in eo fuit. Quam tamen vana sit ejusmodi evasio, nemo est, qui non videt, ubi advertat, quod licet amor referatur ad objectum, numquam tamen est, vel esse potest, nisi quid subjectivum, utpote voluntatis affectio erga objectum, quod amare dicitur. Dicendum ergo, ut recedatur a praefatis Baji propositionibus, quod utique datur duplex ille Dei amor et quoad objectum, et quoad subjectum, quo nempe amatur, ut Naturae Auctor, et quo amatur, ut Auctor gratiae, et gloriae; quodque homo utique potest, licet imperfecte, in praesenti statu Deum absque gratia diligere amore naturali.

Nec illius vim magis eludit, qui dicat, merito damnatas fuisse praefatas Baji propositiones, quia utique datur duplex ille amor, ubi pro naturali Dei amore ille animi

motus intelligatur, quo unusquisque fertur in beatitudinem, quae nulla esse potest praeter ipsum Deum. Quis tamen ferat, illum animi motum in beatitudinem appellari Dei amorem? Quisnam sibi suadere umquam poterit, non agnovisse Bajum, quod unusquisque nostrum naturali instinctu fertur in beatitudinem, quae nulla esse potest praeter Deum ipsum, quodque nolle praeter supernaturalem Dei amorem hunc quoque in nobis agnoscere animi motum, idem sit, ac sensui intimo impudenter contradicere?

Idem tamen probatur 2.° ratione; cum enim non sit supra naturae vires, etiam in praesenti statu, quod homo naturaliter cognoscat, eum omnia, quae habet, ipsumque esse a Deo habere, itemque Deum rerum omnium Conditorem esse, ideoque Ens omnium perfectionum aggregatione perfectissimum, cum, inquam, id non sit supra naturae vires, neque etiam supra naturae vires videtur, quod amore erga eum afficiatur, qui non excludat affectum ad delectabilia, nec sit super omnia, sed merae cujusdam complacentiae. Hujusmodi autem amore diximus, hominem posse in praesenti statu Deum diligere absque gratia: Utique ergo videtur, quod absque gratia potest homo in praesenti statu Deum amore ejusmodi diligere.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cont. 1.m part., quod etiam in praesenti statu potest homo naturaliter cognoscere, Deum esse propter se, ac super omnia amabilem. Ergo et naturaliter poterit in praesenti statu eum perfecte diligere. Accedit, non defuisse ex ipsis Gentibus, qui pro filiis, vel pro patria mortem oppeterent, ideoque filios, et patriam super omnia diligerent. Quidni ergo non potuissent mortem pro Deo oppetere, ideoque naturaliter Deum super omnia diligere?

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim nullum ab homine impedimentum superandum est, ut cognoscat, Deum esse propter se, et super omnia amabilem. At non item, ut eum propter se, et super omnia diligat, ad quod necesse est, ut ita Deum quibuscumque delectabilibus praeferat, ut malit mortem obire, quam ullam ex ejus legi-

bus graviter transgredi. Id autem est supra vires naturae lapsae, quae nedum ad sensibilia magis propendit, quam ad id, quod ratione tantum apprehenditur, verum etiam ob deordinationem appetitus sensitivi, magis quoque propendit ad inhonesta, quae sensus afficiunt, atque illiciunt, quam ad honesta, quae ratio adprobat, ac praecipit. Hinc patet quoque responsio ad alterum; ex utroque enim capite etiam fit: ut homo in praesenti statu creaturas quidem amore, qui modum nesciat, possit diligere, non tamen absque gratia Deum diligere queat, prout diligi meretur.

Objic. 2.° cont. 2.m part. tum Scripturae, tum Patrum, et Conciliorum testimonia, quae inquiunt, charitatem esse a Deo; ac signanter D. Aug. ep. 217, quod *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Item illud alind D. Aug. testimonium l. 4. cont. Julian. c. 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est, nisi a Deo*... *Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis.* Demum quod ipsa charitas inchoata a Deo est, ait enim l. 2. ad Bonifac. c. 9., quod *nec initium ejus ex nobis, et perfectio ejus ex Deo; sed si charitas est, tota nobis ex Deo est.* Nullatenus ergo absque ipsius gratia potest homo in praesenti statu sive perfecte, sive imperfecte, ac amore tantum naturali Deum diligere.

Resp. neg. etiam cons.; quoad 1.m enim et Scripturae, et Patres, atque Concilia apte explicantur de amore supernaturali, nec non de amore, licet naturali, quo Deus diligatur super omnia, cunctisque delectabilibus praeferatur: quo etiam amore, ait primo loco D. Augustinus, nos amisisse per peccatum libertatem diligendi Deum, quia hac libertate utique homo in primaevo statu fruebatur. Quoad 2.m, dicimus, eum loqui de amore supernaturali, ut patet ex illis verbis, *quo pervenitur ad Deum*; nec non de amore, quo Deus perfecte diligatur, ut patet ex verbis subsequentibus, quod per *hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis*, amor enim, quo Deus imperfecte diligatur, cum non excludat affectum ad omnia delectabilia, quae legi repugnent, neque etiam efficit, ut creaturis homo bene utatur. Deum autem diligere amore supernaturali in quovis statu, vel in praesenti statu amore quidem naturali, sed quo perfecte diligatur, prorsus esse non posse absque gratia, non semel

diximus. Quoad 3.m dicimus, per charitatem inchoatam supernaturalem quoque amorem eum intelligere; quo Deus diligatur super omnia in gradu remisso; per perfectam vero eumdem, quo Deus ita diligatur, ut ob ejus amorem nihil negligatur ex iis, quae Deo placent, quamvis ardua, nec sub dispendio aeternae salutis obligantia. Quid mirum proinde, quod utramque dicat a Deo esse? Quod vero S. Doctor loquatur de amore supernaturali, qui sit ex Dei dono, et praeveniente ejus gratia, patet ex verbis immediate sequentibus: *Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam Misericordia ejus praeveniet me.*

Objic. 3.° Amor, quo Deus non diligatur super omnia, sed rebus creatis postponatur, nec perfectus, nec imperfectus, sed nullatenus Dei amor dicendus est, ut D. Bernardus admonet, quippe non rectus, sed naturae ordinem subvertens, ideoque vitiosus, et perversus. Ejusmodi autem amore posse hominem diximus in praesenti statu Deum diligere solis naturae viribus: Nec perfecte igitur, nec imperfecte, sed nullatenus solis naturae viribus eum diligere posse in praesenti statu, est dicendum.

Resp. dist. maj.; quod nempe amor, quo Deus positive non diligatur super omnia, ac positive alicui ex rebus creatis postponatur, nec perfectus, nec imperfectus, sed nullatenus Dei amor dicendus est, immo vitiosus, ac perversus amor: non vero amor, qui positive nullam creaturam Deo praeferat, sed ab his abstrahat; hic enim utique dici potest amor, quo Deus, imperfecte quidem, aliquo tamen modo diligitur. Ejusmodi autem amore intelligendum est, quod possumus in praesenti statu Deum diligere, ut Auctorem Naturae, absque gratia.

## CAPUT IV.

*An cum ordinariis gratiae auxiliis vitari possint toto vitae cursu omnia etiam venialia peccata?*

Cum ex ostensis nequeat homo absque gratia omnia Dei mandata implere, quaeritur modo, an saltem cum ordinariis gratiae auxiliis adeo illa implere possit, ut ipsa etiam venialia peccata, atque omnia, et singula toto vitae cursu evitet. Ut autem quidnam hac super re sit sentiendum, pateat, sit

Prop. Commune est, ad breve quidem tempus posse hominem cum ordinariis gratiae auxiliis omnia, et singula peccata venialia vitare: at simul de fide, id non posse toto vitae suae cursu, nisi ex speciali Dei privilegio, atque extraordinariis gratiae auxiliis. Quibus omnia, et singula toto vitae ejus cursu B. Virginem cavisse, constat quoque fide: at, praeter eam, alios fuisse inter puros homines, qui idem privilegium habuerint, communiter negatur; quin tamen damnari possit, qui id assereret.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Trid. sess. 6. can. 23.; damnans namque eos, qui dicerent, hominem justificatum *posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio*, satis significat, absque ejusmodi privilegio posse ad breve aliquod tempus illa vitare. 2.° auctoritate D. Hieronymi l. 3. cont. Pelagianos, ubi docet, *in nostra esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare, et ad bonum, vel ad malum extendere manum; sed hoc pro modo, et tempore, et conditione fragilitatis humanae: perpetuitatem autem impeccantiae soli reservari Deo, et ei, qui Verbum caro factum carnis detrimenta, et peccata non pertulit.*

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturis; dicitur enim l. 2. Paralip. c. 6. *Non est homo, qui non peccet.* Et Ps. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et Prov. 18. *Justus prior est accusator sui.* Et Eccl. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Omnibus item praecepit Christus Matth. 6., ut orarent: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et Jac. 3. habetur: *In multis offendimus omnes.* Et 1. Jo. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Quod Joannis testimonium, ait Conc. Milevit. II. can. 6., *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit.* Huc quoque passim refertur, quod legitur Prov. 24. *Septies cadet justus, et resurget*; quo in loco advertendum, perperam ab aliquibus addi illa verba *in die*, cum desint et in Vulgata, et in Hebraico, et in Versione Septug. Interpretum: itemque *septies* pro *crebro*, et *saepe* positum esse, ut *Gen. c. 4. v. 24.*, *Ps. 11. v. 7.*, et *Ps. 118. v. 164.* Hunc tamen Prov. locum, *non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intel-*

*ligi*, scribit D. Aug. l. 11. De Civ. Dei c. 31., nec aliud significare, quam quod justus, *quotiescumque ceciderit, non peribit.*

2.° ex Trid. l. cit., ubi; *Si quis* ( inquit ) *hominem semel justificatum dixerit* . . . *posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

3.° ex PP., pro quibus sufficiat D. Aug. l. de dono persev c. 2. *Tria sunt, quae maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia; quorum unum est* . . . *in quantacumque justitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.*

4.° ex eo quod, ut D. Th. disserit 1. 2. qu. 109. *art.* 8., motus quidem singulos ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati, et voluntarii, at non omnes; tum quia dum uni nititur resistere, alius fortassis insurgit, tum quia ratio nequit esse semper pervigil, ut omnes compescat.

Prob. 3. pars. Et 1.° ex laud. Trid. canone. 2.° auctoritate D. Aug., qui hanc Deiparae laudem detulit l. de Nat. et gr. c. 36.: *De qua* ( inquiens ) *propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Hinc dicitur quoque a D. Ambrosio in Ps. 118. *Integra ab omni labe peccati*: propterea quod, ut ait D. Bernardus ep. 113., talis gratiae copia in eam descendit, *quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem.* 3.° tum ratione D. Anselmi serm. de Laud. V., quod decens erat, ut quae Dei Filium concipere, et parere meruit, *ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi*: tum ratione D. Th. 3. p. qu. 27. art. 4. in corp., quod *non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando.* Qua super re consulantur etiam quae scripsimus *l.* 1. *tract. ult. cap.* 2. *pag.* 338., *et sequ.*

Commune demum diximus, neminem praeter eam inter puros homines fuisse, qui eodem privilegio fretus omnia etiam venialia peccata toto vitae suae cursu vitaverit; ait enim D. Aug. l. cit., quod, *excepta S. Virgine Ma-*

*ria, si omnes illos Sanctos, et Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? . . Quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; et veritas in nobis non est.* Idem quoque docet D. Bernardus, ait enim ep. 174., nemini alteri, quam Deiparae Virgini, in natis mulierum fuisse donatum, immunem ab omni peccato esse.

Cum tamen laud. D. Aug. scripserit l. de perf. just. c. 21.; quod *si, excepto illo capite nostro. . ., asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines justi absque peccato . . . non nimis existimo reluctandum. Scio enim, quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere; quamquam nec defendere valeam*: diximus postremo, damnandum non esse, qui praefatum privilegium toto vitae cursu a quibuscumque peccatis immunem se servandi, opinaretur alicui alteri tribuendum. Hinc monet Laur. Berti l. 18. De Theol. Discipl. c. 6., quod si quis eximio cuidam Divo in ejus laudibus recitandis verisimiliter compererit id tribui posse, ne amplificatio Rethorica candori Theologiae quid tenebrarum offundat, addat; tantam sine vulnere victoriam singulari gratiae miraculo tribuendam.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex Script. 1.° quod ait Christus Matth. 5. *Estote perfecti, sicut et Pater vester Coelestis perfectus est.* Nequit autem Deus praecipere, quod absque speciali ejus privilegio homo exequi non posset, et tamen absque eo exequi teneretur: Absque ejusmodi igitur privilegio ad eam homo perfectionem pervenire potest, qua ad Dei similitudinem cujusvis peccati sit expers. 2.° quod ait Ap. ad Philipp. 3. *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Perfectio autem quemlibet naevum excludit: Cum ergo Apostolus nedum cujusvis naevi expertem se agnosceret, verum etiam alios ad id hortatus esset, profecto dicendum, cum ordinariis tantum gratiae auxiliis quemvis ad id pervenire posse. 3.° illud Joannis ep. 1. c. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus in ipso manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quinam autem omnis, qui

natus est ex Deo, nisi omnis justus? Utique ergo penes eum cum solis ordinariis gratiae auxiliis, ne umquam peccet.

Resp. ad 1.m neg. cons.; quis enim adeo desipiet, ut laudatis verbis dicat, ipsius Dei nobis perfectionem praecipi? Non ergo aliud illis nobis praecipitur, quam quod ad illam totis viribus perfectionem contendamus, ad quam, adjuvante Dei gratia, in hac mortali vita pervenire possumus.

Ad 2.m neg. min.; ut enim docet D. Aug. l. de perfect. just. c. 3., *Perfectus ille est, qui caret criminibus damnabilibus, qui peccata venialia non negligit, et ad virtutis curriculum irreprehensibiliter currit*; quod profecto perfectionis genus venialia peccata, quae ex subreptione aliquando fiant, non excludit. Quod autem de ejusmodi perfectione Apostolus loqueretur, ex contextu patet; ita enim ait: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam . . . quae quidem retro sunt obliviscens . . . quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.* In quae proinde ita laud. S. Doctor l. 4. ad Bonifac. c. 5. *Ut ostenderet, secundum illius vitae modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit imperfectum.*

Ad 3.m dist. maj. cum eodem Aug. *l. 2. de peccat. merit., et remiss. c. 7. et 8.*, quod omnis, qui natus est ex Deo nativitate perfecta, quae erit in patria, peccatum non facit, nec peccare potest; at non item, qui natus est ex Deo per Baptismum, vel per poenitentiam, nativitate imperfecta, quamdiu enim in terris degimus, numquam omnis vetus infirmitas absumitur, sed semper circumdati sumus infirmitate. Vel etiam, ut idem S. Doctor Joannis verba distinguit *l. cit.*, omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, nec peccare potest, quatenus ex Deo natus est, et charitatem servat, atque ex illa operatur; non autem absolute, quasi amplius peccare nequeat, et justitiam amittere; etenim, inquit, *in quantum similes, in tantum, regenerante Spiritu, filii Dei; in quantum autem dissimiles, in tantum filii carnis, et saeculi. Illinc ergo peccare non possumus; hinc vero si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus.* Hanc vero allati textus explicationem, scilicet quod omnis, qui natus est ex Deo, quamdiu in charitate ma-

net, non peccat mortaliter, nedum laudati Doctoris auctoritas fulcit, verum etiam ipsa, quae immediate sequuntur verba, *quia semen ejus in ipso manet*, videntur innuere.

Objic. 2.° Quin mentio fiat alicujus privilegii illis collati, legitur de Job. c. 1., quod non fuerit *illi homo similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo*: Item de Zacharia, et Elisabeth Lucae 1., quod *erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus sine querela*: Demum de Baptista Matth. 11., quod *inter natos mulierum non surrexit major*; quae Christi verba de eximia ejus sanctitate ab omni peccati labe immuni intelligenda esse, ex hymno colligitur, quem Ecclesia in ejusdem honorem canit: *Antra deserti. . . fugiens petisti, ne levi saltem maculare posses crimine vitam.* Absque ullo igitur privilegio potest homo cum ordinariis gratiae auxiliis absque omni prorsus peccato vitam traducere.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim laudatur Job. l. cit. in comparatione aliorum, qui erant in terra; de quo proinde Aug. ait l. 2. de peccat. merit. et rem. c. 10. *Job autem post tam magnum de illo testimonium, quid ipse dicat, videamus c. 9 Vere scio, quod ita sit; et quod non justificetur homo compositus Deo.* Ubi etiam S. Doctor multa ipsius Jobi colligit loca, quibus leviter saltem lapsum se esse, confitetur. Quoad 2.m dicitur quidem de Zacharia, et Elisabeth, quod incesserint in omnibus sine querela, sed, ut explicat idem D. Aug. l. de gr. Chr. c. 48., ob eorum *inter homines conversationem, quam nullus hominum juste posset in accusationis, et criminationis querelam vocare.* Longe autem id differt a tali vitae ratione, quae ab omni fuerit peccati labe immunis. Quoad 3.m denique, Christi verba de Baptista, quod *inter natos mulierum non surrexit major*, non de ejus sanctitate, qua profecto eminenter fulsit, sed de ejus praestantia supra omnes Veteris Testamenti Prophetas esse intelligenda, patet ex Luca, qui elogium illi a Christo delatum ita refert. c. 7. *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est*, juxta id nempe, quod Judaeis de eo dixerat paullo ante: *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Utique dico vobis, et plusquam Prophetam.* Hymnus autem, quem Ecclesia in ejus

honorem canit, aliter modo se habet, scilicet: *Ne levi posses maculare vitam crimine linguae*; quod ad unum tantum peccatorum genus pertinet; quodque fuerit, nec ne Baptista assecutus, Ecclesia non asserit.

Objic. 3.° Nemo est, qui neget, vel negare queat, posse hominem peccata omnia, etiam venialia, distributive sumpta cum ordinariis gratiae auxiliis toto vitae cursu vitare: Et cum iisdem igitur omnia simul collective toto vitae cursu vitare poterit.

Resp. neg. cons.; non enim consecutio a distributivo ad collectivum valet, ubi repugnantia ex ipsa collectione oritur; ut ex. gr.: Potest quis unum, vel alterum lapidem movere. Ergone et acervum lapidum?

Inst. 1.° Cum homo ordinariis gratiae auxiliis cooperando uberiorem gratiam obtineat, cumque hac majus robur, quo subsequentes tentationes superet, nonne ita se gerens ab omnibus, et singulis peccatis, etiam collective toto vitae cursu cavebit? Ordinariis autem gratiae auxiliis cooperari et tenetur, et potest: Solis ergo ordinariis gratiae auxiliis cooperando, ab omnibus, et singulis peccatis etiam collective toto vitae cursu cavere poterit.

Resp. dist. min.; quod nempe homo distributive quidem potest cuilibet gratiae cooperari, prout tenetur; at non item pro sua infirmitate omnibus collective sumptis ita constanti, ac non interrupta vigilantia cooperari, ut numquam obrepat levis aliquis defectus, cumque hoc et veniale aliquod peccatum. Hinc etiam cum ordinariis gratiae auxiliis distributive quidem poterit ab omnibus, et singulis peccatis toto vitae cursu cavere; at non item collective.

Inst. 2.°, quod si cum ordinariis gratiae auxiliis non posset homo ab omnibus, et singulis peccatis etiam collective toto vitae cursu cavere, consequens esset, et quod Deus impossibile praeciperet, cum a quovis etiam veniali peccato nos abstinere praecipit, et quod aliquando homo necessario in illa laberetur. Utrumque autem falsum: Et falsum ergo, quod homo cum ordinariis gratiae auxiliis nequeat ab iis, etiam collective, toto vitae curse cavere.

Resp. neg. sequ. maj., quod nempe Deus impossibile praecipiat, quum a quovis etiam veniali peccato nos abstinere praecipit, quodque aliquando homo in aliquod

eorum necessario labatur; nullum namque est veniale peccatum, quod homo in particulari cum ordinariis gratiae auxiliis vitare non possit, si velit. Nobis autem praecipitur a quovis etiam veniali peccato cavere, non in generali, sed in particulari; itemque nobis id praecipitur, quum occurrunt cavenda, quod neque etiam in generali occurrit, sed in particulari: Neque ergo praeceptum est de impossibili; neque quum homo in illa labitur, necessario, sed libere in ea labitur.

Inst. 3.º, quod nonne idem dictu, hominem cum ordinariis gratiae auxiliis non posse omnia simul peccata venialia toto vitae cursu vitare, ac aliquando in aliquod eorum necessario labi? Utique igitur si homo cum ordinariis gratiae auxiliis omnia, et singula peccata etiam collective toto vitae cursu vitare non posset; hoc ipso in aliquod eorum necessario aliquando laberetur.

Resp. dist. ant.; quod idem nempe dictu est, hominem cum ordinariis gratiae auxiliis non posse omnia simul peccata venialia toto vitae cursu vitare, ac aliquando in aliquod eorum necessario labi necessitate quadam vaga, indeterminata, et generali, non autem necessitate, quae in ullum particulare peccatum cadat. Cum nullum proinde peccatum detur in particulari, quod homo nequeat cum ordinariis gratiae auxiliis vitare, neque etiam dici potest, quod homo in aliquod eorum necessario labatur.

## CAPUT V.

*De necessitate gratiae ad bonum operandum: et an solis naturae viribus possit saltem bonum aliquod naturalis ordinis, et quidem omni ex parte bonum perfici?*

Praemittendum, opus aliquod bonum esse posse *supernaturaliter*, rationi scilicet, ac legi conforme, et utile ad vitam aeternam; ac bonum esse posse tantum *naturaliter*, seu *moraliter*, habens scilicet solam moralem honestatem, quia rationi, ac legi conforme. Quoad 1.m autem erraverunt 1.º Pelagiani, ajentes, ut diximus *tract. ant. c.* 1., nullam haberi absolutam necessitatem interioris gratiae vel praevenientis, vel adjuvantis, ut voluntas possit agere, et de facto agat quodvis bonum ad salutem pertinens; utque gratiam ad facilius operandum bonum necessariam promereatur, hominem, dixerunt sibi suffice-

re. 2.° Janseniani, qui cum ex dictis quoque *tract. ant.* c. 5. aliam non agnoscant gratiam vere sufficientem, praeter efficacem, idest relative victricem, ne viderentur idcirco dicere, quod homo absque ea necessario operatur malum, dixerunt, ut Catholicis illuderent, hominem etiam absque gratia posse quodvis bonum etiam supernaturale potentia ab actu sejuncta operari; intelligendo scilicet per ejusmodi potentiam voluntatis flexibilitatem ad bonum per delectationem coelestem relative victricem. 3.° quidam ex veteribus, qui ad Semipelagianos accedentes rursus docere ausi sunt, hominem per opera moraliter bona ex merito, non quidem de condigno, sed de congruo ad primam gratiam se disponere; atque hoc sensu effatum illud accipiendum esse: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Ita nempe Durandus, Scotus, Gabriel, Antissiodorensis, et Alphonsus De Castro.

Quoad alterum vero distinguendum 1.° est in opere moraliter bono objectum, et finis. Objectum nempe est opus ipsum, quod et D. Aug. appellat officium virtutis; ut ex. gr., parentes honore prosequi, eleemosynam pauperi erogare, etc.. Finis vero est ratio, ob quam fit opus; ut ex. gr., parentes honorare, quia illis debitum; pauperi stipem tribuere, ad illius inopiam sublevandam, etc.. Itemque distinguendum inter finem operis, et finem operantis. Ille est, ad quem opus suapte natura ordinatur; ut sublevatio pauperis per eleemosynam, etc.: Hic vero, quem operans pro suo arbitratu sibi proponit, bonum, vel perversum. Qui item subdistinguitur in proximum, et ultimum. Ille est, quem operans primo, ac immediate intendit: Hic vero, quem operans respicit, tamquam suae intentionis terminum, seu in quo, tamquam in termino, haeret. Ex se autem patet, utrumque etiam esse posse bonum, vel perversum: nec quia ultimus finis operantis non est Deus explicite, ideo judicandum, quod actio in se bona, et nec ex fine proximo, vel alio quocumque particulari fine perverso ex parte operantis vitiata, ob defectum tantum explicitae relationis in Deum sit vitiosa; ut enim de ejusmodi actionibus advertunt Sotus, Bellarminus, Suaresius, Gonetus, et communiter Thomistae, ex se, seu seipsis in Deum, tamquam in ultimum finem, referuntur per relationem sibi intrinsecam, utque scribit Gonetus qu. 1. de necess. gr. art. 3. §. 5., *in ipsa entitate actus imbibitam.* Quare, ut sint

moraliter bonae, necesse non est, ut referantur voluntate operantis, et gratia dirigente. De quo tamen infra luculentius, et fusius.

His praemissis, ex ipsa habitualis, seu sanctificantis gratiae absentia coinquinari hominis opera, et vera esse peccata; ideoque nullum absque habituali gratia fieri ab homine posse opus vel solum moraliter bonum, docuerunt Wiclefus, et Joannes Hus, ut constat ex Conc. Constantiensi sess. 15. . Ultro tamen progressi postmodum fuere Lutherus, et Calvinus, qui ipsa justorum opera, ut diximus *tract. ant. c.* 4., peccata esse, docuerunt ob eam, quae ipsis semper adhaerescit, concupiscentiae labem; iisque solum ad culpam non imputari, qui certa fide credunt, ipsis per Christum esse remissa, seu non imputata, ideoque et omnia infidelium opera esse peccata, iisque imputari ad culpam, et nihil omnino boni moralis ex solis naturae viribus fieri posse. Nullum quoque bonum, etsi solum *moraliter*, fieri ab homine posse vel absque fide supernaturali, et Theologica, vel absque actuali, et habituali Dei gratia, seu charitate, ideoque omnia tum infidelium, tum peccatorum opera vera esse peccata, nec ullum dari opus bonum dumtaxat *moraliter*, docuit Bajus. Ita nempe prop. 25. *Omnia infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Et prop. 27. *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Et prop. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et prop. 37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Et prop. 38. *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Et prop. 62. *Distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum ( quod moraliter bonum appellare consueverunt ), vel quia est meritorium Regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.* Bajum deinde secuti fuerunt Jansenius, Quesnellius, eorumque gregales, quorum sententiam Pontifices non semel laudati diris tradidere.

Ex adverso docet fides catholica quoad bonum super-

naturale, necessariam quidem ad illud non esse gratiam habitualem; absolute tamen necessariam esse ad istiusmodi bonum gratiam actualem, quin aliquid boni supernaturalis homo absque ea operari possit. Cumque Thomassinus in suis de gratia Commentariis *tom.* 1. *cap.* 11. 12. *et* 13. docuerit, quod gratia, seu charitas habitualis ex se activa est, atque independenter a gratia actuali confert voluntati vires bono operi supernaturali perficiendo relative proportionatas, qua sola idcirco homo justificatus potest bonum supernaturale operari: haec ejus singularis sententia communiter rejicitur, docentque contra eam caeteri omnes Theologi, quod quamvis homo habituali gratia ornetur, impar quoque est absque gratia actuali ad aliquod bonum supernaturale operandum.

Nemo item Catholicorum quoad ipsum bonum supernaturale in dubium vocat, quod cum gratia actuali nedum absque gratia habituali, verum etiam absque fide potest homo aliquod bonum operari; licet enim Orthodoxi omnes fateantur cum Trid. sess. 6. de justificatione cap. 8., *fidem esse humanae salutis initium, fundamentum, et radicem omnis justificationis*, agnoscunt tamen etiam ante fidem gratias quasdam supernaturales, quae ad illam disponant, ac praeparent; quas D. Aug. quasdam inchoationes fidei appellat; ac merito idcirco damnatas fuisse, inquiunt, a Clem. XI. Const. *Unigenitus* illas Quesnelli propositiones n. 26., et 27., et 48. *Nullae dantur gratiae, nisi per fidem. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, nisi peccatum, sine lumine fidei, sine Christo, sine charitate?* An autem homo in praesenti statu possit etiam absque gratia actuali aliquod bonum tantum moraliter, ac nedum bonum quoad objectum, verum etiam quoad finem, idest undequaque bonum operari, alii id negant, inter quos Greg. Ariminensis, Card. Norisius, aliique: alii vero communius affirmant, duce D. Th. 1. 2 *qu.* 109. *art.* 2.. Nec praetermittenda hic est singularis Vasquesii sententia *in* 1. 2. *disp.* 190. *c.* 12., quod nihil boni, tametsi ordinis naturalis, homo absque speciali Dei auxilio ordinis etiam naturalis, aeterna Dei per Christum Misericordia illi praeparato, operari potest: Cum enim hujus generis auxilia nullo suffultus fundamento commentus fuerit, hoc ipso etiam ejus sententia corruit; quare et communiter a Theologis reji-

citur. Nedum tamen commentitia, sed et proscripta ab Alex. VIII. peculiari suo Decreto an. 1690. eorum sententia est, qui distinguentes inter actionem infidelis, et infidelem ipsum agentem, actionem quidem infidelis bonam esse posse, ajebant, ex objecto, et fine; at infidelem operando semper peccare peccato saltem omissionis, ob defectum nempe relationis in Deum, tamquam in finem ultimum: *Necesse est* ( ita nempe prop. damnata ), *infidelem in omni opere peccare.* Sit modo

Prop. I. Potest quidem homo absque gratia habituali bonum supernaturale cum gratia actuali agere: nihil tamen ejusmodi boni absque gratia actuali, quamvis gratia habituali insructus; nec ad gratiam actualem sibi ad id necessariam solis naturae viribus se disponere. Quae omnia habenda sunt de fide, praeter unum illud, quod ad bonum supernaturale satis non est gratia habitualis; quod tamen contra Thomassinum commune est.

Prob. 1. pars. Et 1.º ex Scripturis, quae peccatores hortantur ad conversionem, et poenitentiam, ut apud Ezech. 18. *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris;* et passim alibi. Est autem et cordis ad Deum conversio, et poenitentia ad remissionem, et justificationem necessaria opus supernaturale: Patet ergo propositum. Actus item, quibus Publicanus apud Luc. 18. percutiendo pectus suum, suamque indignitatem confitendo Misericordiam a Deo consecutus fuit, nonne opera supernaturalia? Illos autem elicuit, antequam justificationis gratiam consequeretur, illis namque ad eam pervenire meruit, non quidem merito de condigno, sed de congruo: Magis ergo, magisque patet propositum.

2.º ex Conciliis Constant., et Trid.; illud namque sess. 15. anathemate confixit in Wiclefo, et Joanne Hus, quod *quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter*: quodque *sine gratia sanctificante nullum bonum opus fieri potest.* Tridentinum vero sess. 6. can. 7., *Si quis* ( inquit contra Lutheranos, et Calvinistas ) *dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, et odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Potestne autem peccator ante justificationem se disponere ad gratiam, nisi per actus supernaturales, quibus de congruo ad eam pervenire mereatur? Hinc idem

Trid. sess. 14. cap. 4., attritionem, inquit contra eosdem, quae *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennae, et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae .., . verum donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, et ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam se disponit.* Si autem donum Dei, et Spiritus Sancti impulsus, quis non videt, quod bonum supernaturale? Ad quod proinde necessariam non esse gratiam habitualem, magis, magisque est perspicuum.

3.° etiam ratione, quam modo innuimus; per actionem namque vel malam, vel etiam, quae non esset supernaturaliter bona, numquam peccator parare se posset ad justificationem, utpote opus supernaturale. Potest autem peccator ad justificationem se parare: Et actus igitur supernaturaliter bonos, quamvis absque gratia sanctificante, sola actuali gratia adjutum elicere posse, consequens est.

Prob. 2. pars. Et 1.° etiam ex Scripturis; ad hoc enim refertur quod ait Christus Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Jo. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quo in loco advertendum, quod cum Christus non dixerit: *Sine me nihil facietis*, sed: *Sine me nihil potestis facere*, neque etiam proinde potentia ab actu sejuncta, ut commenti sunt Janseniani, potest homo absque gratia quidquam boni in ordine ad salutem operari. Item quod ait Ap, ad Eph. 2. *Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Et ad Philipp. 2. *Ipse est, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona volontate.* Quibus nihil disertius.

2.° ex Conciliis; ita enim Carthaginense III. a Sede Apostolica approbatum, et a tota Ecclesia receptum, cap. 5. *Placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere Divina mandata, anathema sit.* Item Arausicanum II., aeque etiam a S. Sede approbatum, atque ab universa Ecclesia receptum,

*Si quis* ( inquit can. 7. ) *per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere . . . posse, confirmat absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, . . . haeretico fallitur spiritu.* Demum Trid. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, hominem sine Sancti Spiritus inspiratione, atque ejus auxilio credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

3.° ex Patribus, pro quibus sufficiat D. Aug. Et 1.° ex relatis Christi verbis ita l. 2. contra duas epistolas Pelagian. c. 8. n. 8. *Dominus, ut responderet futuro Pelagio, non ait*: Sine me difficile potestis aliquid facere; *sed ait*: Sine me nihil potestis facere. . . *Hoc uno verbo initium, finemque comprehendit.* Et c. 10. n. 22. *Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonae mutationis suae usque in finem consummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur; quia sicut nemo potest bonum perficere sine Domino, sic nemo incipere sine Domino.* Julianum quoque alloquens l. 1. Oper. imperf. cont. eumdem n. 97. ita scribit: *Cum displicet tibi, hominem non posse bonum velle, nisi adjuvetur ab eo; qui malum non potest velle, nonne respicis, ei te contradicere, qui dixit:* Sine me nihil potestis facere? *Et Scripturae, ubi legitur*: Paratur voluntas a Domino? *Et ubi legitur*: Deus est, qui operatur in nobis et velle? Quod et confirmans aliis in locis, ita quoque l. de gr. Chr. c. 26. *Gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse, non dubitet. Non quomodo Pelagius, qui dicit, propterea dari gratiam, ut quod a Deo praecipitur, facilius impleatur. . . Quem sensum redarguit, qui dicit: Sine me nihil potestis facere.* Et l. de gr. et lib. arb. c. 17. *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Accedit demum contra Iansenianos quod scribit de primo homine l. de corrept. et gr. c. 11., cui, inquit, *si adjutorium, sine quo, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio Divino posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidisset, adjuto-*

*rium quippe defuisset*, *sine quo manere non posset.* Cum enim vegetius procul dubio fuerit liberum arbitrium ad bonum in primo homine, quam in nobis, profecto si primus homo nec etiam potentia ab actu sejuncta potuit ex Augustino bonum operari, ac in bono manere absque Dei adjutorio, multo magis dicendum de homine lapso, quod neutrum quoque potest juxta Aug. absque Dei adjutorio, neque etiam potentia ab actu sejuncta. Ex Augustino autem nec etiam potentia ab actu sejuncta potuit primus homo absque Dei adjutorio bonum operari, ac in bono manere, cum de facto a statu justitiae exciderit: Multo magis igitur neutrum absque Dei adjutorio hominem lapsum juxta Aug. posse vel ipsa potentia ab actu sejuncta, consequens est. Quo argumento ipse Nicolius discipulorum Jansenii celeberrimus, convictum se fuisse, fatetur in opere, cui titulus: *Traitè de la grace generale.* Sed et expresse S. D. *l. cit. Vol.* 2. *pag.* 219. *in fine.*

4.° etiam ratione, eaque duplici; 1.° enim nihil in Scripturis clarius, quam orandi necessitas, juxta Christi verba tum Lucae c. 18. *Oportet semper orare*, *et non deficere*: tum c. 21. *Vigilate omni tempore orantes*, *ut digni habeamini stare ante Filium hominis.* Hinc etiam Apostolus ad Coloss. 4. *Orationi* ( inquit ) *instate*, *vigilantes in ea*: Et ad Eph. 6. *Induite vos armaturam Dei*, *ut possitis stare adversus insidias Diaboli . . . per omnem orationem*, *et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu:* Et 1. ad Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Quidnam autem *oratio* ( ait D. Aug. ep. 177. ), *nisi gratiae testificatio?* Ut enim disserit idem S. Doctor l. de bono viduit. c. 17., *ut quid peto a Domino*, *quod in mea posuit potestate? Sed absit*, *ut hoc sapiat*, *qui sanum sapit*: Cum ergo necesse sit, ut semper, omni tempore, ac sine intermissione oremus, ut digni habeamur stare ante Filium hominis, idest salutem consequamur, dicendum profecto, quod nihil prorsus in ordine ad salutem ex nobis possumus, sed omnis ad id sufficientia obtinenda a Deo est. 2.° quid clarius, quam quod, ut D. Th. disserit 1. 2. *qu.* 109. *art.* 5., cum media proportionem habere debeant cum fine, actus quoque ad salutem aeternam conducentes proportionem cum ea habere, ejusdemque ordinis, rationis, ac naturae esse debent? Est autem salus aeterna ordinis supernaturalis: Et ordinis ergo supernaturalis media, idest actus ad eam conducentes esse

debent, nec proinde actus naturalis ordinis quidquam ad illam prodesse possunt.

Prob. 3. pars, quod nempe ad bonum supernaturale satis non est gratia habitualis. Et 1.° etiam ex Scripturis, ita enim arguitur ex Christi verbis Jo. 15. *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Quid clarius, quam quod sicut palmes jugi, et continuo vitis influxu eget, ut fructum referat, sic homo, licet per gratiam sanctificantem Christo adhaereat, ut palmes viti, jugi etiam, et continuo ejus adjutorio eget, ut bonum operetur? Ita igitur.

2.° ex Conc. Arausic. II. can. 9., ubi: *Quoties* (inquit) *bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Nec non ex Trid. sess. 6. cap. 16., ubi palmitis similitudinem a Christo allatam excipiens, *cum enim* (inquit) *ille ipse Christus Iesus, tamquam Caput in membra, et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent.*

3.° ex D. Aug., qui conceptis verbis id docet l. de nat., et gr. c. 26., *Sicut* (inquiens) *oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

4.° demum ratione; quamvis enim homo sit justificatus per gratiam sanctificantem, adhuc tamen in eo supersunt ignorantia, et concupiscentia, per quam a bono et cognoscendo, et operando retrahitur. Quod cum ita sit, actuali item eget Dei gratia, per quam illi, ut ait D. Aug., l. 2. de pecc. merit., et remiss. c. 17., *innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat,* nec secus bonum operabitur, immo ad illud erit idoneus: Magis ergo, magisque patet propositum.

Prob. 4. pars. Et 1.° etiam ex Scripturis allatis *cap. 1. prop. 2. parte 2. pag. 173., et sequ.*

2.° auctoritate D. Aug., cujus testimoniis *l. cit.* allatis addimus hic quae habet l. 1. ad Simplician. qu. 2.

*Non habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem . . . Restat ergo, ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate.* Et l. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 22., *unde fit* ( inquit ), *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes caeteras provectior; aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia Christiana non possit . . . Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, et facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit* ( idest pergat vivere post baptismum ), *laudabiliter vivat?* Ad quod respondet S. Doctor, discriminis causam petendam non esse ex parte hominis, sed ad inscrutabilia Dei judicia recurrendum esse.

3.° auctoritate D. Th.; qui 1. 2. *qu.* 109. *art.* 6. cum sibi objecisset effatum illud: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*, ita respondet: *Dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Io. 15. Sine me nihil potestis facere. Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo.* Quod et confirmans in Comment. Ep. ad Rom. 10. lect. 3:, *hoc ipsum* ( inquit ), *quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, secundum illud Threnorum 5. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*

4.° accedit et ratio; omnis namque dispositio quamdam habere debet proportionem cum forma, ad quam disponit. Nullam autem proportionem habet quivis actus naturalis cum gratia, quae est ordinis supernaturalis: Neque ergo ullatenus potest disponere ad eam comparandam.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cont. 1.m part. quae ait Deus de peccatorum operibus per Isaiam 10. *Incensum abominatio est mihi. . . Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.* Item Prov. 15. *Victimae impiorum abominabiles Domino.* Nec non Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Et Jo. 9. *Deus peccatores non audit.* Demum Ap. ad Tit. 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum.* Nonnisi autem peccatum Deus abominatur, odit, ac malum, et inquinatum est in oculis suis. Cum ergo peccatorum opera dicat Deus abominari, odio habere, nec nisi mala esse posse, quin aliquid in iis sit mundum, profecto dicendum, quod in statu peccati nihil boni, quodque peccatum non sit, homo operari potest.

Resp. dist. cons.; quod nempe quidquid homo in statu peccati operetur ex pravo fine, procul dubio est peccatum, nec, nisi peccatum, esse potest; non vero, si id, quod operetur, bonum sit ex objecto, et nullo pravo fine vitietur; eoque magis si id operetur ex fine Religionis, ut ex. gr. ad obtinendam a Deo conversionis gratiam, eique satisfaciendum pro illatis ejus Majestati offensis, etc. . De operibus porro primi generis objecta Isaiae verba esse intelligenda, ex contextu patet; ibidem namque affert Deus causam, ob quam Judaeorum solemnitates, et victimae abominationi, et odio ipsi erant, *Manus enim vestrae* ( inquiens ) *sanguine plenae sunt*; quos idcirco hortatur, ut bonis operibus navando, a via iniquitatis recedant, ejusque Misericordiam consequantur.: *Subvenite* ( inquiens ) *oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, Et . . . si fuerint peccata vestra. ut coccinum, quasi nix, dealbabuntur.* Idem proinde dicendum de Proverbiorum verbis.

Praecise vero pro arbore mala, de qua sermo fit Matth. 7., intelligenda est, ut explicat D. Aug. *l.* 1. *cont. Julian. c.* 8., *et l.* 4. *c.* 3., ipsa voluntas mala, sicut pro arbore bona voluntas bona; quo in loco idcirco aliud non significatur, quam quod voluntas mala nequit bene agere, nec voluntas bona male agere, voluntas enim est, ut ait idem S. Doctor, qua peccatur, et recte vivitur. Ad quod etiam refertur quod ait Christus apud eumdem Matth. c. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum*

*corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam , totum corpus tuum tenebrosum erit.* In quae ita idem Aug. l. 4. cont. Julian. c. 3. *Hunc oculum agnosce intentionem , qua facit quisque quod facit.*

Quod autem dicitur Jo. 9. , laudatus quoque Aug. *l. 2. cont. ep. Parmen.* observat , dictum non fuisse a Christo , sed a caeco nato nondum illustrato fidei lumine, procul namque dubio est , et exploratum , ipsos peccatores plerumque a Deo exaudiri tum in spiritualibus , tum in temporalibus. Vel ut alii advertunt , recte etiam dicitur hoc sensu , quod Deus peccatores non audit , quum miracula petunt , quibus doctrinam falsam comprobent , vel Deum velint eorum iniquitatibus cooperari ; inde enim caecus, cujus Christus aperuerat oculos , argumentabatur, quod cum Deus Christum exaudisset, ut ejus oculos aperiendo se ab ipso missum comprobaret, nemini dubium esse poterat , quin pertinaciter vellet veritati resistere, quod vere a Deo missus fuerat.

Coinquinatis demum, et infidelibus nihil est mundum, quando , ut coinquinati , et infideles vivunt , non vero , ut scribit Estius in hunc locum , quando vivunt ex honesto fine , et ad normam legis. Rectius tamen respondetur, Apostolum in loco objecto non de operibus loqui , sed de rebus ; sensumque esse, quod absolutis per Christum fidem a legibus coeremonialibus omnes cibi sunt mundi ; dum simul iis, qui vel illis abutuntur, vel quia adhuc infideles cibos a cibis discernunt, convertuntur tamen in immundos, primis nempe ob abusum, aliis ob erroneam conscientiam.

Quibus omnibus recte etiam responderi potest , quod universalitate tantum morali dicitur objectis in locis Deum abominari , et odio habere iniquorum opera , eorumque preces non audire , nec , nisi malum , et immundum in iis cernere ; quia nempe haec passim est eorum operum , et precum conditio , a quibus proinde suos nequit oculos non avertere. Nec raro in Scripturis quod universe dicitur , moraliter tantum , non absolute accipiendum est ; ut quum dicitur Ps. 13. *Omnes declinaverunt , simul inutiles facti sunt ; non est , qui faciat bonum , non est usque ad unum.* Et Is. 1. *Cognovit bos possessorem suum , et asinus praesepe Domini sui. Israel autem me non cognovit ;* et alibi passim.

Inst. , quod peccator nonnisi ex pravo fine agere potest ; quia enim , ut ait D. Aug. in Enchir. c. 118. , *re-*

*gnat carnalis cupiditas*, *ubi non est Dei charitas*, hoc ipso idcirco, quod in eo non regnat charitas, jam regnat cupiditas; quam proinde omnes ejus actus imperare, et a qua omnes ejus actus esse, manifeste sequitur. Est autem, ut ait Ap. 1. ad Tim. 6., *radix omnium malorum cupiditas*: Nonnisi ergo ex pravo fine agere potest, cujus proinde actus nonnisi totidem peccata esse possunt.

Resp. dist. maj.; quod nempe regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas quoad habitum, in eo enim, in quo deest charitas habitualis, seu sanctificans, peccatum illud est, quod dominatur; at non item regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas hoc sensu, quod totum sit cupiditas, aut cupiditatis foetus in eo, in quo non est Dei charitas vel quoad habitum, vel quod actum: certum namque est, quod licet peccator sit absque charitate habituali, auxilio tamen, atque inspiratione Spiritus Sancti *nondum inhabitantis*, *sed moventis*, ut ait Trid. l. supra cit., actus concipere potest, quibus ad justificationem disponatur; immo ipsis naturae viribus, ut supra ostendimus, aliqua etiam legis naturalis, quae facilia sunt, et nulla gravi tentatione ipsi impediantur, implere: Sicut etiam certum est, quod absque charitate actuali potest quoque homo et bene, et supernaturaliter ex gratia operari; si enim omnia agenda essent ex charitatis motivo, nec aliquid esset licitum, ac meritorium, nisi quod ex ejusmodi motivo fieret, 1.° peccaret quisquis intuitu aeternae mercedis bene operaretur, 2.° nullus amplius caeteris virtutibus relinqueretur locus. Illud autem falsum, et erroneum declaravit Trid. sess. 6. can. 31. *Si quis* (inquiens) *dixerit*, *justificatum peccare*, *dum intuitu aeternae mercedis bene operatur*, *anathema sit*. Alterum omnem caeteris virtutibus laudem eriperet; ita ut una charitas vera esset virtus, quae sola laudem, et pretium haberet; cum ex opposito in Scripturis nedum charitas, sed et reliquae virtutes nobis commendentur, et praecipiantur: Nedum ergo licitum, et meritorium quod fit ex charitatis motivo, verum etiam quod fit ex motivo mercedis aeternae, ac reliquarum virtutum; ideoque homo absque charitate tum habituali, tum actuali utique potest ex gratia et bene, et supernaturaliter operari.

Accedit caeterum objectis Augustini verbis alia etiam responsio; quod nempe per charitatem Dei quaelibet ab eo intelligitur charitas licita, sive ea Divina sit, sive hu-

mana, quae posterior potest quoque charitas Dei appellari, quia Dei voluntati conformis; ait namque serm. 349. de tempore: *Charitas alia est Divina, alia humana; alia humana licita, alia illicita . . . Licita est humana charitas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix., vel uxor aliena. Licitam charitatem habete. Humana est; sed, ut dixi, licita est . . . Liceat vobis humana charitate diligere filios, diligere amicos vestros, etc.* Nemo autem non videt, quod ubi non est charitas licita, illicita profecto, idest cupiditas regnare debet.

Objic. 2.° cont. 2.m part. Nihil evidentius, quam quod libertas aliquid faciendi, nonnisi tamen alterius ope, et quidem prorsus gratuita, locum non habet, immo secum ipsa pugnat. Semel autem admissa absoluta gratiae, et quidem prorsus gratuitae, necessitate ad operandum bonum, nonnisi ejusmodi esset hominis ad illud libertas: Vel igitur haec merum figmentum, vel dicendum, non esse illi absolute necessarium gratiae prorsus gratuitae adjutorium ad bonum operandum.

Resp. neg. maj.; non enim, ut diximus *tract.* 2. *cap.* 1. *resp. ad* 1.m *pag.* 76., ea est libertatis notio, ut sit in hominis potestate ponendi, vel non ponendi actum sine praerequisitis ad agendum, sed, habitis omnibus praerequisitis ad actum; quorum unum est, ubi agatur de bono supernaturali, ut homo Dei gratia praeveniatur, et adjuvetur: quae cum illi, licet prorsus gratuita, praesto semper sit, saltem remote, idest per orationem, hinc et absolute eget gratia, atque hac prorsus gratuita, et simul est liber. Non dissimulandum caeterum, quod *ista quaesiio* ( ut ait D. Aug. l. de gr. Chr. c. 47. ), *ubi de arbitrio voluntatis, et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Ut enim addit l. 2. cont. litteras Petiliani c. 83., *quomodo Deus Pater attrahit ad Filium homines, si dimittit, ut quis, quid voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est. Sed intellectu hoc percipere pauci valent.* Sed et consulantur quae cit. l. scripsimus.

Objic. 3.° a Jansenianis quod laud. S. Doctor scribit l. de praed. SS. c. 5. *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturae est hominum: habere*

*autem fidem, quemadmodum et habere charitatem, gratiae est fidelium.* Quidnam autem naturae hominum esse fidem, et charitatem habere posse, quam quod naturae viribus possumus et credere, et diligere, ideoque etiam quodvis bonum supernaturale operari potentia ab actu sejuncta ? Ita igitur.

Resp. neg. min.; loquitur enim *l. cit.* Aug., non de potentia ab actu sejuncta, sed de potentia, quam Scholastici vocant obedientialem, seu passivam, qua homo ob naturam intelligentem distinguitur a naturis irrationalibus, et capax est, mediante gratia supernaturali, et fidei, et charitatis, et caeterorum tam habituum, quam actuum supernaturalium. Alius proinde ejus verborum sensus non est, ut advertit D. Th. 1. 2. qu. 113. art. 10., quam quod *anima est naturaliter gratiae capax*: naturaliter tamen nec credere, nec diligere, nec bonum aliquod supernaturale ullatenus posse, quod proinde naturae hominum non sit, sed Dei gratiae, et disertissimis supra allatis testimoniis, et l. 1. ad Bonifac. constanter S. Doctor adstruit: *Quid est* ( inquiens ), *quod Julianus libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem, cum haec potestas non detur, nisi gratia Dei per J. C. Dominum nostrum ?*

Objic. 4.° Quod de fide est, mandata Dei esse omnibus possibilia. Atqui simul non est de fide, quod omnibus detur gratia, qua possibilia fiant, non desunt namque ex Theologis, qui eam adimunt infidelibus, ac induratis: Restat ergo, ut potentia saltem ab actu sejuncta dicantur omnibus possibilia solis naturae viribus.

Resp. neg. maj.; certum namque est, mandata Dei esse omnibus possibilia: caeterum quod justis sint possibilia, id quidem certum est certitudine fidei, quia fidei certitudine certum est, ipsis praesto semper esse gratiam vere sufficientem, qua vel proxime, vel saltem remote illa implere possunt. At simul, quia certum non est certitudine fidei, sed tantum certum certitudine infra fidem, quod etiam semper presto sit omnibus, ipsisque infidelibus, et induratis, certum quoque non est certitudine fidei, sed tantum certum certitudine infra fidem, quod omnibus, ipsisque infidelibus, et induratis mandata Dei sint possibilia; eoque modo, quo justis, caeterisque certa est gratiarum vere sufficientium collatio, eodem quoque certa iis est mandatorum Dei possibilitas. Ex osten-

sis tamen non quidem certitudine infra fidem, sed ipsius fidei certitudine certum est, hominem neque etiam potentia ab actu sejuncta quidquam boni supernaturalis posse absque gratia.

Objic. 5.° cont. 3.m part., de ratione habituum esse, ut expeditam ad actus illis respondentes potestatem praebeant. Quod cum ita sit, erit quoque de ratione gratiae habitualis, ut ad actus supernaturaliter bonos expeditam potestatem praebeat: Quin ergo opus sit actuali gratia, cum sola gratia habituali expeditam potestatem habet ad actus supernaturaliter bonos ea praeditus.

Resp. dist. maj.; quod nempe id est de ratione habituum naturalium, quippe qui nonnisi ex repetitis ejusdem speciei actibus gignuntur; non vero de ratione habituum supernaturalium, quippe qui etiam absque ullo praecedenti actu infunduntur, prout in parvulis, nec in istis, cum adoleverint, vel in adultis post justificationem expeditam ad actus illis respondentes potestatem experiri faciunt. Hinc alterius generis esse ab habitibus naturalibus, evincitur; eamque forte ob causam tum Viennensis; tum Tridentina Synodus *habitus* vocabulo uti abstinuerunt.

Objic. 6.°, quod ex sententia, quam nos cum Bellarm., aliisque secuti sumus *tract.* 1. *cap.* 2. *prop.* 5. *pag.* 34., sola habituali gratia, supernisque illustrationibus instructus potestatem habuit Adam in statu naturae innocentis et bonum operandi, et in eo manendi. Neutrum autem potuisset, nisi gratia habitualis ex se activa esset, atque ad bonum excitans, et vires praebens: Falsum ergo, eam ex se activam non esse; qua idcirco homo, supernisque illustrationibus instructus, principium penes se habet in praesenti etiam statu supernaturales actus eliciendi.

Resp. neg. sequ. min.; cum enim Adam in primo ipsius ortu, ut ibidem diximus, et gratia voluntatis, qua perfecto charitatis actu erga Deum se ferret, et gratia habituali, et caeteris supernaturalibus donis originalem justitiam comitantibus ditatus esset, ac nullo item ad bonum operandum irretiretur, vel retardaretur impedimento, ab illo primo idcirco charitatis actu erga Deum ferebatur quoque per solas supernas illustrationes ad prosequendum quidquid Deo agnosceret placiturum: sive ut loquitur D. Aug. l. 14. De Civ. Dei c. 13., nedum ab illo primo charitatis actu *illustrabatur*, *ut videret*, verum etiam *accendebatur*, *ut amaret*; eo fere modo, quo

globus in motu positus, indesinenter in medio libero moveri pergeret; nec non eo modo, quo voluntas sibi relicta satis sibi est cum solo concursu ordinario ad actus civiles, ac mere naturales. At non item homo in statu praesenti, in quo cum et ignorantia, et concupiscentia laboret, eget idcirco ad supernaturales actus et gratia intellectus, ut illi, quemadmodum scribit idem S. Doctor l. 2. de peccat. merit., et remiss. c. 17., *innotescat*, *quod latet*, et gratia voluntatis, ut illi *suave fiat*, *quod non delectat*. Patet proinde disparitas, et solutio.

Objic. 7.º cont. 4.m part. penes hominem esse solis naturae viribus se praeparare ad gratiam, auctorem habere Clementem Alex. *l.* 1. *Stromat.*, ubi inquit, Graecos venisse ad Christum per Philosophiam. Item D. Chrysostomum multis in locis, ut hom. 9. in Gen.. ubi, *gratia parata est* ( inquit ), *quaerens*, *qui eam largiter suscipiant. Quod si Deus viderit animam vigilem*, *et desiderium fervens*, *ipse suas divitias largiter suppeditat.* Et hom. 27. in Jo. *Hinc admoneri possumus*, *Deum suis in nos beneficiis non praevenire voluntates*, *sed à nobis incipiendum esse.* Et hom. 12. in ep. ad Heb. *Oportet nos eligere primum*, *quae bona sunt*, *et tunc Deus*, *quae sua sunt*, *introducit. Non antecedit nostras voluntates*, *etc.* Maxime tamen D. Hieronymum, qui in Dial. 3. cont. Pelagianos, *nostrum* ( inquit ) *est rogare*, *illius tribuere*, *quod rogatur*; *nostrum incipere*, *illius perficere*; *nostrum offerre*, *quod possumus*, *illius perficere quod non possumus.* Cum laudatis ergo Patribus sentit, qui id sentit.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim, quamvis dure admodum, et improprie locutus fuerit, cum nondum Pelagiana haeresis exorta esset, benigne tamen interpretandum esse, ac sensu tantum, quod Graeci infideles aliqua legis naturalis Philosophia duce cognoverint, et perfecerint, quisque sibi suadere potest ex iisdem Stromatum libris, 2.º scilicet, 5.º, et 6.º, ubi omnia hominum merita tribuit gratiae, Deique cognitionem, quae ad justificationem est necessaria, absque gratia, docet, haberi non posse.

Quoad 2.m, adeo perspicue docet Chrysost. necessitatem gratiae praevenientis ad quaevis opera salutaria, vel in ordine ad salutem, ac nihil ejusmodi absque Dei gratia hominem posse, ut illam luculentioribus verbis

nequeat exprimere. Ita nempe hom. 13. in Jo., ubi, *gratia Dei* ( inquit ) *semper in beneficiis priores sibi partes vindicat.* Et hom. in c. 4. 1. ad Cor. *Quod accepisti, habes : neque hoc tantum, aut illud, sed quidquid habes, non enim merita tua haec sunt, sed Dei gratia.* Quibus similia habet quoque aliis in locis, quae, ne actum agamus, consulantur *tract.* 2. *cap.* 2. *pag.* 87. Quibus perpensis, diximus l. cit., iterumque hic dicimus, nihil aliud illum, nondum quoque exorta Pelagiana haeresi, significare voluisse in objectis locis, quam quod nostrum est incipere, eligere, et velle, quae in ordine ad salutem sunt, sed nonnisi cum Dei adjutorio, ac praeveniente ejus gratia adjutis. Qua super re rursus consulantur, quae illic scripsimus.

Quoad *3.m* objecta ejus verba eodem quoque sensu intelligenda esse, ex iis patet, quae idem S. Doctor habet scribens ad Demetriadem, ubi, *velle, et nolle* ( inquit ) *nostrum est ; ipsumque, quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Ed ad Ctesiphontem : *Velle, et currere meum est ; sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit mecum.* Quo sensu locutos quoque fuisse alios Patres, qui aliquatenus impropriè videntur scripsisse, ex eorum scopo colligitur, profligandi scilicet Marcionitas, Manichaeos, aliosque id genus haereticos, qui liberum homini arbitrium eripiebant. Hinc cum nondum haeresis Pelagiana exorta esset, liberum contra eos vindicabant hominis arbitrium, illaesis quidem gratiae juribus, sed verbis, quae ad limatioris, et accuratioris Theologiae normam exacta non erant ; supponendo scilicet, omnibus praesto esse gratiam, qua in sua potestate homo haberet inchoationem salutis, et cui, ut par est, cooperando, uberiorem impetraret, ut eam operaretur ; at illam conceptis verbis non exprimendo, quippe quod non cum hostibus gratiae, sed cum hostibus liberi arbitrii dimicabant. Immo eodem modo et subsequentibus temporibus, et hoc quoque tempore Sacros Concionatores passim locutos esse, et loqui, notum omnibus est, atque exploratum.

Objic. 8.° auctoritas D. Th., qui l. de verit. qu. 24. art. 1. ad 2., *quamvis gratiam* ( inquit ), *quae opera meritoria facit, non possit homo ex libero arbitrio acquirere, potest tamen ad gratiam habendam se praeparare, quae ei a Deo non denegabitur, si fecerit quod*

*in se est.* Et qu. 14. art. 11. ad 1., docet, *ad Divinam Providentiam pertinere, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis in sylvis, vel inter bruta animalia nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Quibus similia habet quoque *in 3. dist. 25. qu. 2. art. 1.* Utique ergo solis naturae viribus potest se homo ad gratiam disponere.

Resp. neg. cons.; cujusvis enim Scriptoris loca per ea, quae clariora sunt, exponenda esse, omnes norunt. Hinc ne cum tanti, ac vere Angelici Doctoris injuria, eum sibi contradixisse, adstruamus, dicendum est, quod in locis objectis de homine loquitur faciente, quod in se est per gratiam praevenientem, cui Deus in(uitu ejus cooperationis ad gratiam, qua illum praevenire dignatus fuerit, ulteriorem, atque uberiorem gratiam largitur. Quodque hoc sensu loquatur, ex eo etiam evincitur, quod nullibi S. Doctor inquit, hominem sine Dei auxilio facere, quod in se est, vel solis naturae viribus ad gratiam se praeparare, quin potius expresse id negat tum locis supra allatis, tum *qu. 24. de verit, art. ult.*

Alias demum objectiones ex Sacris praesertim Litteris contra secundam, et postremam propositionis partem produximus, et diluimus *l. 2. tract. 12. cap. 5. pag. 293., et sequ.*; nec non *hoc l. et tract. cap. 1. pag. 175., et sequ.*; ubi idcirco et objecta, et responsa, ne actum agamus, consulantur.

Prop. II. Et absque fide, et absque gratia potest homo solis naturae viribus aliquid operari, quod peccatum non sit; immo et aliquid omni ex parte bonum moraliter, idest ordinis naturalis. Prima pars est de fide; altera verisimilior, et longe communior.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis; Gen. enim 12., tamquam benefactum, refertur, quod cum audisset Pharao, Saram esse uxorem Abraham, illam ei reddidit intactam. Et c. 26. refertur quoque, tamquam benefactum, quod Abimelech populo sub poena capitis praeceperit, ne quis Rebeccam Isaaci conjugem impudice tangeret. Habetur item, c. 29. Ezechielis, quod Nabucodonosor pro-

pter bellum gestum adversus Tyrios, quemadmodum Deus imperaverat, terram Aegypti, et manubias ejus pro mercede accepit. Nequit autem Deus actum, qui peccati rationem habeat, vel, tamquam benefactum, referre, vel illi mercedem rependere; ut enim ad illum inquit Habacuc c. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris*: Utique ergo in infidelitate, qua et Pharao, et Abimelech, et Nabucodonosor detinebantur, sicut etiam absque gratia, cujus ope ita se gessisse nonnisi divinando diceretur, potest homo solis naturae viribus aliquid operari, quod peccatum non sit:

Prob. 2.° ex Conciliis, et Summis Pontificibus; in Conc. enim Constantiensi sess. 15. confixum fuit Wiclefi assertum, quod *omnia peccatoris opera sunt peccata*. Tridentinum quoque sess. 6. can. 7., *si quis* (inquit) *dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata*..., *anathema sit*. Deinde vero non semel laudati Pontifices Pius V., Greg. XIII., et Urbanus VIII. allatam Baji prop. *Omnia infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia* diris tradidere. Reponunt Jansenianl, longe se abesse a Novatorum erroribus, quos Constantiense, et Tridentinum anathemate inusserunt: Wicletus namque omnia peccatorum opera ajebat peccata ex ipsa habitualis, seu sanctificantis gratiae absentia; Lutherani vero, et Calvinistae ex concupiscentiae vitio, quod ipsis justorum operibus semper adhaerescit, eaque coinquinat: quorum nihil ipsi inquiunt, ajendo, quod omnia infidelium opera sunt peccata ex defectu fidei. Ut vero a Baji prop. *Omnia Infidelium opera sunt peccata* videantur recedere, inquiunt, eam proscriptam fuisse, et quia ipsas actiones indeliberatas peccati insimulabat: et quia oppositum perstringebat, tamquam Pelagianismum; et quia id repetebat ex statu peccati, quod anathemate confixum fuerat a Trid.; et quia supponebat sine gratia habituali, et inhaerente nullum bonum fieri posse, quod pariter, tamquam fidei adversum, supra rejecimus; et demum, quia aliud est, omnia infidelium opera esse peccata, aliud infidelem in omni opere peccare. Istud autem se tenere, inquiunt, omnibusque sepositis, ob quae proscripta fuit praefata Baji propositio.

Resp. tamen ad 1.m, quod cum Constantiense, et Tridentinum absolute proscripserint, omnia peccatoris opera,

ac ea omnia, quae ante justificationem fiunt, esse peccata, nonne unum, idemque, sive dicatur, peccata esse ex gratiae habitualis absentia, sive ex concupiscentiae vitio, sive ex fidei defectu? Ad 2.m, vana omnia esse, quae obtendunt, ut a Baji prop. videantur recedere: 1.m nempe; quia quod Bajus asserit de actionibus indeliberatis, seorsim proscriptum reperitur in prop. 50., et 51., quae nihil commune habent cum ea, de qua hic loquimur. 2.m, cum nullam propositio proscripta Pelagianismi mentionem faciat, sed nuda, et simplex omnino sit. 3.m, tum quia gratis assertum, tum quia propositio, qua Bajus adstruit, omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum esse, peculiariter proscripta in eo fuit, et seorsim ab ea, de qua hic agitur. 4.m, cum nullam Bajus gratiam habitualem, seu inhaerentem agnoverit, ut diximus *tract.* 2. *cap.* 5., sed justitiam reposuerit in obedientia mandatorum. 5.m demum, quia *infidelem in omni opere peccare* proscriptum quoque fuit ab Alex. VIII., utpote formaliter idem cum prop. in Bajo damnata; vel enim ordinatio operis ad Deum ex fide supernaturali, quae sit initium, et fundamentum dilectionis Dei propter se, ut Janseniani inquiunt, debetur operi, vel non. Si primum, ipsum profecto opus ex defectu ejusmodi ordinationis dicendum est peccatum. Si alterum, nec etiam infidelis ob ejusmodi defectum poterit de peccato argui, non enim operans ad aliud tenetur in operando, quam quod opus omnibus suis circumstantiis ad honestatem necessariis informet. Hinc Clemens XI. proscripsit quoque propositiones Quesnelli 42., et 48., quae ajebant: *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hac nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.* Et: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, nisi peccatum, sine lumine fidei, sine Christo, sine charitate!*

Prob. 3.° ex Patribus, pro quibus sufficiat ex Graecis D. Chrysost. hom. 67. ad popul. *Nemo est adeo malus, qui non habeat aliquid boni, cujus ratione mereatur aliquod bonum temporale.* Nec non D. Basilius hom. in 1. Prov. *Sunt et apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsa animae, non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest. Quidquid autem peccati rationem habeat, nec virtutis actus appellari, nec ad ullum virtutis genus referri potest.* Ex Latinis vero ita D. Hieron. in c. 1. ep. ad Gal.:

*Multi absque fide, et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant; magisque Dei judicio obnoxii fiunt, quod habentes in se principia virtutum, et Dei semina, non credant in eo, sine quo esse non possunt.* Maxime vero D. Aug., cujus caeterum patrocinio Adversarii gloriantur. Et 1.° ita S. Doctor l. de Spir. et litt. c. 27. *Etiam impiorum, neque Deum verum veraciter, pieque colentium quaedam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur.* Et c. 28. de hoc rationem reddens, *quia* ( inquit ) *non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere.* Quod si in infidelitate nihil homo operari posset, quod peccati rationem non haberet, non quidem *vix*, sed numquam in eorum operibus invenirentur, quae, habita finis ratione, mererentur debitam justitiae laudem.

Idem quoque docet l. 4. cont. Julian. c. 3., inquiens, rectam esse virtutis definitionem traditam ab Ethnicis Philosophis: *Virtus est animi habitus naturae modo, atque rationi consentaneus.* Advertens solum, quod cum fidei lumine destituerentur, ideoque essent originalis infectionis, et supernaturalium bonorum ignari, *verum dixerunt, sed, quid sit consentaneum liberandae, ac beatificandae naturae mortalium, nescierunt.* Quod autem naturae viribus aliquid fieri possit naturae modo, atque rationi apprime consentaneum, ut honorare parentes, stipem pauperi tribuere, aliudque id genus facile, notius est, quam ut probatione egeat: Et evidens igitur, quod naturae viribus, ideoque etiam in infidelitate, aliquid fieri potest, quod apprime virtutis rationem, ideoque nullatenus peccati rationem habeat.

Idemque demum *serm.* 349. *de tempore*, ubi duplicem charitatem distinguit, Divinam, et humanam, atque hanc aliquando et licitam, et necessariam adstruit: *Non solum* ( inquiens ) *ita licita est, ut concedatur, sed ita*

*licita, ut, si defuerit, reprehendatur.* Quod si licita, ac non Divina, sed humana, itemque ejusmodi, eodem teste, ut *esse possit et impiorum, idest Paganorum, Iudaeorum, et Haereticorum,* quidnam clarius, quam quod absque fide potest homo aliquod operari, quod non sit peccatum?

Prob. 4.° auctoritate D. Th., qui de hoc disserens 2. 2. qu. 10. art. 4., *peccatum* (inquit) *infidelitatis naturam totaliter non corrumpit, alioquin peccator desineret esse homo. Unde non oportet, quod in omni opere suo peccent infideles; sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad finem fidei, ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere, in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.*

Prob. 5.° rationibus infra opportunius producendis.

Prob. 2.ª pars. Et 1.° etiam momentis supra depromptis ex Scripturis; nedum namque actus peccati rationem habens, verum etiam actus, qui non sit omni ex parte bonus, nequit profecto in Scripturis, tamquam benefactum, referri, ob quod Deus mercedem quoque temporalem homini tribuerit. Leguntur autem in Scripturis Infidelium opera, quorum supra meminimus, quae et, tamquam benefacta, narrantur, et mercedem, dicitur, a Deo obtinuisse; ideoque opera omni ex parte bona absque fide, et absque gratia elicita, fidem namque eos non habuisse, evidens est; ex gratia vero ita se gessisse, nonnisi divinando diceretur: Potest ergo homo absque fide, et absque gratia aliquod agere, quod non modo non sit peccatum, verum etiam omni ex parte sit bonum.

Prob. 2.° ex Constitutionibus Summorum Pontificum Pii V., Greg. XIII., et Urbani VIII., quibus proscripta fuit 27: Baji prop., quae ajebat: *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Cum enim ex ostensis *in tract. de Actib. hum. cap. 2.* non dentur actus indifferentes in individuo, quidnam clarius, quam quod si liberum arbitrium absque Dei gratiae adjutorio valet ad aliquid, quod non sit peccatum, hoc ipso valet ad aliquid, quod sit omni ex parte bonum moraliter, idest ordinis naturalis, quia nempe secus darentur actus indifferentes in individuo, idest nec boni, nec mali? Hinc quoque in eo proscripta fuit prop. 37., quae ajebat: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum du-*

*cit*, *agnoscit*. Nec non prop. 62. haec habens : *Distinctio*, *qua opus dicitur bifariam bonum*, *vel quia ex objecto*, *et omnibus circumstantiis rectum est*, *et bonum* (*quod moraliter bonum appellare consueverunt*), *vel quia est meritorium Regni aeterni*, *eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis*, *rejicienda est*; ex quarum falsitate thesis a nobis proposita magis, magisque confirmatur. Nequeunt enim duo contradictoria esse, ut omnes norunt, vel simul vera, vel simul falsa. Falsum autem, quod cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis solis naturae viribus peractum agnoscit; itemque falsum, quod distinctio in opus bonum moraliter, quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum, ac bonum, et in opus bonum meritorium Regni aeterni, rejicienda est : Nihil ergo cum Pelagii erroribus commune, quod solis naturae viribus fieri ab homine potest aliquid boni naturalis, nec praefata distinctio in opus bifariam bonum rejicienda, sed admittenda est. Accedit quoque Constitutio *Unigenitus*, qua Clemens XI. proscripsit Quesnelli propositiones, quas inter 38., 39., et 40. pronunciant, quod *peccator non est liber*, *nisi ad malum*, *sine gratia Liberatoris* : quod *voluntas*, *quam gratia non praevenit*, *nihil habet luminis*, *nisi ad aberrandum*; *ardoris*, *nisi ad se praecipitandum*; *virium*, *nisi ad se vulnerandum*; *est capax omnis mali*, *et incapax ad omne bonum* : quod demum *sine gratia nihil amare possumus*, *nisi ad nostram condemnationem*. Quae cum merito, optimoque jure proscriptae fuerint, dicendum idcirco, quod homo, etsi peccator, liber quoque est sine gratia ad aliquod bonum, et quidem ordinis naturalis utique, at undequaque bonum, omnes enim norunt, quod *bonum ex integra causa*; et quin ulla gratia praeveniatur, capax quoque est alicujus boni ordinis naturalis, nec proinde verum, quod sine gratia nihil amare potest, nisi ad suam condemnationem.

Prob. 3.° ex allatis Patrum testimoniis, quae utrumque probant; quibusque accedant, quae laud. D. Aug. habet de Romanorum virtutibus ep. 5. ad Marcellinum : *Rempublicam primi Romani constituerunt*, *auxeruntque virtutibus*; *etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum*; *quae illos etiam in aeternam Civitatem posset salubri Religione perducere*, *custodientes tamen quamdam sui generis probitatem*, *quae posset terrenae civitati con-*

*stituendae, augendae, conservanddeque sufficere. Deus enim sic ostendit in praeclarissimo, et opulentissimo Imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera Religione virtutes, ut intelligeretur, hac addita, fieri homines alterius civitatis, cujus Rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus aeternitas.* Nonne autem, quemadmodum virtutes, quibus merces aeterna penditur, virtutes sunt ordinis supernaturalis, ita virtutes, quibus Deus mercedem pendit in vita praesenti, virtutes dicendae sunt, quibus ejusmodi merces congruebat, eo quod nullatenus ab ordine naturali deflecterent?

Prob. 4.° auctoritate D. Th., qui 1. 2. qu. 109. art. 2. expresse docet, non posse quidem hominem lapsum agere *totum bonum sibi connaturale, ita ut in nullo deficiat*, at posse *etiam in statu naturae corruptae aliquod bonum particulare agere.*

Demum multiplici ratione; 1.° enim ex ostensis *cap.* 2. *prop.* 1. *pag.* 188., potest homo et physice, et moraliter, sin omnia, aliqua tamen legis naturalis praecepta solis naturae viribus, modo gravis tentatio non obstet, implere; ad quod referendum esse illud Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae sunt legis* ( idest *aliqua legis*, ut explicat D. Aug. l. sup. cit. ), *faciunt*, ibidem ostendimus. Porro per legis opera intelligenda sunt profecto opera omni ex parte bona; cum enim quis in opere ex objecto bono finem malum sibi proponit, vel actus ex aliqua circumstantia vitiatur, nedum non facit opus legis, sed eo ipso est legis praevaricator: Utique ergo homo absque fide, et absque gratia potest et physice, et moraliter solis naturae viribus aliquid omni ex parte bonum moraliter, idest naturalis ordinis, operari.

2.° quia fides, et gratia necessaria quidem utraque est, ut opus bonum tendat ad finem supernaturalem, sitque bonum bonitate supernaturali, at non item, ut tendat ad finem rectae rationi conformem, sitque bonum honestate tantum naturali; undenam enim omnimoda haec necessitas, eaque in omnibus naturalis ordinis repeti potest, quin omnino detrita in homine dicatur per peccatum Dei imago? Quod cum ita sit, poterit homo absque fide, et gratia aliquid agere, quod non sit peccatum, immo et aliquid, quod sit omni ex parte bonum moraliter, idest

naturalis ordinis : Rursus ergo id hominem posse absque fide, et gratia, est dicendum.

3.° quia agitne semper homo ex habitu praedominante? Nequaquam plane; et avarus namque aliquando est liberalis, et impudicus temperans, etc. . Quod cum ita sit, profecto sicut fidelis non operatur semper ex fide, nec justus ex imperio charitatis, ita nec infidelis operabitur semper ex infidelitate, nec peccator ex tyrannide cupiditatis; sed aliquando tam infidelis, quam peccator ex instinctu luminis naturalis, et ex amore honestatis; quo casu uterque operabitur, quin de peccato argui possit, immo quod omni ex parte est bonum in ordine naturali : Magis ergo, magisque patet propositum.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Ap. ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; quae Apostoli verba de ipsa fide theologica D. Aug. interpretatur tract. 86. in Jo., in ep. ad Sixtum 194., in ep. ad Vital. 217., L. de gestis Pelagii c. 14., ac demum l. 4. cont. Julian. c. 3. . Opera autem Infidelium non sunt ex fide : Peccata igitur.

Resp. neg. cons.; non enim loquitur Apostolus in objectis verbis de fide theologica, sed de conscientia, quae cum sit proxima humanorum actuum regula, quidquid proinde contra eam fit, tametsi vincibiliter, etiamque invincibiliter erroneam, peccatum est; unde etiam passim dicitur, bona fide agere eum, qui juxta conscientiam, mala fide eum, qui contra conscientiam operatur. Id autem patet ex contextu; loquitur enim eo loci Apostolus de iis, qui cibos quosdam prae aliis vetitos esse existimantes etiamnum in lege nova, prout in veteri, illis tamen vescebantur. Hinc inquit: *Qui discernit* ( inter cibos scilicet, existimans aliquos etiamnum secundum legem Moysi immundos esse ), *si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide* ( idest, quia non agit juxta conscientiae dictamen ). *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Quonam autem sensu interpretetur D. Augustinus objecta verba de fide theologica, infra opportunius explicabitur.

Inst., quod profecto de fide theologica Apostolus lo-

quitur ad Heb. c. 7., quum ait: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Cum autem dari nequeant actus indifferentes in individuo ex ostensis *l. sup. cit.*, hoc ipso idcirco, quod sine fide impossibile est placere Deo, dicendum est, hominem sine fide in omnibus suis actibus Deo displicere, idest peccare: Ita igitur.

Resp. dist. maj.; quod nempe sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad vitam aeternam, ut patet ex iis, quae Apostolus ibidem subdit, inquiens, quod per ejusmodi fidem *Sancti vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*; at non item quantum ad honestatem moralem, per quam utique neque etiam homo infidelis placere Deo potest, ita ut illi acceptus sit, atque ut amicus placet amico, bene tamen opus ab eo factum placere illi potest, ob suam moralem bonitatem, ac hujus intuitu mercedem temporalem ab ipso consequi.

Inst., quod mundum non est, nullatenus placere Deo posse. Absolute autem inquit Apostolus in ep. ad Tit. c. 1., quod *coinquinatis, et infidelibus nihil est mundum*: Neque igitur quidquid ab Infidelibus fit ullatenus Deo placere potest; ex quo rursus sequitur, hominem sine fide in omnibus suis actibus Deo displicere, idest peccare.

Resp. neg. cons.; ut enim diximus *propt ant. resp. ad* 1, *pag.* 219., non de operibus, sed de rebus loquitur eo loci Apostolus, ac plane alius est verborum ejus sensus ab eo, qui illi ab Adversariis tribuitur.

Objic. 2° ex D. Aug., quod non semel S. Doctor negat, veras in infidelibus reperiri virtutes, vel opera fieri posse absque fide, et gratia, omni ex parte bona, et quae peccata non sint. Ita nempe quoad 1.m l. 4. cont. Julian. c. 3. *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide. Quis porro eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit Diabolo mancipatum?* Quibus similia habet quoque aliis in locis. Quoad alterum vero innumera fere sunt, quae congeri possent, ex quibus ita l. de gestis Pelagii c. 14. *Quantumlibet opera infidelium praedicentur, Apostoli sententiam veram novimus, et invictam: Omne, quod non est ex fide, peccatum est .... cum ipsa sit initium, unde bona opera incipiunt.* Et in Ps. 31. *Bonum opus intentio facit, intentionem fi-*

*des dirigit.* Et l. 1. ad Bonifac. c. 3. *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per J. C. Dominum nostrum. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. Ac per hoc bona voluntas, quae se abstrahit a peccato, fidelis est, quia justus ex fide vivit.* Demum l. de gr., et lib. arb. c. 18. *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene.* Nequit autem absque fide, et gratia charitas adesse: Neque igitur absque fide, et gratia ullum prorsus bonum juxta Augustinum fieri ab homine posse, est dicendum.

Resp. neg. cons.; negat enim S. Doctor, veras in Infidelibus reperiri virtutes triplici ex capite, utque se Pelagianis, ac praesertim Juliano opponeret. Et 1.º negat, veras in iis dicendas esse virtutes, quae ex perverso fine exercebantur, quodque unus erat ex Juliani erroribus, ut patet ex verbis, quae contra ipsum habet l. sup. cit. *Ergo virtutes istae tali fine turpes, atque deformes, et ideo nullo modo germanae, veraeque virtutes, tibi tamen ita verae videntur, et pulchrae, ut nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium.* Quo cum nihil absurdius, *noveris itaque* ( pergit S. Doctor ), *non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes*, nisi veras virtutes dicere velimus in avaris, *cum lucrorum vias prudenter excogitant, cum pro acquirenda pecunia saeva, atque aspera multa fortiter tolerant, cum varias cupiditates, quibus sumptuose vivitur, temperanter, sobrieque castigant, cum abstinent ab alieno, et de suo saepe amisso curam negligunt, quod videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis, et judiciis plura consumant.* 2.º negat, veras in illis reperiri virtutes, idest perfectas, supernaturales, ad veram beatitudinem ducentes; ut patet ex iis, quae ibidem habet: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam vera fides nobis promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo possunt esse verae virtutes.* 3.º negat veras in illis reperiri virtutes, quibus scilicet simpliciter, et absolute boni, ac justi constituantur; ut patet tum ex objectis supra verbis, *absit etc.*, tum ex iis, quae ibidem subdit: *Per quod enim vera justitia, per hoc etiam Regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus Regnum verus non admittitur justus.*

Eodem quoque sensu loquitur, cum negat, absque

fide, et gratia fieri posse opus omni ex parte bonum, quod nempe ad salutem prosit, quodque bonitate supernaturali sit bonum; ut enim loquitur l. de gr. Chr. c. 26. *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Nonne autem inutilis, et nugatoria limitatio illa apposita *quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam*, si nihil prorsus boni ipsius ordinis naturalis fieri ab homine posset absque gratia?

Objectis vero verbis ex l. de gestis Pelagii resp., quod opera infidelium appellat peccata, non absolute, et omnino, expresse enim docet l. inter probationes cit., quod in iis *vix* (si autem *vix*, nonne aliquando?) *inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve merentur*, sed quia ut plurimum ex mala intentione, et perverso fine ab iis fiunt; l. enim cit. cont. Jul. quaerenti huic: *Si Gentilis nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est?* Affirmative quidem respondet S. Doctor; cum tamen de hoc rationem reddat, inquiens: *Quia ea non fideli, sed infideli, idest stulta, et noxia faciunt voluntate*; quis non videt, quod non omnia Infidelium opera reprehendit ob fidei defectum, sed ea tantum, quae ex perverso fine ab iis fiunt? Ait quoque in Ps. 31. *Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit*, quia, ut explicat. D. Th. 2. 2. qu. 10. art. 4. ad 2., *fides dirigit intentionem respectu ultimi finis supernaturalis. Sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.* Quo demum sensu etiam loqui tum cit. l. ad Bonifac., tum cit. l. de gr., et lib. arb., ex tota ejus sermonis serie luculenter patet; utrobique enim ex professo ostendit adversus Pelagianos, nihil boni supernaturalis, ac verae pietatis fieri ab homine posse absque gratia. Quod sine charitate neque etiam inquit, bene fieri; quia ut opus supernaturale sit vitae aeternae meritorium, necesse item est, ut fiat ab homine, qui per charitatem habitualem sit vivum Jesu Christi membrum.

Quibus perpensis, nihil quidem aliud respondendum superesset. Frustra tamen non addimus, rectissime etiam Augustinum dicere, quod verae in infidelibus non reperiuntur virtutes, non quia nullus omnino virtutis actus ab Infidelibus elici possit, nec absque fide, et gratia nullum

omnino opus omni ex parte bonum moraliter, quodque peccatum non sit, sed quia cum parum pro nihilo reputetur, vix inter infideles inveniuntur, ut idem ait l. sup. cit., quae virtutis laudem merentur, quaeque ex pravo saltem fine, quo vitiantur, peccati rationem non habeant. Quo posito, accedit quoad virtutes, quod cum virtus, prout ab ipso Aug. cum Ethnicis Philosophis definitur l. sup. cit. cont. Julian., sit *animi habitus naturae modo, atque rationi consentaneus*, nec habitus, nisi multiplici actuum exercitio comparentur, qui deinde stabiles, ac fixi perstant in eo, qui illos comparaverit; hoc ipso plane, quod vix, ut modo cum eodem diximus, elici ab homine possunt absque fide, et gratia virtutum actus, hoc ipso, inquam, absque fide, et gratia neque etiam verae in homine virtutes reperiri possunt, sed ex actibus saepe malis, seu vitiosis, habitus quoque moraliter mali, seu vitia possunt in eo reperiri.

Objic. 3.° quod idem S. Doctor l. 3. ad Bonifac. c. 8. *liberum arbitrium* vocat *captivatum nonnisi ad peccandum*. Quibus similia habet quoque l. de Spir., et litt. c. 3. *Neque liberum arbitrium* ( inquiens ) *quidquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via*. Et l. 1. Retract. c. 15. *Voluntatem* ( inquiens ) *in tantum liberam esse, in quantum liberata est . . . alioquin totam esse vitiosam cupiditatem, peccatoque servientem*. Unde Conc. Arausicanum II. can. 22., *nemo* ( ait ) *habet de suo, nisi mendacium, et peccatum*. Quid clarius, quam quod absque gratia nihil omnino boni, sed solum malum, idest peccatum, homo potest? Ita igitur.

Resp. dist. min.; quod nempe absque gratia nihil omnino boni homo potest in ordine supernaturali, non vero in ordine naturali. Primo autem sensu tam Augustinum, quam Concilium Arausicanum locutum esse, colligitur ex eorum scopo, ut se nempe Pelagianis opponerent, qui cum dicerent, hominem per liberum arbitrium absque gratia posse verae pietatis opera exercere, nihil ejusmodi ajebat contra eos Augustinus, ac deinde declaravit Conc. Arausicanum hominem posse absque gratia: sine qua cum tantum possit aliquid moraliter bonum ordinis naturalis, quod nihil prorsus ad salutem confert, absque ea Idcirco in ordine ad salutem nonnisi ad peccandum valet, nec nisi mendacium, et peccatum habet. Brevius: Hoc unum tam Augustinus, quam Conc. Arausicanum objectis ver-

bis intendit, quod liberum hominis arbitrium ad malum quidem sibi sufficit: ad bonum vero supernaturale, quodque semen sit vitae aeternae, nullatenus sibi sufficit, sed eget speciali Dei auxilio; de hoc enim quaestio erat cum Pelagianis, non de thesi, de qua agimus.

Inst., quod absque gratia inest nobis, ut docet idem Aug. l. de nat., et gr. c. 66., *ex conditione naturae quaedam peccandi necessitas.* Hinc subdit: *Ut eadem necessitas non sit, discat homo Deo dicere: De necessitatibus meis educ me.* Absque Dei gratia igitur nihil prorsus boni, quamvis tantum moraliter, idest ordinis naturalis, sed nonnisi malum operari possumus.

Resp. dist. ant.; hoc sensu nempe, quod in praesenti statu nemo potest ex ostensis *cap.* 2. *prop.* 1. *pag.* 183., *et sequ.* totam legem absque gratia, licet tantum quoad substantiam, implere, etiamque cum ordinariis gratiae auxiliis nemo potest ex ostensis *cap.* 4. *pag.* 202., *et sequ.* totam vitam absque ullo prorsus peccato traducere; non vero hoc sensu, quod absque gratia nihil prorsus boni, quamvis tantum moraliter, idest ordinis naturalis, homo possit.

Inst. ex eodem Aug. l. sup. cit. cont. Julian., quod *sine amore Creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis.* Hoc ipso igitur, quod absque gratia nullus esse potest Creatoris amor, neque etiam absque gratia ullus esse potest bonus rerum creatarum usus, nec proinde aliquid boni, quamvis tantum moraliter, idest ordinis naturalis.

Resp. dist. ant.; quod nempe sine amore Creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis in ordine ad vitam aeternam, ut idem S. Doctor subdit, quo sensu Augustinum loqui, patet ex verbis subsequentibus, quod *hoc amore opus est, ut bonum beatificum sit*; non vero in ordine ad honestatem aliquam moralem, idest ordinis naturalis, de qua hic loquimur.

Objic. 4.ª Licet cujusvis virtutis actus ob ipsam ejus honestatem exerceatur, non tamen virtuosus, sed vitiosus ab Augustino judicatur l. 19. De Civ. Dei c. 25., ubi: *Licet* (inquit) *a quibusdam tunc verae, et honestae putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, etiam tunc inflatae, et superbae sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.* Ejusmodi autem ad summum est cujusvis virtutis actus, qui ab homine absque

fide, et gratia fieri posse concipiatur: Non ergo virtuosus, sed vitiosus judicandus, ideoque peccatum.

Resp. neg. cons.; improbat enim D. Aug. l. cit. virtutes Stoicorum, qui pro fine ultimo ipsam sibi virtutem constituentes, rationem, atque excellentiam ultimi finis Deo detrahebant. Non ita autem se habet virtutis actus, qui ab homine exercantur, quia juxta rationis dictamen, non excludendo relationem ad ulteriorem finem; tunc enim actus intrinsece includit quamdam naturalem habitudinem ad Deum, tamquam ad Auctorem, et principium omnis boni; quemadmodum ipse S. Doctor observat *l. 83. quaestionum quaest.* 30.

Objic. 5.° ex D. Prospero, quod ideo homo dicitur posse aliquid moraliter dumtaxat bonum absque fide, et gratia, quia supponitur remansisse in eo post peccatum aliqua virtutum semina: Id autem pronunciat D. Prosper contra Cassianum, tamquam fidei adversum (*l. cont. Collat. c.* 3.): Et fidei ergo adversum, quod absque fide, et gratia possit aliquid moraliter bonum.

Resp. dist. min.; quod nempe est fidei adversum, ubi per illa virtutum semina intelligantur semina verae pietatis, quibus homo praeparetur ad gratiam; non vero, ubi per ea intelligantur lumen illud intellectus, ac illa voluntatis inclinatio, quibus possumus bonum aliquod naturalis ordinis cognoscere, et operari. Quod autem primo tantum sensu reprehenderit in Cassiano D. Prosper virtutum semina, quae in nobis post peccatum remansisse, ajebat, ex ejus verbis patet l. cit. *Qui ergo dicit, sine ullo opere gratiae naturaliter omni animae, semina inesse virtutum; quid laborat ostendere, nisi de istis seminibus quaedam germina praecedentium Dei gratiam pullulare meritorum?*

Objic. 6.° ex D. Th., qui 1. 2. qu. 1. art. 6. ad 3., *Virtus* (inquit) *primae intentionis respectu ultimi finis remanet in quolibet agente, etiamsi de ultimo fine non cogitet.* Prima autem intentio, et ultimus finis infidelis est creatura, et idolum; quae profecto omnes ejus actus afficiens, inficit, vitiososque eos reddit, ac totidem peccata: Saltem ergo absque fide aliud homo nequit, nisi peccare, omniaque idcirco Infidelium opera totidem peccata.

Resp. dist. maj.; quod nempe virtus etc., si actus sit ad illam primam intentionem referibilis; non tamen

secus. Sicut enim fidelis, qui omnes suos actus ad Deum retulerit, si tamen inter agendum aliquid agat, quod referri nequeat ad Deum, virtus primae ipsius intentionis non efficit, ut ejusmodi actus ad Deum referatur: ita infidelis, qui omnes suos actus ad creaturam, et idolum retulerit, si postmodum inter agendum aliquid agat, quod ex objecto sit bonum, nec ab aliqua circumstantia actui adjecta vitietur, aeque etiam virtus primae ipsius intentionis non efficit, ut ejusmodi actus ad creaturam, et idolum, de quibus non cogitat, referatur; sed potius ob naturalem ejus habitudinem ad Auctorem, et principium omnis boni, proprio quasi motu, ac pondere in Deum recidet. Ita ipse D. Th. *l. cit.*

Objic. 7.° Actus prorsus inutilis, et a scopo deflectens, profecto nec moraliter bonus dici potest; quis enim dixerit, bene agere eum, qui frustra, atque inutiliter operatur, atque a via deflectit, per quam ipsi esset incedendum? Ejusmodi autem est actus absque fide, et gratia elicitus, inutilis nempe ad finem, ob quem creati sumus, nec non a via, quae ad Deum ducit, deflectens: Nec ergo moraliter bonus, ideoque peccatum.

Resp. neg. min.; cum enim Deus, sicut nihil mali absque poena, ita nihil boni absque aliqua mercede dimittat, opus idcirco moraliter dumtaxat bonum, licet sterile, atque inutile respectu ad vitam aeternam, non est tamen sterile, atque inutile respectu ad mercedem aliquam temporalem. Ac neque etiam dici ad rigorem potest a scopo deflectens, nonne enim evidens petitio principii, quod a Deo abducat, quia ad Deum non ducit? Cumque per illud, ut scite advertit Ludovicus Habert *tract. de gr. Chr. cap.* 5. §. 2., homo et satisfaciat praecepto legis naturalis, et peccatum, ac poenam illi debitam vitet, et promereri a Deo possit praemium aliquod temporale, et demum minus indignum se praebeat Misericordiae a Deo consequendae; satis totum id videtur, cur nec prorsus inutile, nec ad rigorem a Deo deflectens dicatur, sed potius nec ad eum flectens, nec ab eo deflectens; ac simul bonum in ordine naturali, idest moraliter bonum.

Objic. 8.°, quod ex praecepto charitatis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideoque sub peccato, tenemur omnes actiones in Deum referre; juxta id, quod ait Ap. 1. ad Cor. c. 10. *Sive manducatis*,

*sive bibitis , sive aliud quid facitis , omnia in Dei gloriam facite.* Et ad Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo , aut in opere , omnia in nomine Iesu Christi facite gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.* Absque fide autem , et gratia nequit homo suas actiones in Deum , et quidem ex charitate , referre : Absque fide igitur , et gratia numquam etiam fiet , quod non peccet.

Resp. 1.° neg. maj. ; non enim inter Doctores convenit , num ex praecepto teneamur omnes nostras actiones in Deum referre ; negantem namque sententiam sequuntur Bellarm. *l.* 5. *de gr.* , *et lib. arb. c.* 10. *ad* 11. *arg.* , Cornelius a Lapide , aliique ; et praeiverat Chrysostomus, qui , ut ait Estius in l. 2. Sent. dist. 4. §. 4. , *sententiam Apostoli ad Cor. ep.* 1. *cap.* 10. , *non praeceptum, sed universalem admonitionem interpretatur , qua unum hunc optimum finem nobis proposuerit, ut Deum in omnibus glorificemus.* Oppositum tamen docet D. Th. 1. 2. qu. 100. art. 10. ad 2., *sub praecepto charitatis* ( inquiens ) *continetur, ut diligatur Deus ex toto corde ; ad quod pertinet , ut omnia referantur in Deum.* Et 2. 2. qu. 69. art. 1. *Ex praecepto tenemur omnia in gloriam Dei referre, ut patet* 1. *ad Cor.* 10. Advertendum tamen est, quod ejusmodi praeceptum et affirmativum est, et aliquid simul negativum complectitur. Porro , quatenus affirmativum , *dicendum* ( ut docet laud. D. Th. 1. 2. qu. 88. art. 1. ad 2.), *quod non obligat ad semper; et sic non facit contra hoc praeceptum quicumque actu non refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo , quod aliquis habitualiter referat se , et omnia sua in Deum ad hoc , quod non semper mortaliter peccet , cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter.* Et sane , cum obliget tantum tempore , quo obligat praeceptum dilectionis Dei , quod licet saepe obliget in vitae decursu , non tamen obligat semper , et pro quolibet tempore , neque etiam semper , et pro quolibet tempore est dicendum , quod obliget praeceptum omnes nostras actiones in Deum referendi , satisque erit , quod actio fiat ex fine honesto , et rationabili , sive ut laud. D. Th. docet 2. 2. qu. 19. art. 6. in corp. , quod actio *sit ex natura sua referibilis ad charitatem.* Neque hic omittendum , quod si omnia in Deum referenda essent actu , et ex motivo charitatis , 1.° , ut diximus *prop.* 1. *resp. ad* 1. *pag.* 220., nihil esset licitum, et meritorium, nisi fieret ex charitatis motivo ; quod et falsum , et erroneum declara-

vit Trid. *sess.* 6. *can.* 31.: 2.º nullus amplius caeteris virtutibus relinqueretur locus, ita ut una charitas vera esset virtus, quae sola laudem, et pretium haberet; cum ex opposito in Scripturis nedum charitas, sed et reliquae virtutes nobis commendetur, et praecipiantur: 3.º demum non distinxisset Augustinus charitatem *serm.* 349. *de temp.* in Divinam, et humanam; atque hanc in licitam, qua quis diligit uxorem, filios, amicos, etc., et illicitam, qua quis diligat meretricem, vel uxorem alienam. Quod si charitas, qua quis diligit uxorem, filios, amicos, etc., et licita est, et a charitate Divina distinguitur, nemo non videt, quod potest homo et uxorem, et filios, et amicos licite diligere, tametsi eos non diligat ex motivo charitatis, ideoque etiam, tametsi dilectionem erga illos suam in Deum non referat.

Quatenus vero praeceptum dilectionis Dei aliquid negativum complectitur, ut nihil scilicet umquam faciamus, quod sit Dei dilectioni, ejusque gloriae contrarium, profecto obligat semper, et pro quolibet tempore: ad id tamen sufficit, quod actio sit rectae rationi conformis, et fiat ex fine honesto honestate naturali; quo posito, actio, ut supra diximus cum Soto, Bellarmino, Suaresio, etc., ex se, seu seipsa in Deum, tamquam in ultimum finem, refertur per relationem ... intrinsecam, utque scribit Gonetus, *in ipsa entit... actus imbibitam.* Nec obstat, quod Clerus Gallicanus an. 1700. perstrinxit, tamquam haereticam, propositionem, quae ajebat: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae.* Merito enim tali censura eam inussit, non ob primam partem, sed ob alteram, quia nempe ajebat, sufficere, quod actus moralis sic tendat in finem ultimum interpretative, ut homo non teneatur Deum amare neque in principio, neque in decursu vitae.

## CAPUT VI.

### *De necessitate gratiae ad perseverandum.*

Loquendum hic superest de necessitate gratiae ad perseverandum finaliter perseverantia tum activa, per quam intelligitur, ut diximus *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *prop.* 3. *pag.* 283., continuatio in statu gratiae sanctificantis usque

in finem; tum passiva, per quam intelligitur transitus ab hac ad sempiternam vitam in statu gratiae sanctificantis. Cum tamen de utraque disserere oportuerit *l. cit.*, illic proinde consulantur momenta, quibus patuit.

Prop. Ut justus perseveret usque in finem perseverantia, quae activa dicitur, licet haec etiam perseverantia sit Dei donum, solis tamen ordinariis gratiae auxiliis ad id eget. At non item, ut perseveret usque in finem perseverantia, quae dicitur passiva, ad quod praeterea speciali eget Dei dono, quod tantum de congruo, numquam tamen de condigno promereri potest. Est de fide tam 1.a pars adversus Pelagianos, quam 2.a adversus Semipelagianos.

Prob., ut diximus, 1.a pars ex momentis cit. l. allatis; nec non iis, quibus in hoc libro, et tract., *cap.* 2. *prop.* 1. *pag.* 183., *et sequ.*, *et cap. ant. prop.* 1. *pag.* 212., *et sequ.* ostendimus, hominem absolute egere Dei gratia, ut omnia, et singula Dei mandata, etsi tantum quoad substantiam, servet, utque aliquid boni in ordine ad salutem agat: eadem enim, quae ostendunt, hominem absque Dei gratia nec servare ejus mandata, nec aliquid boni agere in ordine ad salutem posse, ostendunt simul, utique posse et illa servare, et quodvis bonum agere in ordine ad salutem cum Dei gratia. Quod cum ita sit, poterit quoque cum Dei gratia, seu cum ordinariis tantum gratiae auxiliis, in statu gratiae sanctificantis continuare usque in finem, omnia Dei mandata ejus ope observando et quoad substantiam, et quoad modum, seu ut oportet ad salutem: Patet ergo propositum.

Prob. 2. pars ex iis etiam, quae produximus *lib.* 2. *l. cit.*; quibus addimus, magnum istud perseverantiae donum, de quo illic disseruimus, quoad parvulos, qui post susceptum Baptisma ante rationis usum ex hac vita rapiuntur, sicut etiam quoad adultos, qui post acceptam justitiam statim decedunt, speciale Dei donum esse, quo illos Deus ab imminentibus vitae periculis statim eripit. Quoad adultos vero, qui post acceptam justitiam vitam protrahunt, speciale Dei donum est, quod superaddit gratiae sanctificanti, atque ordinariis actualis gratiae auxiliis 1.o exteriorem quamdam providentiae dispositionem, qua justus ex hac vita rapitur, dum in statu sanctificantis gratiae reperitur. 2.o efficacium auxiliorum largitionem, quibus concupiscentiae motibus, aliisque tentationibus,

quae in mortis discrimine praesertim, ac vehementius urgent, infallibiliter, atque invictissime resistat. 3.° peculiarem illam praedilectionem, qua Deus electos prosequitur, et e qua ambo praecedentia prodeunt.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cont. 1.m part., quod Trid. ait sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Speciale autem Dei auxilium aliquid profecto amplius significare videtur, quam ordinaria gratiae auxilia, quae nulli desunt justo, instante praecepto: Non ergo his solis potest justus ipsa perseverantia, quae activa dicitur, perseverare usque in finem.

Resp. neg. min.; auxilium namque, de quo Trid. loquitur, speciale ab eo nuncupatur, ipso Vega, qui Tridentino interfuit, interprete, non quia distinguitur ab ordinariis gratiae auxiliis, sed tum quia distinctum a gratia habituali, tum quia ad hoc speciatim justo datur, ut in accepta justitia perseverare possit. Et sane nonnisi de ordinariis gratiae auxiliis Tridentinum loqui, ex eo etiam evincitur, quod non de actuali, seu effectiva perseverantia canon loquitur, sed de potentia perseverandi; quae, omnibus Orthodoxis fatentibus, per ordinaria gratiae auxilia tribuitur.

Objic. 2.° cont. 2.m part.: quod *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur,* ut declaravit idem Trid. *sess.* 6. *cap.* 11., et docuerat D. Aug. *l. de nat. et gr. c.* 26.. Si autem ad perseverandum usque in finem perseverantia, quae passiva dicitur, egeret justus speciali Dei dono, ita ut sine eo sola gratia habituali, et ordinariis gratiae actualis auxiliis fretus perseverare non posset, profecto justus, cui a Deo denegaretur ejusmodi donum, desereretur a Deo, priusquam ipse Deum desereret: Non ergo ad perseverandum usque in finem ipsa perseverantia, quae passiva dicitur, eo dono eget.

Resp. neg. sequ. min.; non enim, nisi ex culpa, quae praecesserit ex parte justi, saltem omissionis orationis, vel teporis in orando, ipsi a Deo denegatur perseverantiae donum; ex quo sequitur, quod non accipiens

perseverantiae donum non ipse prius a Deo deseritur, sed ipse prior Deum deserit: *Deserunt* ( ait proinde de iis D. Aug. l. de corrept. et gr. c. 13. ), *et deseruntur: Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiae dono, judicio Dei justo, et occulto.* Praeterquamquod, cum numquam justo desit gratia vere, et relative sufficiens, ut fides docet, ac infra ostendemus, qua posset perseverare, si vellet, nemo etiam non videt, quod si ei Deus denegat gratiam efficacem, qua reapse, et infallibiliter perseveraret, non ideo censendus est, quod eum deseruerit.

Inst., quod si ex culpa, quae ex parte justi praecesserit, ideoque ex malo ejus liberi arbitrii usu petenda est ipsius non perseverantia, quid clarius, quam quod ex bono liberi arbitrii usu alterius, qui perseveret, perseverantia petenda est? Diximus autem, quod ex culpa quae ex parte justi praecesserit, ideoque ex malo ejus, liberi arbitrii usu petenda est ipsius non perseverantia: Ex bono igitur liberi arbitrii usu alterius, qui perseveret, perseverantia petenda est.

Resp. neg. sequ. maj.; quemadmodum enim, ut ait D. Aug. l. de gr., et lib. arb. c. 16., *certum est, nos mandata servare, si volumus, et facere, cum facimus*, et simul *praeparatur voluntas a Domino, et ille facit, ut faciamus*; sic justo quidem, qui non perseverat, imputatur ipsius non perseverantia, quia ipse est, qui libere Dei praecepta transgreditur, et simul Deo tribuenda est alterius, qui perseverat, perseverantia, tum quia ipse est, qui efficaces gratias ei tribuit, ne e justitia excideret, tum quia eo praecise tempore illum ex hac vita eripuit, quo in justitiae statu reperiebatur, *cum vitae huic* ( ut disserit D. Aug. l. de dono persev. c. 17. ), *quando voluerit, ipse det finem.*

Inst., quod cum mors corporalis ex naturalibus causis inducatur, naturaliter quoque accidit, quod tunc justus ex hac vita rapiatur, quum in statu justitiae reperitur. Quod cum ita sit, nullum in hoc perspicitur Dei donum, quod tunc praecise ex hac vita rapiatur: Falsum ergo, Deo tribuendum esse, quod ab hac ad sempiternam vitam in statu justitiae pertranseat.

Resp. neg. sequ. maj.; sicut enim verum utrumque est, et quod nasci sit a natura, et quod nasci a parentibus fidelibus, a quibus Christianam fidem haurimus, sit

speciale Dei beneficium; ita verum utrumque est, et quod nempe ex naturalibus caussis hoc, vel illo tempore quis moriatur, et quod sit speciale Dei beneficium, ut moriatur in statu justitiae, potuisset quippe Deus permittere, ut moreretur, cum e justitia excidisset: *Quidquid* ( ita apposite Laur. Berti l. 18. De Theol. Discipl. c. 7. ). *Divina praescientia, et voluntate disponitur causa conferendae beatitudinis, habet sub naturali rerum Mundanarum devolutione occultissimum Glorificatoris consilium, ac beneplacitum.* Qua super re consulantur quoque ea, quae *l. 2. tract. 12. cap.* 3. *pag.* 248., *et sequ.* de Voluntatis Dei Providentia scripsimus.

# TRACTATUS IV.

## De actualis gratiae distributione.

### CAPUT I.

*De extantia, ac natura gratiae sufficientis.*

De actualis gratiae distributione in hoc tractatu acturi, distinguendum a nobis est primum omnium, quod duplex a Theologis distinguitur; ut initio etiam hujus libri innuimus, gratia actualis; sufficiens nempe, et efficax. Sufficiens est, ut diximus tract. 1. cap. 1., *quae veram, completam, et expeditam potentiam, saltem mediate, homini confert ad malum vitandum, bonumque operandum, si velit, sive illam reapse abjiciat, sive illi assentiatur, et cooperetur.* Atque hic rursus advertendum, ut omnes fraudes, et tergiversationes Jansenianorum vitentur, quod, ut vere sit sufficiens, vires illi conferre debet, cum quibus, saltem mediate, oppositam concupiscentiam debellare, et superare possit; nec solum potentia absoluta, verum etiam relativa ad praesentes ejus circumstantias. Et sane an non Medicus aegroto illudere censeretur, pharmacum illi praebendo, absolute quidem aptum, sed relative insufficiens, nec proportionatum morbo, quo laborat, sanando? Ejusmodi autem esset gratia sufficiens, si absolute esset quidem apta, ut homo per

eam malum vitaret, bonumque operaretur, at non item relative ad circumstantias, in quibus versatur. Iterum autem, atque iterum diximus *saltem mediate*; Theologorum enim multitudo docet, eam quandoque proxime, et immediate sufficere, quandoque tantum remote, et mediate, scilicet per orandi potestatem, quam proxime, et immediate praebet; ad quod non obscure referuntur illa Tridentini verba sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, et facere, quod possis* ( en immediata faciendi potestas ), *et petere, quod non possis* ( en potestas mediata ), *et adjuvat, ut possis*. Haec igitur gratia sufficiens.

Efficax vero est illa, *quae nedum homini praefatam potentiam confert ad malum fugiendum, bonumque operandum, verum etiam certo, et infallibiliter cum fuga mali, et positione boni conjungitur*.

His praemissis: Gratiam mere sufficientem respuerunt Lutherus, et Calvinus, non aliam ajentes, agnoscendam esse gratiam in homine lapso, nisi efficacem, et invincibilem, cui reluctari homo nequeat, ut patet ex iis, quae *tract. 2. cap. 4. pag. 102., et sequ.* de illis diximus. Eos deinde, mutatis licet verbis secutus Jansenius, omnem quoque abstulit gratiam ab effectu disjunctam, ita ut eo frustretur effectu, quem in iis, in quibus datur, circumstantiis habere potest. Quod cum fuse exposuerimus in eodem *tract. cap. 5. pag. 127., et sequ.*, hic tantum exscribimus quae habet l. 4. de gr. Ch. c. 10. *Hinc claret, cur Augustinus omnem omnino gratiam pure sufficientem auferat, quia cum ei nulla sit gratia operandi praeter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. Sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur, quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio ne quidem sequi possit, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.*

Nemini tamen ex Orthodoxis fas est, gratiam mere sufficientem negare, dissentientibus tantum Theologis quoad gratiae efficacis naturam: aliis petentibus ejus efficaciam ex eo quod sit physice praemovens, ut Thomistae; aliis ex eo quod ejusmodi sit suapte natura, ut Augustiniani; aliis ex eo

quod delectet magis, quum pulsans ex adverso concupiscentia, ut Bertistae; aliis demum proxime, et in actu secundo ex ipso voluntatis consensu. Quae cum fuse pertractata fuerint *l.* 2. *tract.* 11. *cap.* 2., ubi de medio, in quo Deus praenovit futura libera ordinis supernaturalis necesse nobis fuit agere, hic summatim ea innuisse sufficiat, ut ibi, ne actum agamus, consulantur.

Non meminimus autem *l. cit.* Congruistarum sententiae: vel enim haec gratiae congruitas dicitur cum aliquibus ex iis ipsi gratiae interna, ita ut antecedenter ad praevisum voluntatis consensum certo, et infallibiliter sit cum effectu conjuncta; eorumque sententia in re non differt ab ea, quae gratiam, propugnat, suapte natura, efficacem dicendam esse: vel cum aliis ex iisdem dicitur externa, seu ex circumstantiis personae, loci, ac temporis; horumque sententia in re non differt ab ea, quae efficaciam gratiae proxime, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petendam esse, contendit. Eamdem ob causam neque etiam meminimus sententiae Thomassini *Dogm. Theol tom.* 3. *tract.* 4. *c.* 18., quod gratiae efficacia petenda sit ex multitudine auxiliorum, quae simul *obstinatissimos quosque fatigant tandem*; *et multitudine, conspiratione, ac indefessa oppugnatione sua ad assensum tandem pertrahunt.* Cujus caeterum neque etiam meminimus, utpote prorsus singularis, quin sequaces habuerit, tum quia in ejusmodi sententia nullum praecise daretur gratiae auxilium certo, et infallibiliter efficax, quod unanimi Theologorum sensui adversatur; tum quia parum gratiae honorificum videtur, quod, ut certo, et infallibiliter voluntatis consensum obtineat, multitudine illa, conspiratione, ac indefessa oppugnatione egeat.

Nec tandem illic meminimus, sententiae Cardinalis Norisii, aliorumque plurimorum, quam tamen opportunum ducimus hic exponere. Distingunt hi inter praecepta, et pietatis opera, quae nullam, vel parvam sive ex objecto, sive ex tentationibus, sive ex aliis circumstantiis difficultatem praeseferunt, quibus praesertim orationis praeceptum, orandique opus accensent; et praecepta, ac pietatis opera, quae ardua sunt, et difficilia. Ut autem homo praecepta, et pietatis opera posterioris generis exequatur, utique, inquiunt, necessariam illi esse in praesenti statu gratiam suapte natura efficacem; at non item, ut praecepta, et pietatis opera primi generis adimpleat, ad

quae sola gratia sufficiente eum egere, contendunt, per quam idcirco juxta eosdem ipsa praecepta, et pietatis opera, quae ardua sunt, et difficilia, mediate implere potest: cum enim negari quidem nequeat, esse etiam quamdam gratiam efficacem, immo efficacissimam orationis, quam Deus pro sua benignitate nequissimis quoque hominibus interdum largitur; at simul penes omnes sit cum sola gratia sufficiente, ut orent, sicut oportet, et per orationem uberius a Deo auxilium impetrent ad concupiscentiam, et tentationes vincendas, ejusque mandata servanda; hoc ipso idcirco, quod ad id satis immediate est gratia sufficiens, quae nulli deest, hoc ipso, inquiunt, penes hominem esse, ut per eam solam implere mediate possit quaevis alia, tametsi ardua, et difficilia; sitque apud Deum inexcusabilis, si ea non adimpleat. Haec igitur Norisii, aliorumque plurimorum sententia; quam opportunum duximus hic exponere, quia illi ex parte adhaerendum existimamus; ibi vero ejus non meminimus, quia cum gratia suapte natura efficax ex verisimiliori nobis sententia, quam ibidem ostendimus, incompatibilis videatur cum libero hominis arbitrio sub quavis gratia, a qua, ut inquit Trid. sess. 6. can. 4., *homo motus, et excitatus, potest dissentire, si velit*, in omnibus proinde gratiae efficaciam proxime, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petendam esse, propugnavimus. Qua super re cum liberum sit in Scholis hinc, indeque disputare, immo sub censuris vetitum a Paulo V., Urbano VIII., et Innoc. X., ut advertimus *l. cit. pag.* 169., ne alterutra pars dicteriis, et censuris alteram partem insectetur; unusquisque idcirco in suo sensu abundet, vulgatumque illud, ac solemne effatum cordi habeat: *In necessariis unitas; in dubiis libertas; in omnibus charitas*. Sit modo

Prop. Admittenda est gratia et vere, et simul mere sufficiens. Eaque ita immediate sufficiens sive ad facilia quaedam implenda, sive ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut nullum aliud auxilium sit praeterea necessarium. Prima pars est de fide: altera nobis verisimilior; quam prae aliis absque ulla haesitatione sequitur, ac fuse, et solide probat B. Ligorius in Opere, cui titulus: *Il gran mezzo della preghiera*, parte 2. cap. 4.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Script., ex quibus ad id

refertur illud Prov. 1. *Vocavi, et renuistis . . . Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Ut autem obturantes aures suas Deo vocanti ejusmodi poena puniantur, necesse est, quod ipsi potuerint respondere; nec ipsi respondere possent, nisi per gratiam vere sufficientem, cui sponte, ac libere resistunt: Datur ergo gratia, per quam homo cum respondere posset Deo vocanti, illi tamen sponte, ac libere resistit; ideoque et vere, et simul mere sufficiens.

Item illud Is. 5. *Nunc ergo judicate inter me, et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? Et expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Cuivis enim consideranti fit perspicuum ex primis illis verbis: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei*, Deum Judaeis concessisse gratias, quibus ejus praecepta adeo essent illis possibilia, ut penes illos fuisset eadem servare, ac uvas producere, idest bene agere, non labruscas, idest male. Simul autem de illis conqueritur, quod cum ejusmodi gratias accepissent, illas irritas reddiderant, ac labruscas pro uvis fecerant: Rursum ergo evidens dari gratias et vere, et simul mere sufficientes.

Item quod legitur Matth. 11. Corozaim, et Bethsaidae a Christo exprobratum: *Vae tibi, Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Quisnam porro hoc in loco non perspicit, datam fuisse gratiam harum Civitatum incolis, per quam converti potuerunt, et tamen noluerunt; cumque Pelagianum esset dicere, quod solis exterioribus signis, et miraculis a Christo coram iis peractis absque interioris gratiae auxilio converti potuissent, gratiam illam idcirco nedum exteriorem, sed et interiorem fuisse? Iterum ergo, atque iterum dari gratiam vere, et simul mere sufficientem, consequens est.

Demum et Christi verba Matth. 23. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Et quae ait Stephanus Act. 7. Judaeos increpans: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Et quae leguntur Apoc. 3., ubi Dominus, *Ecce* ( inquit ) *sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam,*

*intrabo ad illum.* Quidnam enim velle congregare, ut in 1.m locum disserit D. Hilarius, nisi per gratiam ad conversionem excitare? Quidnam Spiritui Sancto resistere, et quidem ex cordis duritie, nisi, ut interpretatur D. Cyrillus Alex. *l. 1. Comment. in Is.*, internis illius motionibus non obsequi? Quidnam ad ostium pulsare, ut, si ipsi aperiatur, intret, nisi, ut D. Ambrosius exponit, ostendere, quod *si quis non aperuerit, non quidem non ingredientis, sed non aperientis est culpa*? Cumque injustae essent querelae, inanesque hortationes, et comminationes crudeles, quae in allatis locis fiunt, nisi in illis, ad quos diriguntur, vires supponantur vere sufficientes ad obediendum; eo fere modo, quo nemo juste argueret vinculis, aut aegritudine detentum, eo quod longum iter non aggrederetur, vel caecum, eo quod Scripturam non legeret, vel manibus carentem, eo quod non pingeret; nemo etiam non videt, utique admittendas esse gratias vere, ac simul mere sufficientes, quibus nempe homo complete posset bonum operari, iisque simul sponte, ac libere resistit.

Prob. 2.° ex Conciliis; ita enim Arausic. II., cujus canones ab universa Ecclesia receptos fuisse, non semel diximus, can. 10. *Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Non omnes autem baptizati adimplent, quae ad salutem animae pertinent: Datur ergo gratia, qua homo posset, prout debet, ea, quae ad salutem animae pertinent, implere, nec tamen, prout debet, et posset, ea adimplet; ideoque simul et vere, et mere sufficiens.

Ita vero Tridentinum sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere, quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Non omnes autem faciunt, quae Deus jubet: Rursum ergo datur gratia, qua homini possibilia essent Dei praecepta vel immediate, vel saltem petendo uberius auxilium, quod illi oranti Deus largiretur, nec tamen homo illa adimplet; ideoque simul et vere, et mere sufficiens.

Prob. 3.° ex Constitutionibus Summorum Pont., quibus proscripta fuit, tamquam haeretica Jansenii propositio inquiens: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volenti-*

*bus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, impossibilia sunt. Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Non est autem haereticum, nisi quod fidei catholicae directe, et immediate adversatur: De fide igitur catholica, et quod justis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires nihil ex iis, quae Deus praecipit, impossibile est, et quod numquam illis deest gratia, qua illis Dei praecepta fiant possibilia. Cumque illis in peccatum labentibus hoc ipso non conferatur gratia efficax; dari igitur gratiam, quae vere, et simul mere est sufficiens, manifeste sequitur.

Prob. 4° ex PP., pro quibus unus Augustinus sufficiat, tum quia caeteris hac in re praestans, tum quia ipse est, de cujus auctoritate Adversarii jactantur, tum quia Graecorum Patrum agmen ipse Jansenius nobis dimittit, ac sibi procul dubio adversari, ingenue fatetur. Adeo autem luculenter gratiae vere simul, et mere sufficientis doctrinam tradit Augustinus, ut sola haereticorum malitia, et impudentia illum sibi potuerit in Patronum adsciscere. Ita nempe omnibus in locis, quos exscripsimus *tract. 2. cap. 5. prop. 2. pag. 143., et sequ.*; e quibus hic tantum repetere expediens censemus, quae habet l. de fide cont. Manich. c. 10. *Quis non clamet, stultum esse, praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur facere; et iniquum esse, damnare eum, cui non fuit potestas jussa complere?* Et serm. 191. de Temp. *Execramus blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid a Deo esse praeceptum, et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et l. de nat. et gr. c. 43. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis.* Caeterisque omissis, quae l. cit. possunt consuli, ita demum l. de corr. et gr. c. 7., ubi justum e justitia lapsum alloquens, *homo* (inquit), *in eo, quod audieras, et tenueras, perseverares, si velles*: quo in loco advertendum, quod dum quis dicitur aliquid facturus, si vellet, profecto intelligitur, omnino expeditam, et absolutam nempe, et relativam ad circumstantias, in quibus versatur, ad illud faciendum facultatem habere. Quibus perpensis, quid clarius, quam quod juxta Augustinum omnibus praesto est Dei gratia, qua ipsis vere possibilia sint ejus mandata? Eaque cum non omnes ser-

vent, gratia idcirco sit, quae simul et vere, et mere est sufficiens?

Prob. 4.° ratione theologica. Ex ostensis enim tract. ant. nequit homo solis naturae viribus vel omnia Dei mandata servare, vel graves tentationes vincere, vel quidquam boni in ordine ad salutem operari absque gratia; ex quo sequitur, adeo pro certo habendum, omnibus praesto esse gratiam, qua omnia Dei mandata vel immediate, vel mediate implere possint, nec non omnes tentationes vincere, ac propriam salutem operari, quemadmodum certum est, Deum nemini posse quidquam impossibile praecipere, et omnium salutem velle. Utrumque autem est certum: Et certum igitur, quod omnibus praesto sit gratia, qua omnia Dei mandata implere possunt, omnesque tentationes vincere, ac propriam salutem operari; cujus tamen ope cum non omnes Dei mandata impleant, tentationes vincant, ac propriam salutem operentur, respectu horum idcirco eadem est et vere, et simul mere sufficiens.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex laudatis Trid. verbis post D. Aug. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Quis non videt ex his verbis, quod per gratiam sufficientem omnibus immediata potestas datur seu ad facilia quaedam implenda, seu ad impetrandum per orationem uberius auxilium, quo difficiliora impleantur; ac ita Deum ordinasse salutis nostrae negotium, ut per gratiam sufficientem quaedam sint, quae immediate facere possumus, et quaedam, quae petere debeamus? Ita igitur. Et sane, ut disserit B. Ligorius *l. sup. cit.*, si per gratiam sufficientem, quae nulli deest, non haberetur potestas immediata ad facilia quaedam implenda, et in difficilibus ad impetrandum per orationem uberius necessarium auxilium, non dixisset Tridentinum, quod, cum Deus impossibilia non jubeat, *jubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis*, sed *jubendo monet posse facere, et posse petere.* Praefatis ergo verbis luculenter expressit, quod per gratiam sufficientem, quae nulli deest, potest homo, quin illi necessarium praeterea sit aliud auxilium, et quaedam facilia implere, et in difficilibus uberius necessarium auxilium sibi adsciscere. Accedit, ut idem Ligorius pergit, quod cum nemo alium monere queat, ut faciat, quod actu non potest; omnisque idcirco admonitio referri nequeat, nisi ad id, quod actu

fieri potest : ut quid Deus hominem moneret jubendo et facere quod potest, et petere quod non potest, si ad quodvis bonum, tametsi facillimum, faciendum, et in difficilibus ad petendum uberius auxilium necessario requireretur praeter gratiam sufficientem, quam penes se habet, aliud quoque auxilium, quod penes se non haberet? Non ergo istud necessarium esse ad implenda quaedam facilia, et in difficilibus ad petendum uberius auxilium, consequens ex Tridentino est.

2.° ex D. Aug., ex quo diximus, Tridentinum sumpsisse verba, super quibus disseruimus; ita enim S. Doctor l. de Nat., et gr. c. 69. *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, et bonum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur, et in facilibus, quid agamus, et in difficilibus, quid petamus.* Eodem modo idcirco ex illis disserendum est. Quo caeterum in loco cum item distinguat S. Doctor inter opera facilia, et difficilia, nec non inter ea, quae immediate, et ea, quae mediate, seu per orationem possumus, addimus solum, quod nonne haec distinctio inter opera facilia, et difficilia, eorumque, quae immediate possumus, ab iis, quae non possumus, nisi mediate per orationem, nonne, inquam, haec distinctio et vana, et illusoria foret, si penes nos non esset cum gratia sufficiente et quaedam facilia implere, et in difficilibus orare? Rursum ergo non videtur de hoc dubitandum. Quod licet confirmet S. Doctor aliis etiam in locis, addere hic tantum existimamus quae habet l. de corrept. et gr. c. 5.; cum enim ex absoluta gratiae necessitate ad quaevis opera salutaria, vel in ordine ad salutem contenderent Monachi Adrumetini, nullum amplius locum correptioni relinqui, sed potius quam delinquentes corripere, orandum esse Deum, ut necessariam illis gratiam, qua ad eum convertantur, pro sua benignitate, ac largitate conferret, respondet illis Augustinus: *Qui corripi non vult, et dicit, ora potius pro me, ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se*, idest, *ut oret etiam ipse pro se.* Quod si per gratiam sufficientem omnibus communem non daretur potestas immediata orandi, locum non haberet, quod is, de quo loquitur, corripiendus esset, quippe quod posset reponere, gratiam ipsi deesse, tum qua actu operetur, tum qua actu oret: Cuique ergo juxta Augustinum ejusmodi potestatem per solam

gratiam sufficientem tribui, magis, magisque perspicuum est.

3.º ex precibus, quibus Ecclesia a Deo petit, ut fideles *valeant*, *convalescant* ad ejus mandata exequenda. His autem gratiam ad id sufficientem pro illis petit, haec enim est gratia, qua homo ad bonum valet, et convalescit; ac nonne stultum talem a Deo gratiam petere, quae absque ulteriori auxilio numquam in actum sit proditura? Ejusmodi ergo gratia sufficiens dicenda est, ut homo ejus ope, quin illi aliud praeterea auxilium sit necessarium, sed tantum si velit, tum quaedam facilia impleat, tum in difficilibus Deum oret, ut uberius, quo eget, auxilium ab eo obtineat.

4.º ex eo quod an gratia sufficiens datur tantum, ut homo possit Dei mandata implere? Minime profecto, sed ut reipsa, et de facto illa impleat; tum quia non datur, nisi ut homo faciat, quod Deus praecipit, nec Deus praecipit homini, ut possit illa implere, sed ut reipsa, et de facto illa impleat; tum quia et quodvis Dei mandatum, et quaevis illius transgressio non cadit supra potentiam; sed supra ipsum actum, vel defectum illius. Si autem gratia sufficiens ita satis non esset ad facilia saltem quaedam implenda, et in difficilibus ad impetrandum uberius auxilium, quo et haec impleantur, ita, inquam, ut aliud praeterea auxilium ad actum non requiratur, sed tantum, quod homo velit nemo non videt, quod daretur tantum, ut homo posset Dei mandata implere, non ut reipsa, et de facto illa impleat. Quod ergo ita ad id satis sit, magis quoque, magisque est perspicuum. Qua super re ita etiam idcirco doctissimus Petavius l. 10. Theol. Dogm. c. 19. n. 3. *Cum Deus opem ferre vult homini, eique conferre adjumentum necessarium, non hoc destinat, qua sufficiens est solum, tamquam excludere velit opus, et effectum, aut irritam esse velit, inanemque gratiam; hoc enim esset non juvari, et opitulari velle, sed illudere. Vult ergo, quantum in se est, effectum habere gratiam suam in homine.* Hinc subdit c. sequ. n. 4. *Donum istud, quo Deus dat, ut jussa faciamus*, ( uberius nempe auxilium in rebus difficilibus ), *affectum orationis subsequi.* Cujus proinde auctoritate magis, quod diximus, confirmatur.

5.º ex eo quod, ut disserit *l. sup. cit.* B. Ligorius, spem nobis praeceptam adeo, quatenus Deo innititur,

tutam, et firmam esse debere, ut juxta Apostoli similitudinem ad heb. c. 6. sit anchorae similis, procul dubio est. Ejusmodi autem esse non possset, si omnibus ex parte Dei non conferretur gratia adeo sufficiens, ut homo ejus ope, quin alio auxilio egeat, sed tantum velit, quaedam facilia impleat, et in difficilibus suppliciter Deum adeat ad impetrandum uberius necessarium auxilium; eatenus enim homo potest tuto, ac firmiter expectare, ac sibi promittere ex parte Dei futuram beatitudinem, quae est spei objectum, quatenus securus, penes se habere gratiam, qua facilia quaedam impleat, et in difficilibus uberius sibi auxilium adsciscat, ex parte tantum sui esse potest, quod illi desit, et non cooperetur, ac ipse sibi damnationem acquirat: Non secus igitur sentiendum, Sanctus Praesul, concludit.. Et sane, ut idem Ligorius pergit, quomodonam homo collocare in Deo potest propriae salutis spem, quae ex parte ipsius Dei tuta sit, ac firma, et anchorae similis, nisi securus sit, quod ex parte Dei penes se habet quidquid est necessarium, ut actu salutem suam operetur, si velit, ejusque gratiam in vacuum non recipiat? Eatenus autem securus de hoc esse potest, quatenus securus sit, penes se habere gratiam, qua ita possit facilia quaedam implere, et in difficilibus uberius auxilium sibi per orationem adsciscere, ut aliud praeterea auxilium illi necessarium non sit; si velit, sive ad quaedam facilia implenda, sive in difficilibus ad orandum pro uberiori auxilio: Rursum ergo, ejusmodi gratiam quemvis penes se habere, est dicendum.

6.° demum ex eo quod gratia, quae nusquam se sola possit efficax evadere; ac, licet conferat posse operari, nusquam tamen in tota hominum multitudine, qui hactenus vixerunt, et usque ad saeculorum finem victuri sunt, continget, ut vel unus cum illa sola bonum operetur, sufficiens simul esset, et insufficiens; sufficiens nempe ex hypothesi; insufficiens vero, tum quia quisnam sibi suadebit, vere homini sufficere illam gratiam, quae a Mundi exordio usque ad Judicii diem numquam prodiit, vel preditura est in actum? Tum quia quaenam gratia sufficiens, nisi quae confert veram potentiam ad actum? Nonne autem fictitia, ac prorsus illusoria ea potentia videtur, ut diximus *l. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 3. pag. 290.*, quae in tot centenis hominum millibus effectum numquam obtinuit, nec umquam obtinebit? An non po-

tius, quam potentia, vera censenda est impotentia? Et quidem morali major, nam apud Philosophos perinde, ac Theologos impotentia moralis est tantum summa rei faciendae difficultas, quae, licet rarissime, interdum tamen in actum prodit. Dicent forte, id non oriri ex defectu virtutis in ipsa gratia, sed ex hominis resistentia. Sed nonne etiam Jansenius impotentiam ad bonum cum gratia parva non ex defectu in hac virtutis activae, sed ex resistentia cupiditatis repetit? Quaenam insuper haec non resistentia, nisi aliquid liberum in ordine ad salutem? Ad nihil autem liberum in ordine ad salutem satis immediate dicitur gratia sufficiens: Nonne ergo eadem semper argumentatio recurrit, ut l. cit. pag. 173. advertimus? *Si haec auxilia* (ita proinde apposite Thomassinus tract. 3. Theol. Dogm. c. 8.) *vere auxilia sunt, qui fieri potest, ut nihil inde utilitatis redeat ad innumerabiles homines, qui his donantur, innumerabilium annorum spatio? Si bona fide sufficientia dicuntur auxilia, si proximam vere dant potestatem, qui fit, ut ex innumerabili tamdiu hominum, qui ita juvantur, multitudine, vel peccatum declinat, vel praeceptum observat omnino nemo? At quo tandem modo vere sufficientia sunt illa adjutoria, si praeterea gratia efficax modis omnibus est necessaria? Non is potestatem habet proximam, sufficientem, et completam, cui deest aliud auxilium necessarium, quod in ejus potestate non est. Frustra autem respondent, aliud illud auxilium efficax datum iri, si bene utantur sufficienti, cum ita censeant ipsi, ut bene utatur quis sufficienti, efficaci auxilio opus esse.* Hinc concludit, *gratiam sufficientem sufficere ad actus quoslibet faciles sejunctim, efficacem necessariam esse ad omnes actus conjunctim, quibus ad justificationem praeparamur, aut quibus datur perseverantia in bono usque in finem; denique quibus graves tentationes, vel heroicae, arduaeque virtutes exercentur.* Quidnam ad haec reponi possit, profecto non videmus. Coronidem proinde huic secundae nostrae thesis parti cum Norisio ponentes, cujus insignem eruditionem, sacramque doctrinam nemo est, qui nesciat, *igitur* (cum eo dicimus l. sup. cit.) *opera facilia, seu actus bonos minus perfectos facere possumus absque eo, quod majus, et ulterius auxilium a Deo postulemus: quod tamen in actibus perfectioribus, ac difficilioribus suppliciter petendum est.*

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cont. 1.m part. , quod Deus inquit ap. Is. 55. *Sic erit verbum meum , quod egredietur de ore meo , non revertetur ad me vacuum , sed faciet quaecumque volui , et prosperabitur in his , ad quae misi illud.* Quid clarius , quam quod Dei gratia est semper efficax ? Non ergo alia , quae sit mere sufficiens.

Resp. neg. min ; *verbum* enim ; de quo eo loci agitur , Dei potius promissa intelligenda sunt , quam gratia ; quae cum semper Deus adimpleat ; nec nequeat ob suam fidelitatem non adimplere , dicitur proinde , quod numquam Dei verbum revertitur vacuum. Quod si quis accipere illud velit per gratiam , recte etiam dicitur , quod numquam haec vacua ad Deum revertitur , quippe quod si homo illi cooperetur , fit ei in salutem , ac Dei benignitatem , misericordiam , providentiam , ac sinceram voluntatem , quod omnes salvi fiant , manifestat ; si vero illam abjiciat , fit ei in damnationis argumentum , eritque causa , cur in suppliciis experietur rigorem ejus justitiae , cujus in donis misericordiam contempsit.

Objic. 2.° quod nemo potest absque efficaci Dei gratia ipsius mandata servare , ajente Christo Jo. 6. *Nemo potest venire ad me , nisi Pater , qui misit me , traxerit eum* ; quae his aequivalent : *Nemo habet gratiam vere sufficientem veniendi ad me , nisi Pater , qui misit me , eum traxerit per gratiam efficacem.* Idem autem dictu est , quod nemo potest absque efficaci Dei gratia ipsius mandata servare , quodque non datur alia gratia vere sufficiens , nisi gratia , quae simul sit efficax : Figmentum ergo gratia , quae sit vere , et simul mere sufficiens. Accedit , idem quoad sensum dixisse Christum , quum ait l. cit. v. 44. *Nemo potest venire ad me , nisi Pater , qui misit me , traxerit eum* ; quumque ait v. 66. *Nemo potest venire ad me , nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Hic autem procul dubio locutus fuit de gratia efficaci : Et illic igitur ; sine qua idcirco cum nemo possit vel Dei mandata implere , vel aliquid boni in ordine ad salutem operari , nulla sequitur , quod detur gratia et vere , et simul mere sufficiens.

Resp. neg. maj. ; allata enim Christi verba intelligenda non esse de gratia efficaci , sed simpliciter de gratia praeveniente, auctor est Magnus gratiae Doctor Augustinus *l.*

1. *ad Bonifac. c.* 19. ; ubi etiam advertit, quod Christus non *ait*, *duxerit, *ut illic intelligamus praecedere voluntatem.* Ad id vero, quod additum est, resp. neg. min.; non enim ait Christus: *Nisi ei datum fuerit venire*, sed tantum: *Nisi ei datum fuerit.* Hinc utrumque locum de gratia praeveniente accipiendum esse, docet idem S. Doctor l. 4. ad eumdem Bonifac. c. 6., ubi, *in omnibus* (inquit), *quae quisque agit secundum Deum, misericordia ejus praevenit eum. Quod isti nolunt, quia non esse Catholici, sed Pelagiani volunt. Multum enim delectat impietatem superba...., ut etiam id, quod cogitur confiteri a Domino datum, non sibi donatum videatur esse, sed redditum . . . . Ita namque illis tumor aures cordis obstruxit, ut non audiant: Quid enim habes, quod non accepisti? Non audiant: Sine me nihil potestis facere. Non audiant: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Hinc etiam confirmatur, quod supra diximus, ipse enim Augustinus docet *l.* 1. *ad Bonifac. c.* 31, eumdem utrique textui sensum tribuendum esse.

Objic. 3.° illud Ap. ad Rom. 9. *Miserebor, cujus misereor; et misericordiam praestabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et ibid. *Voluntati ejus quis resistit?* Et ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, et perficere.* Nemo autem non videt, solam his in locis credendam nobis proponi efficacem gratiam: Haec igitur, ac nulla mere sufficiens credenda est.

Resp. neg. cons., cum simul constet ex aliis locis inter probationes allatis, quod, praeter gratiam efficacem admittenda etiam est gratia, quae sit vere, et simul mere sufficiens.

Objic. 4.°, de fide esse, quod Dei voluntati nemo nec resistit, nec potest resistere. Est autem quaevis gratia actualis ipsa omnipotens Dei voluntas, qua Deus vult ab homine, ut salutem suam per mali fugam, et boni prosecutionem operetur: Nulli ergo gratiae potest homo resistere, nec proinde datur, immo dari potest gratia mere sufficiens.

Resp. Et 1.°, quod si argumentum quidquam valeret, quomodonam Adam cecidisset, cum, ipsis Adversariis fatentibus, praesto illi esset Dei gratia, ne caderet? Sed et 2.° dist. maj.; quod nempe absolutae quidem Dei voluntati nemo nec resistit, nec potest resistere; at non

*

item cuivis Dei voluntati, siquidem, ut dicitur c. 35: Eccli. *Est beneplacitum Domino recedere ab iniquitate*; et quam pauci tamen ab iniquitate recedunt? Utque ait Ap. ep. 1. ad Thess. c. 4. *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione*; et quam pauci etiam sanctificationem suam operantur, et a fornicatione se abstinent? Et nonne item, ut idem Ap. scribit 1. ad Tim. c. 2., *vult Deus omnes homines salvos fieri*; ex quibus tamen quam pauci salvi fiunt? Ratio vero est, quia sicut ex Sacris Litteris liquet, esse quamdam Dei voluntatem, quae suum semper sortitur effectum, ut ubi dicitur Is. 46. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*; et l. sup. cit. *Voluntati ejus quis resistit*; ita ex iisdem patet, aliqua Deum velle, quae tamen non eveniunt ob contumaciam hominis resistentiam; ut ubi dicitur l. sup. cit. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos . . . . et noluisti*? Et Ezech. 24. *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis.* Qua super re consulantur, quae scripsimus *l. 2. tract.* 12. *cap.* 1. *pag.* 238. Hinc 3.° neg. min.; adeo enim falsum est, quod quaevis gratia actualis ipsa sit omnipotens Dei voluntas, ut inter 101. Quesnelli prop. a Clem. XI. proscriptas, decima nona sit, quae ait: *Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas.* Ratio vero est, quia gratia est Dei adjutorium, quo homo salutem suam operetur, si tamen illud in vacuum non recipiat; unde Apostolus ep. 2. ad Cor. c. 6. *Adjuvantes* (inquit) *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Objic. 5.° ex Ecclesiae precibus, quibus haec nonnisi efficacem gratiam fidelibus a Deo postulat. Ut autem ait Summus Pont. Coelestinus ad Episcopos Galliae, *lex supplicandi statuit legem credendi*: Figmentum ergo alia ab efficaci gratia, seu vere, et simul mere sufficiens.

Resp. 1.° neg. maj. ex dictis *pag.* 255.: ac 2.° cons., nam efficacem gratiam Ecclesia a Deo postulat fidelibus, quia dum iis postulat a Deo gratiam vere sufficientem, postulat simul, ut illi fideles non resistant, eamque in vacuum non recipiant. Nedum ergo inde non sequitur, quod alia non datur gratia, nisi efficax, quin potius infertur, quod praeter hanc datur quoque gratia, cui fideles resistunt, eamque in vacuum recipiunt, idest mere sufficiens.

Objic. 6.° Quidnam gratia mere sufficiens, qua ho-

mo numquam bonum operatur, sed tantum inexcusabilis redditur, quum delinquit? Haec autem non gratia, sed potius gratiae monstrum videtur, utpote gratia, ut ait Iansenius l. 3. de gr. Chr. c. 3., *solummodo peccatis faciendis, et majori damnationi accersendae serviens*: Rursum ergo figmentum ejusmodi gratia.

Resp. dist. maj.; quod nempe homo gratia mere sufficiente adjutus non operatur bonum ex ejus malitia, et culpabili resistentia, quam gratiae opponit, non vero ex natura ipsius gratiae, quae ei veram, et completam potentiam tribuit declinandi a malo, et bonum operandi, eamque immediatam, ut supra ostendimus, quoad facilia, et ad obtinendum uberius necessarium auxilium quoad difficilia. Merito idcirco Alex VIII. an. 1690. propositionem confixit, quae ajebat: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut merito possimus petere: A gratia sufficiente libera nos, Domine.*

Objic. 7.°, quod nonne quidquid convenit generi, praedicari etiam debet de speciebus, quas comprehendit? Convenit autem gratiae generice sumptae, quod sine ea nihil boni fieri potest in ordine ad salutem: Et de gratia igitur efficaci praedicari debet, quod sine ea nihil ejusmodi boni fieri potest; praeter quam idcirco nulla datur gratia mere sufficiens.

Resp. dist. maj., quod nempe quidquid convenit generi, praedicari etiam debet de speciebus, quas comprehendit, quantum ad rationem genericam ipsis speciebus communem; non vero secus, quin evanescat ipsa generis distinctio in suas species. Hinc sequitur, quod tam de gratia sufficiente, quam de efficaci praedicari debet, quod sit actio Dei supernaturalis intellectum, et voluntatem afficiens, quodque prorsus sine ea nihil boni homo potest in ordine ad salutem, cum utrumque sit, quod illi convenit generice sumptae; non vero, quod praecise sine gratia efficaci nihil ejusmodi boni homo possit, in hoc enim una ab altera distinguitur, quod cum gratia sufficiente homo potest bonum, si velit; cum gratia efficaci illud et potest, et vult.

Objic. 8.°, quod nonne gratia actionis ipsa est gratia efficax? Ex fide autem nihil boni salutaris homo potest sine gratia actionis: Æque igitur nihil boni salutaris potest absque gratia efficaci, ideoque rursus figmentum gratia mere sufficiens.

Resp. dist. etiam maj. ; quod nempe gratia actionis, quae certo, et infallibiliter sit cum bono opere conjuncta, ipsa est gratia efficax; non vero ea, quae certo, et infallibiliter cum bono opere non sit conjuncta. Hinc distinguitur etiam minor, quod nempe ex fide nihil boni salutaris homo potest absque gratia actionis, idest absque gratia, quae ipsam voluntatem praeveniat, et usque in finem adjuvet, non vero absque gratia, quae certo, et infallibiliter sit cum bono opere conjuncta, per solam namque sufficientem gratiam hanc homo potestatem a Deo accipit.

Objic. 9.° Inesse omnibus orandi praeceptum, ut mali fuga, et boni prosecutione salutem suam operentur, procul dubio est. Nemo autem petit, quod in propria potestate habeat: Nulla igitur gratia, qua in propria potestate habeamus malum fugere, et bonum prosequi, ideoque nulla gratia mere sufficiens.

Resp. dist. min.; quod nemo scilicet petit, quod in propria potestate omnino habeat; non tamen, si illud eatenus possit, quatenus potest sibi auxilium ad id adsciscere. Hinc patet, quomodo etiam distinguenda sit propositio consequens, quod non semper scilicet praesto est gratia, qua omnino possimus malum fugere, et bonum prosequi, cum gratiam tantum habeamus semper, qua immediate possumus, ut supra ostendimus, facilia implere, et in difficilibus necessarium nobis auxilium per orationem adsciscere.

Objic. 10. quidnam gratia mere sufficiens, nisi quae vires proportionatas praebeat ad vincendam concupiscentiam, vel aliud, quod a bono avertat, et ad malum inclinet? Ex viribus autem inter se proportionatis, seu paribus, nullus sequi potest effectus: Gratia igitur, quae dicitur mere sufficiens, est simul; et non est sufficiens; sufficiens nempe ex hypothesi; insufficiens vero, quia impar effectui.

Resp. neg. min.; quum enim dicitur, quod gratia sufficiens vires proportionatas praebet ad vincendam concupiscentiam, etc., non intelligitur per id, quod pares, seu aequales vires praebeat, sed superiores, quibus homo, si velit, *possit resistere* ( ut ait D. Th. 3. *p. qu.* 62. *art.* 6., et *qu.* 70. *art.* 4. *in corp.* ) *cuilibet concupiscentiae, et vitare omne peccatum.*

Quae demum ex D. Aug. adversus primam proposi-

tionis partem a Iansenianis congeruntur, produximus, et diluimus *tract.* 2. *cap.* 5. *pag.* 150., *et sequ.*

Objic. 11.° cont. 2.m part. illud Ap. ad Rom. l. sup. cit. *Miserebor, cujus misereor, et misericordiam praestabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Si autem daretur gratia sufficiens, qua homo facilia impleret, et in difficilibus sibi necessarium auxilium adscisceret, ipsius salus volentis esset, et currentis, non miserentis Dei: Nulla igitur ejusmodi gratia.

Resp. neg. sequ. min.; volentis namque esset, atque currentis, non miserentis Dei, si homo velle, et currere posset solis naturae viribus; non autem, cum ad omne prorsus bonum in ordine ad salutem absolute egeat Dei gratia, quae illum praeveniat, comitetur, et usque in finem adjuvet; eique idcirco, non homini, praecipuae cujusvis boni operis partes tribuendae sunt, propterea quod sine ea nihil umquam boni salutaris homo vel cogitare, vel velle, vel operari potuisset.

**Inst.** Augustini verbis ad Simplician. l. 1. qu. 2., quod *si propterea dictum est, neque volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit . . . nisi adjuvemur Misericordia Dei, potest et hoc modo dici: Non miserentis Dei, sed volentis est hominis, quia Misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus voluntatis addatur.* Hoc dictu nefas: Et nefas igitur dictu, quod propterea dictum sit, neque volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, nisi adjuvemur Misericordia Dei.

Resp. neg. cons.; recte enim D. Aug. argumentabatur l. cit. adversus Pelagianos, quod *si propterea dictum esset, neque volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei, quia voluntas hominis sola etc.*, recte inquam, adversus eos argumentabatur, quia juxta Pelagianos tota Dei Misericordia, qua necessario egemus ad bene, ac pie vivendum, absolvebatur, ex ostensis *tract.* 2. *cap.* 2. *pag.* 66. *et sequ.*, per liberum arbitrium, legem, doctrinam, Christi exempla, atque intellectus illustrationes, quin umquam fateri voluerint absolutam ad id necessitatem gratiae, quae voluntatem praeveniat, comitetur, et usque in finem adjuvet. Tota igitur Augustini argumentatio errorem Pelagianorum insectabatur, qui nudam voluntatem sibi sufficere ajebant ad bene, ac pie vivendum; non

vero nostram sententiam, quod gratia sufficiens, quae ipsam voluntatem adjuvet, eique vires praebeat ad bene, ac pie vivendum, adeo immediate homini sufficit sive ad facilia implenda, sive ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur; ut nullum aliud auxilium sit illi praeterea necessarium: non enim in hisce, ut ostendimus *l.* 2. *tract.* 11. *cap.* 2. *prop.* 6. *pag.* 218., *et sequ.*, alius Augustini scopus, nisi Pelagianos cogere, ut voluntatis gratiam, eamque ad bene, et pie vivendum absolute necessariam, faterentur. Atque hic rursus urgemus, quod cum gratia sufficiens, seu qua homo potest bene operari, et potestas vi ejus mediate saltem sufficiens ad bene operandum adeo sint unum, idemque conceptu, ut nec ratione distingui possint; nemo plane intelligere umquam poterit, quomodo non repugnet, quod homo, ut ipse Aug., non semel docet, habeat gratiam sufficientem, seu qua possit bene operari, nec tamen ejusmodi gratia mediate saltem sufficiens sit ad bene operandum.

Objic. 12.° quod idem ait 1. ad Cor. c. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si autem gratia sufficiens ita immediate satis esset, ut nos propugnavimus, unus se discerneret ab altero, ac posset de se gloriari: Non ergo ita immediate satis.

Resp. dist. sequ. min.; quod unus nempe se discerneret ab altero ope, et auxilio gratiae, nec nisi eius ope, et auxilio; non vero secus, absque ope scilicet, et auxilio gratiae. Istud autem Apostolus improbat, non alterum, unde et ait: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et de seipso subdit c. 5. *Gratia Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* In quae postrema verba, *ac proinde* (ait D.Aug.) *nec ego solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei mecum.* Hinc quoque l. de gr., et lib. arb. c. 6. objecta Apostoli verba expendens, *quoniam* (inquit adversus Pelagianos) *merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem, dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus: Quis te discernit?* Ex quibus Augustini verbis magis, magisque confirmatur, eos tantum Apostolum illic arguere, qui meritum ex seipsis, non, Deo donante, habere se, praedicant; nonne enim idem

dictu, quod homo Divinae gratiae cooperando seipsum ab alio quodammodo discernat, quodque eidem cooperando aeternam mereatur vitam? Certum autem est, immo de fide, quod Divinae gratiae cooperando aeternam meretur vitam: Ubinam ergo a fide absonum, quod eidem cooperando seipsum ab alio quodammodo discernat?

Objic. 13.° quod idem inquit ad Philip. 2. *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini.* Nihil autem metuendum, ac timendum esset, si cum sola gratia sufficiente, quae omnibus praesto esse dicitur, penes hominem foret et facilia implere, et in difficilibus orare ad impetrandum necessarium uberius auxilium: Non ergo hujusmodi, ut penes hominem sit cum ea sola id exequi.

Resp. neg. sequ. min.; est enim homo adeo suapte natura infirmus, ac fragilis, ut nec in huiusmodi promittere sibi possit, quod sit gratiae cooperaturus. Et sane, si nedum sufficiente gratia adjutus, verum etiam originali justitia, caeterisque donis eam comitantibus cumulatus, facillimum tamen mandatum non comedendi de uno tantum fructu e tot innumeris Paradisi fructibus transgressus fuit; quomodonam metuendum, et timendum ab eo non est in praesenti statu, quod cum gratia sufficiente adimpleat quae penes illum cum ea sunt; sitque in facilibus fidelis, et in difficilibus Deum supplici oratione adeat? Accedit caeterum, quod in adversa potius sententia dici posset, necesse non esse, quod homo cum metu, et tremore salutem suam operetur; ratus namque, quod cum sola gratia sufficiente nihil umquam boni in ordine ad salutem operabitur, atque ad istud, utcumque modicum, necessarium item est auxilium efficax, en in eo securitas, et certitudo, salutem suam cum sola gratia sufficiente se numquam operaturum, quodque infallibiliter, quin locus ulli prorsus metui, ac timori sit, illam operabitur, si habeat item auxilium efficax, quod in ejus potestate non est.

Objic. 14.°, quod si gratia sufficiens ita immediate satis esset, sive ad facilia quaedam implenda, sive ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut nullum aliud auxilium esset praeterea necessarium, frustra nobis tam saepe inculcaretur orandi praeceptum, utque omnia, ipsumque idcirco orandi spiritum petamus; neque enim a nobis petenda esset gratia, quippe quam semper haberemus, neque

voluntatis nostrae cooperatio, quippe quae semper in nostro esset arbitrio. Quis autem dixerit, quod frustra nobis datum, inculcatumque fuerit orandi praeceptum? Neque ergo dicendum, quod gratia sufficiens satis immediate sit ad facilia implenda, et in difficilibus ad orandum.

Resp. neg. sequ.. maj.; etiam namque juxta propositam a nobis sententiam orationi instandum est, 1.° ut orando obtineamus, quod certo gratiae cooperemur, adeo enim, ut diximus, sumus infirmi, fragiles, et proni ad malum, ut semper timendum a nobis sit, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. 2.° quia etsi gratia sufficiens specie, seu natura non distinguatur ab efficaci, eaque immediate satis sit ad facilia implenda, et in difficilibus ad orandum, non ideo tamen voluntas uberiori non eget gratia, nedum ut difficilia impleat, et graves tentationes vincat, verum etiam, ut ferventer, et perseveranter oret, et quibuscumque non obstantibus tum carnis illecebris, tum Daemonis, ac Mundi incitamentis ad malum, petat nihilominus, quaerat, et pulset, et hoc orandi modo, ac perseveranter orando inferat Dei Majestati quamdam veluti vim, ipsius caeterum pietati, et Misericordiae gratam, ut Tertullianus loquitur. Et sane quod tepida oratione impetrare juxta Augustinum possimus spiritum ferventioris orationis, ex eo, ut alibi etiam diximus, colligit Cardinalis Norisius, quod S. Doctor scribit in Ps. 17. *Ego libera, et valida intentione preces ad te direxi, quoniam, ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem.*

Caeteris demum sive ex Sacris Litteris, sive ex D. Augustino, sive ex ratione petitis objectionibus respondimus *l. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 6. pag. 213., et sequ.*

## CAPUT II.

***An justis omnibus, urgente praecepto, praesto semper sit gratia vere sufficiens?***

**Prop. Urgente praecepto, justis omnibus confertur gratia vere sufficiens, ne e justitia excidant. Est de fide contra Jansenianos.**

Prob. Et 1.° ex Scripturis; cap. enim 15. Eccli. dicitur justo: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ut autem cap. ant. advertimus, dum quis dicitur ali-

quid facturus, si velit, profecto intelligitur, omnino expeditam, et absolutam scilicet, et relativam ad circumstantias, in quibus versatur, ad illud faciendum facultatem habere: Hanc ergo justum, urgente praecepto, habere, ut illa servet, et ab illis in justitia servetur, consequens est.

Idem confirmatur ex Christi verbis apud Jo. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Quod si Deus specialiter justum diligit, cuinam suspicari fas erit, quod ei deneget vera, et sufficientia auxilia ad non peccandum?

Quod ex illis item Apostoli verbis 1. ad Cor. c. 10. magis, magisque confirmatur: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*; quae de justis praecise Apostolum scripsisse, patet ex verbis immediate praecedentibus: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Ut autem disserit D. Thomas in haec verba lect. 1. in cap. 1. ep. 1. ad Cor., *non videretur Deus esse fidelis, si nos vocaret ad societatem Filii, et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quae pervenire ad eum possemus; unde Josue 1. dicit: Non te deseram, neque derelinquam*; idque utique esset, si justis deficeret, urgente praecepto, gratia vere sufficiens ad non peccandum: Patet ergo propositum.

Regerit hic Iansenius, non de justis, sed de praedestinatis Apostolum loqui, nec de gratia sufficiente, sed de efficaci, ita ut sensus sit: *Si praedestinati estis, fidelis Deus, quod faciet vos victores tentationis.*

Sed falsum utrumque: Primum nempe, tum quia ad omnes Corinthi fideles Paulus scribebat, qui non omnes erant praedestinati; tum quia ubinam praefatae conditionis vestigium? Tum demum, quia Tridentinum *sess. 24. can.* 9. ad omnes continentiae voto obstrictos sententiam Apostoli extendit. Alterum vero, 1.° quia nonne sensus risu dignus, quem nefas est Apostoli verbis tribuere: *Si praedestinati estis, fidelis Deus, quod faciet vos victores tentationis, ut possitis eam sustinere*; quasi actus possit esse medium ad potentiam, et victoria medium ad facultatem sustinendi? 2.° quia, ut diximus, ad omnes continentiae voto obstrictos Apostoli sententiam Tridentinum extendit; ex quibus cum alii illecebris carnis resistant, alii illis consentiant, nemo non videt, quod non de gra-

tia efficaci Apostolus loquitur, sed de gratia, cui interdum homo cooperatur, interdum non cooperatur.

Prob. 2.° ex Conc. Arausic. II., et Trid., ita enim illud can. 25. *Secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare velint, adimplere.* Quod deinde confirmans Trid. sess. 6. cap. 11. *Nemo* (inquit) *temeraria illa, et a Patribus prohibita voce uti debet, Dei praecepta homini justificato esse ad observandum impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Quae Tridentini verba ex ratione, quae affertur, *nam Deus impossibilia non jubet*, evidenter liquet, aeque percellere tam Lutheri, et Calvini, quam Iansenii, ejusque gregalium doctrinam. Et can. 18. *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Si autem justo deesset, instante praecepto, gratia vere sufficiens ad non peccandum, per quam posset, saltem orando, uberius necessarium auxilium sibi adsciscere ad illud implendum, en praeceptum justo ad observandum impossibile: Nulli ergo justo ejusmodi auxilium deest.

Rationem vero de hoc reddens Concilium eadem sessione, eodemque cap., *Deus namque* (ait) *sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur.* Si autem justo ipsam sufficientem gratiam ad non peccandum auferret, eum prius desereret, quam ab illo desereretur: Rursum ergo dicendum, quod nulli justo ejusmodi auxilium deest. Hinc demum in eadem sess. cap. 13., tamquam certum, et exploratum id habens, *cum Christus Jesus* (inquit), *tamquam Caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, etc.* Quibus profecto verbis nihil disertius.

Prob. 3.° ex Constitutionibus Summorum Pontificum, quibus proscripta fuit, tamquam haeretica, prima ex quinque propositionibus, qua Iansenius oppositum docere ausus fuit; ut enim disseruimus cap. ant., consequens inde est, de fide esse, et quod datur gratia vere, ac simul mere

sufficiens, et quod haec justo, instante praecepto, numquam deest.

Prob. 4.° ex Patribus; pro quibus sufficiat D. Augustinus, utpote is, de cujus auctoritate Adversarii jactantur; nedum enim in locis *tract.* 2. *cap.* 5. *prop.* 2. *pag.* 143., *et sequ.* allatis manifeste docet quod hic ostendimus, verum etiam in Ps. 7., expendens illa Davidis verba: *Justum adjutorium meum a Domino*, haec habet: *Duo sunt officia medicinae, unum, quo sanatur, alterum, quo sanitas custoditur. Juxta illud primum dictum est in superiori Psalmo: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; juxta hoc alterum in hoc Psalmo dicitur: Justum adjutorium meum a Domino . . . Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator . . . hic autem justum, quod jam justo tribuitur.* Justum nempe, seu quodammodo debitum, non quia gratiam suam Deus homini debeat, nec quia eam debeat operibus naturae; sed quia cum hominem in amicitiam suam receperit, spoponderitque, se numquam deserturum, nisi qui eum prius desereret, ad quod, ut diximus, refert D. Thomas quod Josue 1. habetur: *Non te deseram, neque derelinquam*; sui ipsius idcirco fidelitati debet, ut necessaria non desint justo ejus gratiae auxilia, ne e justitia excidat. Hinc l. sup. cit. ait Apostolus: *Fidelis Deus, etc.*. Praetermittendum quoque non est ex Aug., quod in Ps. 96. expendens verba: *Custodit Dominus animas Sanctorum suorum*, ita idem S. Doctor disserit: *Justificatus es, et deseret te? Qui justificavit impium, deseret pium? Nemo timeat: Custodit Dominus animas Sanctorum suorum.*

Prob. 4.° ex eo quod, ut disserit laud. D. Th. 1. 2. qu. 111. art. 3., *defectus quidem gratiae prima causa est in nobis, sed collationis gratiae prima causa est in Deo, secundum illud Oseae* 13. *Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum* Nulla autem assignari potest causa, ob quam Deus deneget justo ipsam gratiam sufficientem; non enim haec causa esse potest vel peccatum originale, vel concupiscentia in ipsis renatis superstes, ut enim ait Ap. ad Rom. 8., *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu*; seu, ut habet Trid. sess. 5. can. 5., *in renatis nihil odit Deus.* Neque etiam aliqua culpa venialis praecedens, cum nullatenus admitti queat, quod is, qui adhuc per gratiam

sanctificantem in Deo manet, vivumque est Jesu Christi membrum, in poenam tamen culpae venialis quovis prorsus auxilio, ne praeceps ruat in grave peccatum, destituatur: Non ergo hoc destituitur; ideoque justis, instante praecepto, praesto semper esse gratiam vere sufficientem, dicendum est.

Prob. 5.° quod cum ex ostensis *in tract. De Sacram. in genere c.* 1., annexuerit Christus Sacramentis rite susceptis nedum gratiam sanctificantem, verum etiam gratiam unicuique Sacramento respondentem, quae idcirco Sacramentalis dicitur, *jus scilicet fundatum in gratia sanctificante per Sacramentum collata ad accipienda opportuno tempore auxilia, quibus homo obtinere possit Sacramenti finem*; per Baptismum idcirco, et Poenitentiam, quibus homo justificatur, jus acquirit, qui illa rite susceperit, ad accipienda opportuno tempore auxilia, ut in accepta justitia perseverare possit. Quod cum ita sit, nedum fidelitatis, sed et quodam justitiae titulo, consequenter nempe ad praefatam Christi ordinationem, illi debentur, eaque idcirco illi non deesse, nemo in dubium vocare poterit: Rursum ergo justis instante praecepto conferri, ne e justitia excidant, magis semper, magisque est perspicuum.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Christus Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; ex quo Janseniani contendunt, quod nemo potest absque gratia efficaci Dei mandata adimplere. Justis autem in peccatum labentibus deest gratia efficax, qua illa adimpleant: Iis ergo deest gratia, qua illis possibilia essent Dei mandata, ideoque, urgente caeterum praecepto, gratia vere sufficiens.

Resp. neg. maj.; ut enim *cap. ant. resp. ad* 2. *pag.* 259. ostendimus, non de gratia efficaci, sed de ea, quae voluntatem praeveniat, laudata Christi verba intelligenda sunt.

Objic. 2.° quod D. Petrus, antequam Christum negaret, justus esset, manifestum esse ex illis Christi verbis ad Apostolos, quum eorum pedes loturus, *qui mundus est* (inquit), *non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes*,

*sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit, non estis mundi omnes*: quae verba aperte indicant, quod, praeter Judam, mundi caeteri erant, et justi. Nec ex eo, quod Petrus ad Christum ait, nimis certo fidenter: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ipsum graviter peccasse praesumptionis peccato, censendum est; ut enim D. Hieronymus in h. l. scripsit, *nec temeritas, nec mendatium fuit, sed fides, et ardens affectus* erga Salvatorem. Quod et Chrysostomus scripserat, juxta quem in allatis Petri verbis *nullus lapsus fuit, aut certe amoris, et pietatis excessus fuit.* Ipsi autem Christus ait, ut legitur Jo. 13. *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea*; ex quibus Christi verbis quid clarius, quam quod quum mortis metu Christum paullo post negavit, deerat illi gratia, qua potuisset, morte contempta, illum confiteri? Ita igitur; quare et ait de eo D. Hilarius c. 32. in Matth. *Amarissime flevit, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare.*

Resp. neg. min.; ait enim ad eum Christus: *Non potes me sequi modo, etc.*, quia, cum illi praedixisset, super eum aedificaturum se esse Ecclesiam suam, profecto non poterat id non impleri; qua idcirco super eum aedificata, et non prius, Evangelium, quod per os suum Gentes audiissent, sanguine suo obsignasset: *Petrum Christus destinarat* ( ita apposite in h. l. doctissimus Alapide), *ut post se esset Caput Apostolorum, Ecclesiae Princeps, et Gubernator, de Pontificatus Romani fundator, etc. Haec ergo prius Petrum peragere congruebat.* Cui accedit, quod tunc justis praesto est gratia, qua possint, quod Deus praecipit, adimplere, quum instat praeceptum; unde et de Martyribus ait Ap. ad heb. c. 11., quod *fortes facti sunt in bello.* Porro quum Christus laudata verba ad Petrum inquit, non adhuc instabat praeceptum Christum intrepide confitendi, tametsi pro ejus confessione mortem oppetere necesse esset: Nihil ergo exinde contra propositam a nobis thesim sequitur.

Ad id vero, quod additum est ex D. Hilario, dicimus, quod cum nemo flere possit, culpam se admisisse, quam vitare non poterat; unde Theologi omnes inquiunt, nemini opus esse, quod eum poeniteat culpae originalis: objecta idcirco Hilarii verba, non de impotentia antecedente intelligenda sunt, sed de impotentia consequente li-

beram voluntatis determinationem, seu ex defectu voluntatis, quae vim, quam sibi inferre poterat, non intulerat; eodemque sensu, quo Petro, aliisque duobus discipulis Christus in horto olivarum dixerat: *Non potuistis una hora vigilare mecum*, quia nempe vim sibi inferre, prout poterant, noluerant.

Objic. 3.°, quod nonne, Deum nemini suam gratiam debere, ex ipso gratiae etymo manifeste sequitur? Quod cum ita sit, omnibus, ipsisque justis, eam denegare potest: Ita igitur; nec proinde certum saltem, quod justis ipsis, tametsi urgente praecepto, eam, ipsamque sufficientem conferat.

Resp. neg. sequ. min.; licet namque nemini illam debeat, sibi tamen debet, ut homini tribuat auxilia, quibus praecepta a se illi imposita servare possit, si enim ait D. Leo Magnus serm. 6. de Pass. Dom. *Juste nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio*, instaretne juste, nec non sapienter, et provide homini praeceptis suis, dum simul non praecurreret auxilio? Accedit quoad justos, quod supra inter probationes diximus; iis nempe Deum quodam etiam fidelitatis, et justitiae titulo teneri ad necessaria illis auxilia concedenda, quamdiu per aliquod peccatum e justitia non excidant: *Debitorem Dominus ipse se fecit* ( ita apposite D. Aug. in Ps. 83. ), *non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: Redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti.*

Objic. 4.° Quidnam per gratiam, qua justus, instante praecepto, possit illud adimplere, nisi intellectus illustratio illi ostendens, quid aversari, quidque eligere debeat, nec non motio inclinans ejus voluntatem ad aversandum malum, et eligendum bonum? Porro non omnibus justis in peccatum labentibus ejusmodi illustratio, et motio confertur; utriusque enim, cum e justitia exciderint, meminisse deberent, quod non omnes saltem confiteri possunt: Neque ergo omnibus conferri gratiam, qua possint Dei mandata adimplere, idest sufficientem, dicendum est.

Resp. neg. min.; vix namque est, saltem ex justis, qui antequam peccato consenserit, quum e justitia excidit, stimulos expertum non esse, possit adstruere, qui eum a peccato coercebant, ad Deum saltem illum exstimulando, ut uberius auxilium posceret. Nec ratio allata quidquam facessit, pleraque enim nobis animo obversan-

tur; quae tamen cum subito transierint, fuerintque in nobis in similitudinem fulguris coruscantis, eorum postea nullatenus reminiscimur.

Iis demum, quae ex D. Augustino a Ianseniaris objiciuntur, respondimus *tract.* 2. *cap.* 5. *pag.* 150., *et sequ.*

## CAPUT III.

*An etiam peccatoribus, ipsisque induratis, et excaecatis, gratia vere sufficiens, ut, urgente praecepto, nova caveant peccata, atque a praeteritis resipiscant, conferatur?*

Prop. Ipsis peccatoribus, etiamque induratis, et excaecatis, non deest gratia vere sufficiens, qua, urgente praecepto, nova caveant peccata, et a praeteritis per conversionem resipiscant. Ita verisimilius, et communius post D. Th. 3. *p. qu.* 86. *art.* 1., nec non *qu.* 24. *de verit. art.* 11., Bellarminum, Suaresium, etc. adversus Ariminensem, Abulensem, aliosque.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; Ezech. namque c. 5. *Nolo mortem impii* (Deus ipse testatur), *sed, ut convertatur a via sua, et vivat.* In 2. Pet. ep. c. 3. dicitur de Deo, quod *patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Actuum item 7., *Dura cervice* (inquit D. Stephanus ad Iudaeos), *et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Demum Ap. ad Rom. 2. hominem arguens peccatis peccata adjicientem, *an* (inquit) *divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiem tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei.* Quod si nemo hisce in locis excipitur, immo dicitur, et quod ipsorum impiorum Deus mortem non vult, sed ut convertantur, et vivant, quin aliquem perire velit; et quod etiam hominibus durae cervicis Spiritus Sanctus assistit, non enim, nisi iis assisteret, ipsi illi resisterent; et quod divitias cum iis adhibet bonitatis, et patientiae, et longanimitatis, ut eos ad poenitentiam adducat: his prae oculis habitis, nonne aperta vis fieret tam luculentis Sacrarum Litterarum testimoniis, excipiendo ab iis aliquos, ipsosque induratos, et excaecatos;

quos Deus gratia sufficiente, ut nova caveant peccata, et a praeteritis resipiscant, destituens, neque eorum conversionem, et vitam vellet, neque iis amplius Spiritus Sanctus assisteret, neque demum cum iis impenderet divitias bonitatis, et patientiae, et longanimitatis, ut eos ad poenitentiam adduceret?

Accedunt Scripturae textus, ubi dicitur de Pharaone post suam obdurationem, quod in ejus tamen potestate erat converti, et Dei placitis acquiescere; cum enim Moyses Exodi c. 7. dixerit, cor Pharaonis induratum fuisse, Dei tamen nomine illi dicitur c. 8. *Dimitte populum meum; si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam, etc.*. Et c. 9. *Si adhuc renuis, et retines eum, ecce manus mea etc.*. Et c. 10. *Usquequo non vis subjici mihi? Etc.*. Quod cum ita sit, quis non videt, post ejus etiam obdurationem in potestate habuisse, ut converteretur, et Dei placitis acquiesceret; eique idcirco gratiam ad id sufficientem non defuisse, nec proinde caeteris quoque obduratis post eorum obdurationem deesse?

Prob. 2.° ex Conciliis; absolute enim inquit Conc. Lateranense IV. cap. *Firmiter* num. 1. *Et si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram poenitentiam semper potest reparari.* Quod et deinde ait Tridentinum sess: 6. cap. 5., *exordium* ( inquiens ) *justificationis sumendum a Dei per Christum Jesum gratia praeveniente, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata Deo aversi erant, per ejus excitantem, et adjuvantem gratiam disponantur.* Quae cum absolute, et indefinite pronuncientur, de omnibus profecto, quantumcumque scelestis, peccatoribus, ipsisque induratis, et excaecatis esse intelligenda, quatenus nemini ex iis desit gratia sufficiens, qua ad Deum per veram poenitentiam redire possit, si velit, verisimilius videtur, secus namque non *semper* prolapsus in peccatum posset per veram poenitentiam reparari, sed donec non esset induratus, et excaecatus; nec generatim *qui per peccata a Deo aversi sunt*, per ejus excitantem, et adjuvantem gratiam disponi possent ad justificationem, sed qui a Deo aversi non essent usque ad indurationem, et excaecationem.

Prob. 3.° ex Patribus. Et 1.° D. Augustinus immerito prorsus ab Adversariis in patrocinium eorum sententiae adscitus, *nulli homini* ( ita diserte docet l. 3. de lib.

arb. c. 19 ) *ablatum est scire utiliter quaerere quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quaerenti, et confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat.* Ubinam ab hac generali enunciatione ulli peccatores, ipsique indurati, et excaecati excipiuntur? Expressius tamen in Ps. 6., ubi Ap. verba expendens: *Dedit eos in reprobum sensum*, explicat, quonam sensu id sit intelligendum: *Ea est* ( inquiens ) *caecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est.* Concinit Auctor librorum de vocatione Gentium, qui D. Prosper, vel D. Leo Magnus fuisse creditur; ita enim l. 2. c. 21. *Credimus, nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam.* Et D. Prosper resp. 15. ad objectiones Vincentianas: *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

Prob. 4.° auctoritate D. Thomae qu. 24. de verit. art. 11., ubi definit, *induratum esse eum, qui non de facili possit cooperari ad hoc, quod exeat de peccato.* Quod si inquit tantum, non posse eum ad id de facili cooperari, hoc ipso supponit, eum non destitui prorsus gratia, qua ad id cooperari possit, licet non de facili: Ita igitur.

Quod et demum multiplici ratione evincitur: 1.° enim ex ostensis *l. 2. tract. 12: cap. 4. prop. 2. pag. 261., et sequ.*, Deus vera, interna, ac formali voluntate omnes, et singulos homines vult salvos fieri, et Christus pro omnibus, et singulis hominibus mortuus est. Id autem concipi nequit, quin simul concipiatur, omnibus, et singulis hominibus, ideoque et peccatoribus, ipsisque induratis, et excaecatis, gratias vere sufficientes conferre, qua salvi fiant, idest qua proxime, vel remote nova caveant, urgente praecepto, peccata, et a praeteritis resipiscant: Hanc ergo nemini ex illis deesse, est dicendum. 2.° ex eo quod suntne ipsi peccatores indurati, et excaecati in statu termini, an in statu viae? Profecto in hoc. Essent autem non in statu viae, sed in statu termini, si ad hunc, Coelestem nempe Patriam, non amplius pervenire possent; nec possent amplius ad hanc pervenire, si ipsamet gratia sufficiente destituerentur: Eos ergo hac non destitui, consequens est. 3.° ex eo quod absonum dictu videtur, quod induratorum, et excaecatorum status ipso

damnatorum statu deterior sit. Ejusmodi autem esset in hypothesi, quod ipsamet gratia sufficiente carerent; dum enim ad Inferos detrusi nequeunt amplius demereri, ipsi e contrario et novis peccatis, et novis demeritis necessario in dies cumularentur: Eos igitur sufficiente saltem gratia non carere, rursum sequitur. 4.° ex eo quod Deus nec jubet, nec jubere alicui potest impossibilia. Ejusmodi autem essent ejus mandata cuicumque deesset gratia sufficiens, qua illa adimplere posset; ex ostensis namque *tract. ant.*, nequit homo solis naturae viribus absque gratia vel omnia legis naturalis praecepta quoad ipsam substantiam servare, vel graves tentationes vincere: Iterum ergo, atque iterum nemini eam deesse, magis, magisque perspicuum est.

Regerunt quidem ad hoc postremum Adversarii, quod impossibilitas antecedens liberam voluntatis determinationem tollit liberum, non vero consequens. Ejusmodi autem est impossibilitas, qua laborant indurati, et excaecati, Dei mandata servandi; consequens nempe praeterita eorum peccata, quibus indignos se effeceruut gratia, qua illis essent possibilia, nec proinde illis impossibilia sunt Dei mandata, nisi quia ipsi illa sibi reddiderunt impossibilia: Neque igitur ex eo, quod destituuntur gratia sufficiente, consequens est, quod illis Deus jubeat impossibilia. Paucis: Cum ex praecedentibus eorum culpis relicti a Deo fuerint absque gratia sufficiente, eorum proinde impossibilitas Dei mandata servandi est voluntaria in causa, eique similis, quae est in ebrio eadem servandi, a quorum idcirco transgressione non excusatur.

Sed resp. neg. min.; tametsi enim ob praeterita eorum peccata destituerentur gratia sufficiente, qua illis Dei mandata essent possibilia, nonne tamen impossibilitas Dei mandata servandi, qua laborarent in statu destitutionis cujusvis gratiae, nonne, inquam, ejusmodi impossibilitas oriretur ex defectu virium, quas culpa quidem sua amisissent, quin tamen futurum hunc virium defectum, effectusque inde secuturos voluerint? Non ergo impossibilitas Dei mandata servandi, qua laborarent, dicenda esset consequens, sed antecedens liberam eorum voluntatis determinationem, quippe non servarent utique Dei mandata, quia non vellent, sed id non vellent libere, quia non possent utrumlibet, et servare scilicet Dei mandata, et non servare. Et sane, nonne iniquissimum,

et crudelissimum Dominum nemo non diceret praecipientem servo, qui culpa sua tibias sibi fregisset, ut in tali statu curreret; eumque, quia tibiis fractis non curreret, nec posset currere, severe tamen puniret? Allatum autem exemplum rei, de qua agitur, apprime respondere, cuivis consideranti fit perpicuum. Nec quidquam facessit similitudo ex ebrio ducta; illa enim peccata, quae in ebrietate committit, ei dumtaxat imputantur, quae ante ebrietatem in confuso saltem praevidit se in ebrietate commissurum. Hos autem cum vitare potuisset, se non inebriando, iis proinde ante ebrietatem consensit hoc ipso, quod ebrietati consensit, eique idcirco merito, optimoque jure imputantur. Longe tamen abest ab hujus ebrii similitudine casus, de quo agitur; suis namque cupiditatibus indulgens non praevidet, sed tantum timere potest, se idcirco in indurationem, et excaecationem casurum; nec praevidet peccata, in quae ob defectum gratiae subinde decidet; nec demum haec sola illi imputanda essent, si hanc ob causam illi imputari possent, verum etiam ea, in quae lapsus non fuit, sed ob eamdem causam prolabi in ea potuisset, aeque enim omnia voluisset, iisque consensisset in causa.

Videretur et ratio addenda ex eo quod *nemo peccat* ( ut ait D. Aug. l. de lib. arb. c. 18. ) *in eo, quod cavere nullo modo potest*; quod et repetit *l.* 1. *de peccat. merit.*, *et remiss.* c. 35., aliisque in locis. Ipsi autem indurati, et excaecati peccant, aliisque, atque aliis peccatis gravantur, quum transgrediuntur Dei mandata; nec possent ab illis cavere, si omni prorsus gratia, qua ipsis possibilia fierent, destituerentur: Dicendum igitur, quod hac non destituantur. Haec caeterum ratio, quamvis primo aspectu videatnr vim habere, intime tamen perspecta nihil roboris habet; nedum enim ad peccandum, verum etiam ad merendum, et demerendum in statu viae, sufficit, ut diximus *in tract. de Actib. hum. c.* 3., libertas exercitii, quin etiam sit specificationis. Hinc Bellarm. l. 5. de gr., et lib. arb. c. 14., *daemones* ( docet ) *vere peccare*, *et bonos Angelos opus vere laudabile facere*, *quamvis nec poena*, *nec praemium essentiale crescere possit*, *cum utrique sint in termino*, *et omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis*, *vel gloriae sempiternae pertineant*. De quo rationem reddit, inquiens; *tam Angelos sanctos*, *quam malos Daemones respectu*

*finis ultimi non habere liberum arbitrium à necessitate, tamen respectu mediorum liberum arbitrium etiam a necessitate habere, quia multa faciunt, quae possunt non facere, et e contra.* Quod et prosequens Petavius l. 4. de Opif. sex dier. c. 9. n. 3., insulsum, et absurdum dicit, liberum inesse arbitrium, ob id negare, quod desit potestas ad bonum, et ad malum, ac inde colligere, voluntatem sic determinatam esse ad unum, ut indifferentiam non habeat. *Quid enim* ( inquit )? *Non saltem eo ipso habet ancipitem, indifferentemque motionem, quod vel in malis unum quidem optare potest e pluribus, vel cum istis naturalia bona, et honesta comparare? Quod ad electionis, arbitriique suspensionem, hoc est libertatem sufficit.* Ratio vero est, ut l. cit. disseruimus, quia per libertatem exercitii homo vere, et proprie ita dominus est sui actus, ut possit eum non ponere. Sic, ut ibi addidimus, motus S. Apolloniae, quum peculiari Spiritus Sancti afflatu sponte insiliit in rogum sibi paratum, utique ad meritum illi profuit, licet quoad illum expers fuerit libertatis specificationis, sed tantum fuerit libera libertate exercitii, quatenus intrepida, ac fervens Virgo praeveniens carnificis ministerium, sponte in rogum se injecit, disposuitque de illo actu, quem poterat non ponere. Sicut etiam reus ad mortem damnatus, et patibulo constrictus, si ex desperatione praeveniat carnificem, et e scala seipsum praecipitet, graviter peccat, poenamque aeternam ob id meretur; licet quoque expers quoad id libertatis specificationis, et tantum liber libertate exercitii.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex Scripturis quod legitur Eccl. 7. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Item quod Deus per Jeremiam ait c. 51. *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam.* Nec non per Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum.* Habetur quoque de Antiocho l. 2. Mach. c. 9. *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Haec autem litteraliter omnem prorsus subtractionem gratiae significant: Induratis ergo, et excaecatis omnem prorsus gratiam Deum eripere, est dicendum. Idque magis confirmatur ex eo, quod de

Judaeis legitur Jo. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* Per gratiam autem, quae dat posse bonum, quaenam, nisi gratia sufficiens? Cum ergo dicatur, quod non poterant credere, eo quod Deus eorum oculos excaecaverat, et cor eorum induraverat, significatur profecto, quod ipsamet gratia sufficiente destituebantur. Apostolus demum ad Rom. 1. eos, qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, traditos a Deo inquit *in desideria cordis eorum*: per quod cujusvis quoque gratiae subtractionem designari, nemo est, qui non videat.

Resp. Et quidem quoad ea, quae 1.° loco allata sunt, neg. min.; ad textum enim Eccl. dicitur, neminem in dubium vocare posse, quod nemo potest corrigere, quem Deus gratia interiore non illustret, ac moveat. Quidnam autem inde adversus thesim propositam? Ad textum autem Jeremiae, mala tantum, quae a Regibus Medorum Babyloni impendebant, praenuntiari. Ea vero, quae subinde objecta sunt, intelligi ab Interpretibus de poenis temporalibus, quibus Deus in impiorum scelera irremisibiliter animadvertit, tametsi petant ab iis liberari: vel si etiam ad gratiae dona extendi velint, illis Deus, tametsi petentibus, denegat, quia ea non petunt, sicut oportet.

Ad argumentum autem petitum ex c. 12. Joannis resp. neg. cons.; non enim, quia ipsamet gratia sufficiente destituti essent, ait de iis Joannes, quod non poterant in Christum credere, siquidem si penes eos non fuisset cum Dei gratia, ut in illum crederent, an non nugatorium, quod Christus *tanta signa fecisset coram eis*, ut idem Joannes testatur? Dicendum igitur, quemadmodum explicat Cornelius a Lapide, quod cum non possit mentiri Scriptura, nec falli praescientia Dei, quae eos non credituros per Isaiam praedixerat, neque etiam fieri poterat, quod cum Isaias praedixisset, Judaeos non credituros in Christum, ipsi tamen ei crederent. Id autem praedixit, quia praevidebat, eos sua libertate, pertinacia, et malitia non credituros in Christum. Nec D. Augustinus adversatur; quod enim praefata Joannis verba hoc quoque sensu interpretetur, patet ex ejus tract. 53. in Jo., ubi, *hoc* (inquit) *Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant credere? Cito respondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum vo-*

*luntatem praevidit Deus*; *et per Prophetam praenuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt.* In quae Aug. verba advertit Cont. Tourn., quod si Judaei ex defectu gratiae, et potestatis credere non potuissent, non debuisset Augustinus dicere, non poterant, quia nolebant, sed potius nolebant, quia non poterant; sicut de debitore, qui solvendo par non est, recte non dicitur, non solvere, quia non vult, sed quia non potest. Hinc de iisdem S. Doctor l. de gr. et lib. arb. c. 12. *Gratiam* (inquit) *repellebant, et in Christum propterea non credebant.*

Impios demum a Deo tradi in reprobum sensum, in passiones ignominiae, in desideria cordis eorum, recte intelligitur, ac utique explicatur per subtractionem gratiae efficacis, et collationem gratiae remote tantum sufficientis, atque hujus privationem ad tempus, ullo praesertim non urgente praecepto. Quo plane modo nedum satisfit objectis Apostoli verbis, verum etiam aliis consimilibus, quae ex Sacris Litteris objiciuntur, quaeque idcirco in medium proferre, superfluum ducimus.

Objic. 2.° ex D. Aug quod ait in Ps. 145. n. 9., quod *Deus non deserit opus suum, si ab opere suo non deseratur*; quae S. Doctoris verba consecravit deinde Trid. sess. 6., *Deus* (inquiens) *neminem deserit, nisi prius deseratur.* Excaecatum quoque appellat idem Aug. l. de perfect. just. c. 19. *desertum omni lumine veritatis*; et quidem ita desertum, ut de eo addat l. 1. Retr. c. 15, quod *cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest.* Dixerat quoque de Pharaone in expositione quarumdam propositionum ex ep. ad Rom., adeo in poenam suae obstinationis desertum a Deo fuisse, ut *illi non imputaretur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se praebuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.* His porro omnibus quis non videt, cujusvis prorsus gratiae subtractionem significari? Quavis ergo gratia induratos, et excaecatos destitui, est dicendum.

Resp. neg. min.; quoad 1.m enim, non aliud tam Augustini, quam Tridentini verba significant, quam quod neminem Deus deserit vel per subtractionem gratiae habitualis, vel per subtractionem uberioris gratiae actualis, nisi ab eo prius deseratur, ita ut defectus utriusque gratiae numquam a Deo, sed ab homine petendus sit. Et sane, si quotquot per peccatum Deum deserit per subtra-

ctionem gratiae habitualis dicendum quoque esset a Deo deseri per subtractionem cujusvis prorsus gratiae actualis, sequeretur ex hoc, quod, gratia habituali semel amissa per peccatum, nemo amplius salvus fieri posset per veram conversionem, et poenitentiam, sed deperare de sua salute deberet; quod nefas dictu. Quod vero laud. S. Doctor excaecatum dixerit *desertum omni lumine veritatis*, quodque *cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest*, intelligendum utrumque est juxta ejus mentem aliis in locis luculentius expressam, quosque inter probationes produximus; ita nempe, ut ad tempus tantum ita desertum dixerit, sed *nondum penitus, cum in hac vita est*; nec ita, ut omnino non possit cogenti cupiditati resistere, sed non absque difficultate, eoque sensu, quo dicitur Ecclesiastes 7., quod *perversi difficile corriguntur*. Quare et ait D. Th. l. sup. cit., quod induratus *nequit de facili coeperari ad hoc, ut exeat de peccato*. Ad id demum, quod de Pharaone allatum ex eo est, respondet Bellarminus, Augustinum mutasse sententiam; cum enim id scriberet, Semipelagianorum errore adhuc detinebatur, quod homo neque infidelis, neque fidelis sit, nisi ex naturae viribus, quodque illi per proprias vires fideli suam Deus retribuit gratiam, ita ut nisi naturale hoc meritum praecedat, nulla etiam umquam sequatur gratia. Numquam autem in Pharaone praecessit istud fidei meritum: licet enim vidisset Moysis signa, obstinato semper animo inquit: *Nescio Dominum*: Neque ergo in eo ullam umquam fuisse gratiam, ajebat; nec illi idcirco imputatum fuisse, quod *tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se praebuit, cui cor obduraretur priore infidelitate*. Hunc tamen Semipelagianorum errorem, quo prius detinebatur, deinde excussit; ex cujus idcirco posterioribus libris genuina ejus sententia petenda est. Et sane, ita de eodem Pharaone S. Doctor l. de praed. et gr. c. 14. *Numquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantae virtutis Auctorem agnoscere?* Et c. 15., eum inter, et Nabucodonosor comparationem instituens, *quantum ad naturam* (inquit), *ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes; quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo*

*fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriae iniquitatis ingemuit; alter libero contra Misericordiosissimam Dei veritatem repugnavit arbitrio?* Ex quibus Augustini verbis, seniorem eum retractasse, quod junior scripserat, nemo est, qui non videat.

Objic. 3.°, quod si ipsis induratis, et excaecatis daretur gratia sufficiens, nullum esset hos inter, caeterosque peccatores discrimen, nec eorum indurationi, et excaecationi aliqua responderet idea. Hoc falsum: Et falsum igitur, quod illis detur gratia sufficiens.

Resp. neg. sequ. maj.: induratis enim, et excaecatis adest tantum gratia sufficiens, urgente praecepto; eaque ut plurimum remote tantum sufficiens, qua possent, si vellent, gratiam proxime sufficientem sibi per orationem adsciscere. Ut vero a praeteritis resipiscant, rarius, quam caeteris peccatoribus, illis a Deo datur, eaque etiam ut plurimum remote tantum sufficiens; qua etiam non raro ad tempus omnino destituuntur. Hinc de iis ait Augustinus, ut supra diximus, quod *ab interiori Dei luce secluduntur, sed nondum penitus, cum in hac vita sunt*. Et D. Th., quod *non de facili cooperari possunt ad hoc, ut exeant de peccato*.

Objic. 4.°, quod, ut Bellarminus scribit l. 2. de gr. et lib. arb. c. 4., *nulla esset in in Deo iniquitas, si non solum aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret. Haec propositio certissima est apud eos, qui ex Divinis Litteris peccatum originale noverant. Nam cum per peccatum primi hominis nascamur omnes filii irae, nihil nobis jure debetur, nisi poena*. Hinc Auctor Sap. c. 12., *Quis* ( ad Deum inquit ) *stabit contra judicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Quia nempe, ut D. Aug. subdit l. de dono persev. c. 8., *si neminem liberaret, non esset injustus*. Quod si absque ulla injustitiae labe omnibus etiam hominibus sufficiens auxilium ad salutem negaret, multo magis absque ulla injustitiae labe illud negare potest peccatoribus, ac maxime induratis, et excaecatis: Valde ergo dubium saltem, quod illis non desit.

Resp. neg. cons.; quamvis enim verum, immo verissimum sit, quod absque ulla injustitiae labe omnem pec-

catoribus denegare Deus posset gratiam ad salutem, cum tamen illis ob suam benignissimam Misericordiam non denegare, satis, superque colligitur ex ipsismet ejus verbis, quod eorum mortem non vult, sed ut convertantur, et vivant, quia aliquem ex iis perire velit, propterea quod omnes vult salvos fieri. Quaeriturne autem de eo, quod Deus posset, an de eo, quod ex sua benignitate, et Misericordia disposuit quoad illos etiam, qui in ejus Majestatem actualiter deliquerint, donec mortalem hanc vitam ducant, et e via ad terminum non pervenerint?

## CAPUT IV.

*An infideles tam negativi, quam positivi habeant gratiam vere sufficientem, qua possent ad fidem converti, et ad salutem pervenire?*

Prop. Ipsis Infidelibus, tam negativis, qui scilicet de Christo nihil umquam audierunt, quam positivis, qui scilicet annuntiato Christi Evangelio contradixerunt, gratiam vere sufficientem non deesse, qua, remote saltem, possent ad fidem converti, et ad salutem pervenire, communior, et verisimilior sententia est. Ita prae aliis Bellarm., et Suar.

Prob. Et 1.° etiam ex Scripturis: in quibus Auctor Sap. c. 11. absolute, et indefinite ad Deum ait: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti . . . parcis autem omnibus, quoniam tuae sunt, Domine, qui amas animas.* Quo item modo dicitur de Verbo Jo. 1., quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Et de Christo ab Apostolo ad Tim. ep. 1. c. 4., quod *Salvator est omnium hominum, maxime fidelium.* Hinc et dixerat c. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes . . . pro omnibus hominibus . . . Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quibus profecto verbis nihil expressius; quomodo enim illis inesset veritas, si absolute etiam, et indefinite omnibus, ideoque ipsis

Infidelibus tam negativis, quam positivis, gratia vere sufficiens non daretur, qua, remote saltem, possent ad fidem converti, et ad salutem pervenire? Ita igitur.

Prob. 2.º ex Ecclesiae Doctoribus Augustino, et Thoma; ita enim 1.º Augustinus l. de spir., et litt. c. 33. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene, vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Agnoscit itaque S. Doctor, quod Infideles ipsi, qui Evangelio non credunt, ideoque ipsimet positivi, Dei tamen largitate, ejusque donis in ordine ad salutem non destituuntur; quodque si illis bene uterentur, prout iis liberum esset, et juxta Dei voluntatem, utique ad agnitionem veritatis, et ad capessendam ejus Misericordiam pervenirent. Et enarr. in Ps. 18. expendens illa verba: *Non est, qui se abscondat a calore ejus*, sic habet: *Non permisit, ullum mortalium excusare se de umbra mortis, et ipsam enim penetravit Verbi calor.* Ita vero D. Thomas qu. 14. de verit. art. 11. ad 1., ubi, *si quis* ( inquit ) *nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime est credendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Apposite etiam Paulus Orosius Presbyter Hispanus, qui in Africam trajecit, ut D. Augustinum adiret, et adversus Pelagium scripsit Apologeticum de arbitrii libertate, ubi: *Mea semper* ( inquit ) *haec est fidelis, atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum, non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam universis in hoc Mundo gentibus longanimem suam, aeternamque clementiam subministrare.* Itemque Auctor librorum de vocat. gentium, sive D. Prosper, sive D. Leo Magnus fuerit, l. 2. c. 5. *Adhibita semper est universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parcioris, occultiorisque gratiae fuit, sufficit tamen,*

*sicut Dominus judicavit*, *quibusdam ad remedium*, *omnibus ad testimonium*. Quae omnia cum explicatione non egeant, utpote clarissima, ne tempus idcirco inutiliter teramus, ad alia progredimur. Itaque

Prob. 3.° ratione theologica; ipsis namque Infidelibus legis naturalis praecepta instant, ac modo in aliquibus ab ignorantia invincibili non excusentur, majoribus suppliciis, quum ea transgrediuntur, sese in aeternitate obstringunt. Nemini autem Deus vel jubet, vel jubere potest impossibilia; nec homo ex ostensis *tract. ant. cap.* 2. *prop.* 1. *pag.* 183. potest solis naturae viribus absque gratia ea omnia quoad ipsam substantiam servare: Neque igitur illis deesse gratiam, qua illa servare possint, magis, magisque perspicuum est.

Quibus demum accedat Decretum Alex. VIII., quo an. 1690. proscripta fuit prop. inquiens: *Pagani*, *Judaei*, *Haeretici*, *aliique hujus generis homines nullum omnino accipiunt a J. C. influxum*: *adeoque hinc recte inferes*, *in illis esse voluntatem nudam*, *et inermem sine ulla gratia sufficiente*. Nec non Constitutio *Unigenitus*, qua Clemens XI. proscripsit Quesnelli propositiones, ex quibus 26., 27., et 29. ajebant: *Nullae dantur gratiae*, *nisi per fidem*. Et: *Fides est prima gratia*, *et fons omnium aliarum*. Et: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*: Certo enim certius inde sequitur, quod Pagani quoque, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis homines aliquem accipiunt a Christo influxum, ac in illis, saepenumero saltem, inermis, et nuda non est voluntas, sed sufficientis gratiae auxilio suffulta: quodque iis etiam, qui fidem non habent, suntque extra Ecclesiam, conferuntur tamen a benignissima Dei Misericordia, et largitate gratiarum dona.

De parvulis tandem Infidelium hic non agimus, cum enim de parvulis fidelium, qui sine baptismo decedunt, disseruerimus, quantum satis erat, *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 4. *resp. ad* 10. *pag.* 277., *et sequ.*; eorumque etiam dixerimus, Deum salutem velle, quantum in se est, cum et ipsi, ut disserit D. Aug. l. 4. cont. Julian. c. 8., homines sint, ad quos idcirco etiam pertinet, quod dictum est: *Omnes homines vult salvos fieri*: idem proinde, quod ibi diximus de parvulis fidelium, hic quoque de parvulis infidelium est dicendum. Diximus nempe de illis, 1.° utique credendum, quod eos etiam Deus vult

salvos fieri voluntate antecedente eo loci explicata; cum enim universalissima Ap. sententia in ep. 1. ad Tim. c. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri* non loquatur de hominibus in abstracto consideratis, quos non infecerit peccati virus, quique non essent, nisi merum ens rationis, sed de hominibus ex Ada prognatis, infectisque idcirco originali labe: quis non videt, quod omnino gratis, et immerito ab adeo universali sententia exciperentur parvuli absque baptismo decedentes, utpote originali labe inquinati? Cui accedit, quod eodem modo loquitur Apostolus in ep. 2. ad Cor. c. 5. de iis, pro quibus mortuus est Christus, quo de iis, qui in Adam mortui sunt; *Si unus* ( inquiens ) *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; ex quo sequitur, ita pro omnibus, qui in Adam mortui sunt, Christum mortuum fuisse, ut sicut nemo est, una B. Virgine peculiari prorsus privilegio excepta, qui mortuus non fuerit in Adam, ita nemo sit, pro quo Christus mortem non oppetierit. Deum autem velle omnes homines salvos fieri, et Christum pro omnibus mortuum esse, sunt, ut diximus *l. 2. tract. 12. cap. 4. pag.* 256., tamquam causa, et effectus: Et parvulos ergo absque baptismo decedentes Deum velle, quantum in se est, salvos fieri, est dicendum. 2.° diximus, quod cum salvari nequeant per seipsos, eorum saluti sufficienter Deus providit, providendo, ut ad eos perveniret baptismus per parentes; qui ubi id non negligant, nec tamen perveniant ab baptismi gratiam, quia morte praeveniantur, in hoc quoque casu eorum etiam Deus salutem vult, quantum in se est, cum et hoc aliud non probet, quam quod non vult eorum salutem omni, quo potest, modo, ita ut etiam miraculis illam velit, atque ob illam causarum secundarum ordinem immutet. Hoc autem sensu intelligendum esse, hic addimus, D. Augustinum l. de dono persev. c. 12., ubi ait: *Plerumque festinantibus parentibus, et paratis Ministris, ut parvulo Baptismus detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paullulum in hac vita non tenuit, ut daretur*; scilicet, Deo id nolente voluntate absoluta, et consequente ipsum naturalem causarum secundarum ordinem: qua voluntate, absoluta nempe, praedestinatorum tantum salutem velle, omnes consentiunt.

His positis, totum hoc parvulis quoque infidelium facili opera applicari potest: aeque enim si eorum paren-

tes cooperarentur gratiae sufficienti, qua possent servare praecepta legis naturalis per lumen rationis ab iis cognita, non negaretur eis baptismi gratia, ac per eos illorum etiam parvuli ad eamdem gratiam pervenirent, ubi causarum secundarum ordo non esset impedimento, quin illis administraretur. Hinc ad eos quoque referri potest, quod scripsit Auctor librorum de vocat. Gentium c. 23. *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus; qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.*

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Christus Matth. 11. *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio poenitentiam egissent.* Fuit autem gratia credendi in Christum Corozaim, et Bethsaidae concessa non plus, quam sufficiens: Hanc igitur negatam Tyriis, Sydoniisque fuisse, consequens est; ideoque et consequens, non omnibus Infidelibus gratiam sufficientem conferri.

Resp. dist. cons.; quod nempe illis negata fuerit gratia credendi in Christum, propterea quod cooperati non fuerant gratiae sufficienti illis collatae ab observanda praecepta legis naturalis; non vero omnis omnino gratia sufficiens, qua observando praecepta legis naturalis, ipsam recepissent gratiam in Christum credendi. Porro non diximus, quod omnibus Infidelibus immediate detur gratia sufficiens fidei, qua in Christum creditur; sed cum D. Thoma, quod iis datur gratia sufficiens ad observanda legis naturalis praecepta, quae rationis ductu cognoscant; quodque si hac bene utantur, tum fidei, tum salutis consequendae viam sibi aperiunt. Tyriis autem, Sydoniisque non defuisse gratiam sufficientem, qua potuissent praecepta legis naturalis implere, eaque simul non implevarint, patet ex verbis postremo positis, secus namque non habuissent, de quo egissent poenitentiam in cilicio, et cinere.

Objic. 2.° idem dictu esse, quod Deus *in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas:*

ita ut illis dici possit: *Eratis . . . sine Christo . . . promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc Mundo*, idem, inquam, id dictu esse, ac sine ulla prorsus gratia fuisse. Conceptis autem verbis utrumque legitur Act. 14., et ad Eph. 2.: Et praeteritas ergo illas gentes, et caeteras modo illis similes, utpote aeque absque fide, omnes sine ulla prorsus gratia et fuisse, et esse, consequens est.

Resp. neg. maj.; non enim quoad 1.m id dicitur absolute, sed comparate ad Iudaeos; ut patet ex eo, quod subditur c. 17., potuisse tamen Gentes in illis praeteritis temporibus Deum quaerere, et invenire; quod utique non potuissent sine ulla prorsus gratia, ipsa scilicet sufficiente. Hinc Auctor librorum de vocat. Gent. l. 2. c. 4., *nec praeteritis saeculis* (inquit) *gratia defuit Mundo: quamvis enim speciali cura Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliae nationes suas vias ingredi permissae sint, non ita se tamen aeterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum, nullis significationibus admoneret.* Quod si item fuisse dicuntur promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc Mundo, tales dicuntur fuisse, ut recte explicat Duhamelius, quia cum essent alieni a foederibus cum Abraham, Isaac, et Iacob sancitis, nihil ad illos spectabant ea foedera, erantque verum Deum ignorantes, et falsos colentes.

Objic. 3.°, quod nonne tam de praeteritis, quam de praesentibus Infidelibus praedicatione Evangelii destitutis dicendum, quod ait Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? . . Ergo fides ex auditu.* Quod si fides ex auditu, nec sine praedicante, nemo non videt, quod quibuscumque defuit, ac deest auditio Evangelii, ac praedicans illud eis annuntians, defuit quoque, ac deest gratia sufficiens ad fidem, ideoque etiam ad salutem: Falsum ergo, hanc Infidelibus non deesse.

Resp. neg. sequ. min.; 1.° enim ait Apostolus, quod fides ex auditu, nec sine praedicante, quia secundum ordinariam Dei legem non aliter concipitur; non quia numquam, Deo extraordinarie operante, aliter concipi possit. Istud vero aliquibus concedi, nedum docuit l. sup. cit. D. Thomas, sed et possibile agnoverat D. Aug. l. de dono persev. c. 19., ubi: *Paucissimis* (inquit)

*esse donatum, ut nullo sibi homine praedicante, per ipsum Deum, vel per Angelos Coelorum doctrinam salutis accipiant.* 2.° quia quibuscumque defuit, ac deest auditio Evangelii, ac praedicans illud eis annuntians, defuit quidem, ac deest gratia proxime sufficiens ad fidem, non vero ad eam remote sufficiens, qualis est gratia servandi praecepta legis naturalis, quae rationis naturalis ductu cognosci possunt; his namque ab illis servatis absque ullo gravi peccato, certissime Deus, ut cum D. Thoma diximus, vel per Angelorum ministerium, vel per illustrationem internam ab ipso immediate immissam, vel etiam per aliquem Evangelii praedicatorem illis fidei gratiam largitus esset; cujus proinde defectus non ex defectu gratiae remote sufficientis ad fidem, sed ex eorum culpis petendus est.

Objic. 4.° quod Trid. ait sess. 6. c. 3., quod *etsi Christus pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Nonnisi autem per meritum Passionis Christi datur gratia sufficiens quibuscumque datur; ex quo sequitur, quod si omnibus, ipsisque Infidelibus haec daretur, omnibus quoque communicaretur passionis ejus beneficium: Non ergo omnibus, ipsisque Infidelibus datur. Ex quo item accedit, quod, ut docet in eadem sess. cap. 8., fides *humanae salutis initium est, fundamentum, et radix omnis justificationis.* Quod si humanae salutis initium, ac fundamentum, et radix omnis justificationis, nihil gratiae dicendum est conferri ante fidem, ideoque Infidelibus: Ita igitur.

Resp. ad 1.m neg. sequ. min.; non enim l. cit. loquitur Tridentinum de quovis beneficio mortis Christi, sed ut patet ex titulo, quod laud. capiti praefigitur, loquitur de beneficio justificationis; quod utique non omnes consequuntur per meritum passionis ejus, sed illi tantum, quibus per susceptionem Sacramentorum cum debitis dispositionibus illud applicatur. Hinc de objectis verbis rationem reddens, *nam* (inquit), *nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.* Ad alterum vero dist. maj.; quod nempe fides *humanae salutis initium est, fundamentum, et radix omnis justificationis* hoc sensu, quod fides explicita in Christum primo hominem disponit ad justifica-

tionem, et salutem; cum enim, ut ait Ap. ad heb. 11., *sine fide impossibile sit placere Deo*; neque etiam sine ea potest homo pie vivere, et ad salutem pervenire; non vero hoc sensu, quod ante illam nihil omnino gratiae conferatur, nec aliquid omnino boni fieri possit in ordine ad salutem; hoc enim falsum esse, manifeste ostendit exemplum Cornelii Centurionis Actuum c. 10., qui antequam in Christum crederet per Petri ministerium, ejus tamen orationes, et eleemosynae *ascenderunt* (ut ibi dicitur), *et commemoratae fuerunt in conspectu Dei*, et per eas meruit de congruo, ut diximus *l. 2. tract. 12. cap. 5. prop. 3. pag. 285.*, ut ad Christi fidem perveniret.

Objic. 5.° ex D. Aug. 1.° quod ait l. de praed. Ss. c. 17. *Fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur caetera.* Et l. 1. ad Simplician. qu. 2. *Incipit homo percipere gratiam ex quo incipit credere Deo, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.* Quid clarius, quam quod secundum legem ordinariam saltem nihil omnino gratiae ex Augustino ante fidem confertur? Ita igitur. 2.° quod scribit ep. 217. ad Vitalem: *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari.* Et serm. 11. de verbis Apost. c. 4. *Communis est natura, non gratia.* Quod si ipsis Infidelibus daretur, cuinam non daretur; et nonne communis, prout natura? Non ergo eam illis conferri, est dicendum. Qua super re addit quoque S. Doctor *l. de dono persev. c. 12.*, quod in hoc gratia monstratur veri nominis gratia, quod non omnibus, sed quibusdam datur: *Dando* (inquiens) *quibusdam, quod non merentur, profecto gratuitam, et per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quod omnes merentur, ostendit.* Quod et docens D. Thomas qu. 24. de verit. art. 15., *Si autem* (inquit) *nec ipsa praeparatio ad gratiam sine aliqua gratia habituali esse potest, aut illa datur omnibus, aut non. Si omnibus datur, non videtur aliud esse, quam aliquid naturale donum. Nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali.* Est autem gratia sufficiens veri nominis gratia: Non ergo omnibus, ipsisque Infidelibus, juxta Augustinum confertur. Demum quod docet *l. de corrept., et gr. c. 11.*, gratiam nempe, quae data fuit Angelis, et primaevo homini, nunc aliquibus deesse. Illa autem non fuit, nisi sufficiens: Hanc igitur S. Do-

ctor aliquibus nunc deesse, docet; et quibusnam maxime, quam iis, qui ipso fidei lumine destituuntur?

Resp. Et quidem ad 1.m neg. min.; ait namque Augustinus, et quod fides prima datur, ex qua impetrantur caetera; et quod homo incipit percipere gratiam ex quo incipit credere Deo, quia fides inchoata, quatenus est cognitio coelitus inspirata, seu etiam quaevis sancta cogitatio, ac pia voluntatis motio Divinitus immissa, primo est, quae a Deo datur, et exinde homo disponitur ad caetera impetranda. Fides vero perfecta, qua nempe explicite in Christum creditur, prima dicitur gratia ab Augustino, quatenus per eam homo proxime disponitur ad justificationem, unde ait l. cit.: *Ex fide autem ideo dicit* ( Apostolus ) *justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetremus caetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur*: non autem simpliciter, et absolute, quatenus nihil ante eam gratiae a Deo conferatur etiam secundum ipsam legem ordinariam: ipse enim S. Doctor, ut inter probationes diximus, conceptis verbis docet de infidelibus, quod Dei Misericordia, ejusque donis in ordine ad salutem non destituuntur; quibus si bene uterentur, prout illis liberum esset, et juxta Dei voluntatem, ad agnitionem veritatis utique pervenirent. Quinimmo et distinctio a nobis allata fidei inchoatae, et perfectae ipsa quoque est Augustini; docet enim l. 1. ad Simplician. c. 2., fidem, quae est salutis initium, ita se habere ad fidem perfectam, quemadmodum conceptio ad partum: *Fiunt* ( inquiens ) *inchoationes quaedam fidei, conceptionibus similes, non enim tantum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam.*

Ad 2.m neg. cons.; ex erroribus enim Pelagianorum, et Semipelagianorum, quos S. Doctor insectabatur, patet, aliam non fuisse ejus mentem ajendo, gratiam non omnibus hominibus dari, nec eam communem esse hominibus, quam, ut se opponeret errori Pelagianorum, qui, ut diximus *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *pag.* 274., aliam in Deo voluntatem non admiserunt salvandi homines, quam indifferentem, et aequalem erga omnes absque ulla praedilectione erga electos; nec non Semipelagianorum, qui gratiam a Deo conferri, ajebant, facientibus, quod in ipsis est, ex liberi arbitrii viribus. Ut iis porro S. Doctor

se opponeret, si non omnibus, ajebat contra Pelagianos, Evangelii cognitio datur; quidnam clarius, quam quod haec specialis gratia sit dicenda? Contra Semipelagianos vero, quod si gratia daretur facientibus quod in ipsis est ex liberi arbitrii viribus, communis esset, prout natura, ideoque esset simul, et non esset gratia. Nec omittendum quoad hoc postremum, quod ubi ait S. Doctor, naturam communem esse, non gratiam, non de gratia actuali, sed de habituali loquitur; disserit enim cit. l. de gratia, qua homo fit bonus, et justus, per quam non actualis intelligitur, sed habitualis.

Ad 3.m neg. maj.; neque Augustinus enim, neque Thomas loquuntur in laudatis locis de gratia actuali, sed primus loquitur de dono perseverantiae, quod profecto speciale Dei donum esse, ex eo evidens esse, cum eodem fatemur, quod non omnibus, sed quibusdam datur. Alter vero loquitur de praeparatione ad gratiam, quam inquit, dicendam non esse quid naturale, nec haberi posse, nisi ex ipsa gratia, quia si esset quid naturale, sequeretur ex hoc, quod sicut natura omnibus inest, ita omnibus inesset dispositio ad gratiam. Quibus praemissis, dicimus quoque ad min., et cons., quod licet gratia sufficiens omnibus, ipsisque scelestissimis, atque Infidelibus detur, est tamen veri nominis gratia, quia nec operum, nec naturae merito tribuitur, sed, ut non semel diximus, quodvis tum personae, tum naturae debitum excludit.

Ad 4.m neg. min.: non enim gratia, quae data fuit Angelis, et primo homini, fuit tantum sufficiens; quamvis enim gratia tum malis Angelis, tum primo homini collata ejusmodi fuerit quoad perseverantiam, per eam tamen et boni Angeli efficaciter perseveraverunt, et alios actus bonos saltem a primo homine elicitos fuisse, non immerito dicimus. Sed et responderi potest dist. cons.; quod nempe gratia sufficiens nemini prorsus deest, dum adhuc in hac vita est; sed simul utique aliquibus deest ad tempus, jam enim diximus c. ant. de peccatoribus induratis, et excaecatis, quod omni prorsus gratia, qua ad Deum convertantur, interdum destituuntur; quibus et ii accenseri possunt, et quidem maxime, qui statim post peccatum vel subita morte, vel morbo, qui omne rationis judicium subvertit, decedunt, ad quos etiam idcirco Augustinum respexisse, recte intelligitur.

Objic. 6.º, quod infidelitas negativa, eorum nempe,

quibus numquam nuntiatum fuit Christi Evangelium, ad culpam non imputatur, ajente Christo Io. 15. de Iudaeis: *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, etc.*; fuitque in Bajo proscripta prop. inquiens: *Infidelitas negativa in his, quibus non est praedicatus Christus, peccatum est.* Merito autem, optimoque jure imputaretur ad culpam, si gratiam sufficientem haberent, qua observando praecepta legis naturalis viam sibi ad fidem aperirent, esset namque illis infidelitas negativa, sin voluntaria in se, utique tamen voluntaria in causa: Nulla ergo illis tribuenda est gratia sufficiens.

Resp. neg. sequ. min., ut namque diximus *in tract. de actib. hum. cap.* 1., ad id, ut aliquid dicatur voluntarium in causa, necesse est praesertim, ut agens ponendo causam animadvertat saltem confuse effectum ex illa secuturum, quod enim nullatenus est cognitum, nullatenus quoque dici potest voluntarium. Infideles autem, quibus numquam nuntiatum fuit Christi Evangelium, dum praecepta legis naturalis ab iis cognita transgrediuntur, hoc ipso, quod de Christo nihil umquam audierunt, neque etiam confuse apprehendunt, quod violatione legis naturalis viam sibi ad fidem praecludunt, sed invincibiliter ignorant, quod suae infidelitati ipsimet suis peccatis causam praebeant. Hinc dum praecepta legis naturalis ab iis cognita transgrediuntur, peccant quidem ea peccati specie, quae respondet praecepto, quod violant, quia ejusmodi peccatum est illis voluntarium in se, numquam tamen peccato infidelitatis, quia hoc neque voluntarium in se illis est, neque in causa.

Objic. 7.°, quod respondens D. Augustinus quaestioni, cur e duobus justis uni perseverare detur, alteri non detur; nec non uni potius, quam alteri ex infidelibus detur fidei gratia; ac e duobus infantibus unus perveniat ad baptismi gratiam, alter non: ad inscrutabilia Dei judicia recurrendum esse, non semel docet. Ad haec autem recurrendum non esset, si omnibus tam justis, quam peccatoribus, ipsisque induratis, et infidelibus daretur gratia sufficiens; eaque, ut diximus *cap.* 1., in facilibus immediate sufficiens ad illa implenda, et in difficilibus immediate sufficiens ad impetrandum per orationem necessarium uberius auxilium: ideo enim uni potius, quam alteri perseverare daretur, quia unus gratia sufficiente bene usus esset, alter vero male usus; sicut etiam

illis ex Infidelibus daretur ad fidei gratiam pervenire, qui per gratiam sufficientem servassent legis naturalis praecepta ab iis cognita, aliis eadem non observantibus in infidelitate relictis: cumque demum infantium absque baptismo decedentium perditio referenda esset ad parentum culpam, vel causarum secundarum ordinem, neque etiam amplius locum haberet necessitas recurrendi ad inscrutabilia Dei judicia, cur ex duobus parvulis originali peccato obstrictis iste assumatur, ille relinquatur: Falsum ergo, omnibus tam justis, quam peccatoribus, ipsisque induratis, et infidelibus gratiam sufficientem conferri.

Resp. neg. sequ. min.: cum enim 1.°, ut dicitur Esther 13., *in ditione Dei cuncta sint posita, ac nemo possit ejus resistere voluntati*, cum nempe aliquid absolute velit; eique idcirco absoluta voluntate *volenti salvum facere nullum* ( ut ait D. Aug. l. de corrept. et gr. c. 14. ) *hominis resistat arbitrium*, propterea quod, ut subdit, *habet humanorum cordium*, *quo sibi placet*, *inclinandorum omnipotentissimam potestatem*: juxta doctrinam idcirco a nobis propositam redditur quidem ratio, cur ipsorum pereuntium Deus salutem velit voluntate antecedente., quemadmodum explicavimus, et ostendimus *l. 2. tract. 12. cap. 4. pag. 256. et sequ.*: at quare eam non velit absoluta item voluntate, nonne respondendum Apostoli verbis cum Augustino: *O altitudo! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus*, *et investigabiles viae ejus!* Redditur item ratio, cur tot Infidelium millia ad fidei gratiam non perveniant, quia nempe cum possent legis naturalis praecepta ab iis invincibiliter non ignorata per sufficientem gratiam, quae illis non deest, implere, eorum observantiam negligunt, ac malunt juxta desideria cordis eorum vivere: at quare, cum sit universorum Dominus, ipsaque Bonitas, efficaciter tamen eos non adjuvet ad illa implenda, nonne item sub inscrutabilium ejus judiciorum velamine? Sic etiam ratio redditur, cur infantium absque baptismo decedentium perditio refundenda non sit in Dei voluntatem, ut enim de illis Aug. ait l. 4. cont. Iulian. c. 8., *numquid et ipsi homines non sunt*, *ut non pertineant ad id*, *quod dictum est*: *Omnes homines vult salvos fieri*, sed ad parentum culpam, vel causarum secundarum ordinem: At quare, licet quoque ipsa Bonitas, illa tamen volun-

tate, cui nihil vel resistit, vel resistere potest; e medio non auferat vel parentum culpam, vel causarum secundarum ordinem, qui impedimento illis est, ne ad Baptismi gratiam perveniant, nonne item inscrutabilia, atque investigabilia ejus judicia? Quibus accedit, quod juxta Augustinum recurrendum in hisce est ad inscrutabilia Dei judicia, dum comparatio fiat inter eos, qui perseverant finaliter, vel non; inter eos, qui assumuntur, vel relinquuntur, etc. *Quare hunc trahat* ( ita S. Doctor tract. 26. in Jo. ), *et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare*, at non item citra ullam comparationem; absolute enim loquendo, ipsum perseverantiae donum suppliciter emereri potest, ut diximus *l. sup. cit. cap. 5. prop. 3. pag.* 283.; et de omnibus, qui pereunt, fides ipsa docet, quod ex sua culpa, et nonnisi ex sua culpa pereunt. Sed et consulantur quae ibidem scripsimus *pag.* 230. 238. 272., *et* 316.

## CAPUT V.

### *De extantia, et natura gratiae efficacis.*

Prop. Admittenda est praeter gratiam mere sufficientem etiam gratia efficax, quae certo, et infallibiliter effectum operatur, quin simul ullatenus liberum hominis arbitrium offendat. Ejus vero efficacia neque ex eo quod sit physice praemovens, neque ex eo quod ejusmodi sit suapte natura, neque ex eo quod delectet magis, quam pulsans ex adverso concupiscentia, sed proxime, seu ultimo, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petenda est. Prima, et secunda pars est de fide: tertia nobis verisimilior.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis, quibus Deus absolute promittit, se facturum, utique per gratiam efficacem, ut in praeceptis ejus ambulemus, et judicia ejus custodiamus, et operemur. Ita nempe apud Ezech. c. 36. illis verbis: *Dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri . . . Et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini*; ubi advertendum, non dixisse: *Faciam, ut in praeceptis meis possitis ambulare, etc.*, sed, ut de facto *ambuletis, etc.* Ad quod etiam referuntur et illa Apostoli verba ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis et velle, et*

perficere. Et ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate .... secundum propositum voluntatis suae .... in quo etiam et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae:* Quibus in locis aperte significatur, quod praedilectionem suam erga homines Deus identidem exercens, nedum iis tribuit, ut per gratiam suam possint bonum operari, sed ut illud reapse velint, et perficiant; nec solum, ut reddere se possint sanctos, et immaculatos in conspectu ejus, sed ut reapse in conspectu ejus sancti, et immaculati sint; et quidem adeo infallibiliter, et certo, quemadmodum certo, et infallibiliter manet quidquid ipse praedestinaverit voluntate illa, cui nihil resistit, vel resistere potest, sed omnia, quae vult, et prout vult, operatur; itemque adeo infallibiliter, et certo, ut per gratiam suam sint, velut nova creatura, et per Jesum Christum regenerati ad bona opera facienda.

Prob. 2.° ex orationibus, quibus Ecclesia a Deo postulat, modo, ut *nostras etiam rebelles ad se compellat propitius voluntates* ( Dom. IV. post Pent. ); modo, quod *infundat cordibus nostris sui amoris affectum*; ( Dom. sequ. ), aliisque id genus. Quidnam autem his verbis datur intelligi, quam quod gratia in thesauris Divinae Bonitatis extat, qua, illaesa arbitrii libertate, certo, atque infallibiliter ad Deum ducimur, eumque dilectione toto cordis affectu amplectimur?

Prob. 3.° luculentissimis D. Aug. testimoniis; extat namque juxta eum in thesauris Divinae Bonitatis gratia, quae *a nullo duro corde respuitur*, ita l. de praed. SS. c. 8.; qua Deus *de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, quum vult, facit*, ita l. de corrept. et gr. c. 14.; qua *ita docet, ut quod quisque didicerit, non solum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat*, ita l. de gr. Chr. c. 14.; qua *interna, et occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operatur Deus in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*, ita ibid. c. 24.; qua *non solum posse nostrum donat, atque adjuvat, sed etiam velle, et operari operatur in nobis*, ita quoque ibid. c. 25.; qua demum *efficit in hominibus, ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est, velint, et hoc deserere*

*invictissime nolint.* Quae omnia adeo propositam thesim luculenter ostendunt, ut explicatione non egeant; his namque verbis, licet S. Doctor, ut diximus *l.* 2. *tract.* 11. *cap.* 2. *pag.* 219., intenderit praecipue adstruere adversus Pelagianos absolutam necessitatem gratiae voluntatis, quae scilicet voluntatem praeveniat, comitetur, et usque in finem adjuvet; nemo tamen non videt, quod loquebatur de gratia, non quidem mere sufficiente, sed efficaci, qua nempe nedum possumus, sed reapse volumus, et operamur bonum; quodque ajebat, per hanc Deum, mirabiliter quidem, et ineffabiliter, at simul certo, et infallibiliter efficere, quod bonum velimus, et operemur. Admittenda ergo est, praeter gratiam mere sufficientem, etiam gratia efficax, quae certo, et infallibiliter effectum operatur.

Prob. 2. pars, quod nempe gratia efficax certo, et infallibiliter effectum operatur, quin simul ullatenus liberum hominis arbitrium offendat: quod licet prosecuti simus *in tract. de Actib. hum. cap.* 1., distincte tamen hoc loco probandum est, quod sub quavis gratia illud servat. Et 1.° ex illis verbis Eccl. c. 15. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, et praecepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et c. 31. *Beatus, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Utroque autem in loco liberum hominis arbitrium sub quavis gratia luculenter exprimi, caecus omnino est, qui non videt, ac fungum pro cerebro habeat, necesse est, qui non perspicit; quinam enim veri, et genuini libertatis arbitrii characteres, nisi potestas bene, vel male agendi, eligendique pro libito bonum, vel malum, vitam, vel mortem; ac esse in manu proprii consilii, et penes nos, ut libuerit, ad bonum, vel ad malum manum porrigere, et Dei mandata servare, vel non servare? Quidnam absonum magis, immo insanius fuisset, quam hominem monere, ut ex duobus oppositis eligat, quod sibi magis placeat, si nonnisi unum illi placere, nec nisi unum eligere ille posset? Laudatis proinde Ecclesiastici verbis subdit D. Aug. l. de gr., et lib. arb. c. 2. epiphonema illud: *Ecce aper-*

*tissime videmus expressum liberum humanae voluntatis arbitrium.* Et Petavius l. 3. de Opificio sex dierum c. 2. n. 3., Ecclesiasticum, inquit, *non potuisse expressioribus, ac magis uti conceptis vocibus, et sententiis, si inter nos viveret, ac de lite nostra judicaret, quam isthic fecit, ut libertatis humanae, arbitriique liberi naturam, ac proprietatem describeret.*

Reponit quidem Lutherus, quod sicut si diceretur: *Si diabolus Deus erit, adorabitur*, minime inferri posset, Diabolum in Deum transiturum; ita ex praefata conditione *si volueris* mandatorum Divinorum observationi apposita consequens non est, liberum homini inesse arbitrium illa servandi, vel non. Vah tamen delirantis plane hominis argutationem! Quis enim non videt, per laudata Ecclesiastici verba potestatem penes nos significari observandi, vel non Dei mandata, ac bonum, vel malum eligendi: per id vero, quod Lutherus reponit, nonnisi quoddam figmentum proferri; ut si quis diceret: *Si haberem alas, volarem?* Quam ergo sit frivolum, quod reponit, nemo etiam est, qui non videat.

Nec minus delirat Calvinus, Ecclesiasticum, inquiens loqui de homine, prout initio creatus fuit; quem in manu consilii sui relictum fuisse, utique fatetur, non vero, postquam a primaevo statu excidit. Secus namque rem se habere, ex causa, ac serie sermonis evidenter liquet; ut enim laud. Petavius disserit l. cit., *studet ibi Sapiens a peccato committendo deterrere homines, et si quid mali fecerint, id sibi ipsis imputare, utpote quos ad peccandum nulla res alia, praeter ipsorum voluntatem, compulerit . . . Cum igitur loci illius haec sententia sit, quid absurdius, quam ad vitandum peccatum incitare homines eo velle, quod primus illorum parens liberam ejus potestatem, antequam peccaret, habuit, si eam peccando tam sibi, quam posteris, amisit? Quis non videt, quod si recte ratiocinatio ista procederet, poterat eadem ad hoc uti, ut homines ad omnes corporis, animique molestias, ac mortem ipsam propulsandam hortaretur, atque ad pristina illa capienda, fruendaque commoda, quod id olim in potestate primus ille parens habuerit?*

Quibus positis, cum nequeat homo ex ostensis *tract. ant.* Dei mandata servare, ac mali fuga, et boni prosecutione aeternam vitam consequi absque gratia: hoc ipso

ergo, quod liberum illi dicitur Dei mandata servare, vel non, ac in ejus potestate esse bonum, vel malum, vitam, vel mortem eligere, hoc ipso, inquam, liberum illi sub gratia inesse arbitrium, evidentissime exprimitur.

Nec quidquam obstat quod in iisdem Sacris Litteris legitur de gratia efficaci; dum enim de hac in illis legitur et illud Dei oraculum apud Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.*, et apud Io. 17. quod ait Christus Patrem alloquens: *Pater, sanctifica eos in veritate*; et quod ait Apostolus ad ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere*; legitur simul Ezech. 18. *Facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Et Jo. ep. 1. c. 13. *Qui habet hanc spem, sanctificat se.* Et l. cit. ad Philipp. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini*: ut nempe intelligamus, quod dum Deus per gratiam efficacem, quam pro sua Misericordiosissima benignitate homini dignatur largiri, certo, et infallibiliter efficit, ut ejus mandata servet, bonumque operetur, id simul efficit, quin liberum, quo nos ditavit, arbitrium ullatenus offendat.

Prob. 2.° ex Tridentino, a quo declaratum fuit sess. 6. cap. 5., quod ii, qui ad Deum convertuntur, *per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo, et cooperando disponuntur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest*, etc. Hinc etiam ibidem can. 4. definiit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendum justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit . . anathema sit.* Loquitur autem de gratia, qua homo Deo excitanti, ac vocanti assentitur, ideoque de gratia efficaci: Hanc ergo nullatenus liberum hominis arbitrium offendere, consequens est.

Prob. 3.° ex Summis Pontificibus non semel laudatis, qui haereticas declararunt tertiam, et quartam Iansenii propositiones, illam nempe, quae ajebat: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Alteram vero ajentem: *Semipelagia-*

*ni admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Haereticum autem est, quod directe, et immediate fidei catholicae opponitur: De fide igitur catholica dicendum, et quod humana voluntas potest cuicumque Dei gratiae resistere, vel obtemperare, et quod ad merendum, et demerendum non sufficit in praesenti etiam statu libertas a coactione, sed requiritur libertas a quavis necessitate.

Prob. 4.° ex D. Aug., quem unum ausi sunt haeretici, qui propositae thesi adversantur, in erroris sui patrocinium adsciscere; quidquid enim in ejus doctrinam blasphemaverint, nihil in ejus operibus apertius, quam liberum homini inesse arbitrium sub quavis gratia, licet efficacissima, ut patet ex ejus testimoniis, quae adversus secundam, tertiam, et quartam Iansenii propositionem congessimus *tract.* 2. *cap.* 5. *pag.* 144., *et sequ.*, ubi consulantur. Hic tantum producere operae pretium existimamus, quae habet l. 2. cont. Pelag. c. 48. de admirabili gratiae efficacis vi, quin simul liberum ullatenus laedat arbitrium: *Si tibi proponam quaestionem, quomodo Pater attrahit ad Filium, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quid voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est.* Nihil profecto disertius.

Objicitur quod ait Ap. ad Eph. 2., ubi modum, quo gratia operatur., comparat creationi: *Creati* ( inquiens ) *in Christo Iesu in operibus bonis.* Qua comparatione usi item sunt D. Aug. cum aliis ex Patribus: addita etiam comparatione inter modum, quo gratia operatur, et Incarnationem Verbi, aliaque à Deo patrata, et quae patrantur, miracula. Dei autem voluntatem, quod Mundus e nihilo prodiret, quod Verbum caro factum esset, quodque illud, atque illud miraculum fieret, necessario haec omnia consecuta sunt: Et gratiam igitur necessario opus bonum consequitur.

Respondetur tamen neg. maj., non enim praefatae comparationes usurpatae ab iis sunt, ut modum, quo gratia operatur, exponerent, sed ut animis ejus gratuitatem urgererent. Hinc relatis a D. Aug. l. de gr., et

lib. arb. c. 8. Apostoli verbis *Creati in Christo Iesu in operibus bonis*, aliud inde non infert S. Doctor, quam quod gratiam nulla praecedant bona pietatis opera. Ad quod etiam ab eo referri Incarnationis comparationem, patet ex ejus verbis l. 1. Oper. imperf. c. 138. *Neque enim audebis dicere, praecedentibus operum meritis Filium Dei factum ab initio, seu a Virginis utero. Qua ergo gratia homo ille ab initio factus est bonus, eadem gratia homines, qui sunt membra ejus, ex malis boni fiunt.* Ad quod item ab eodem referri comparationem cum miraculis, patet ex ejus verbis *Enarr. in Ps.* 102., ubi, quaecumque a Deo patrata fuere, vel patrantur miracula, gratis ab eo, inquit, facta fuisse, ac fieri, et gratis quoque gratiam ab eo conferri; ita tamen, ut ad bonum opus requiratur item voluntatis cooperatio, seu consensus. Hinc proscriptae fuerunt Quesnelli prop. a 21. usque ad 25., quae praefatis comparationibus modum, quo gratia operatur, exponunt.

Prob. demum 3. pars iis omnibus momentis, quibus *l. 2. tract. 11. cap. 2. pag.* 170., *et sequ.* ostendimus, medium, in quo Deus praenovit futura libera ordinis supernaturalis, nec gratiae physice praedeterminantis, nec gratiae efficacis ex victrice delectatione decretum fuisse: quodque gratiae efficacia proxime, idest ultimo, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petenda est, propterea quod, ut disserit Dionysius Petavius, cujus sententiam sequi gloriamur, l. 10. Theol. Dogm. c. 19., *effectum suum, et id, cujus causa est data, consequi non aliter potest, quam ut libere huic assentiamur, quemadmodum Synodus Tridentina docet . . . Hinc Apostolus orat, et exhortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant fideles* ( *2. ad Cor. 2.* ), *et gratulatur*, quod *gratia Dei in se vacua non fuit* ( *ibid.* ), *nam eatenus efficit, et operatur* ( efficax nempe est, et operans ), *si ei libere assentimur, et cooperamur, et eam recipimus, non abjicimus.* Quem Apostoli locum expendens quoque Lucius Ferraris in Bibliot. V. Gratia, ut est donum Dei, n. 19. et sequ., *quibus verbis* ( ait ) *videtur Apostolus clare monere, ut demus efficaciam gratiae;* quodque idcirco ejus efficacia *pendet a cooperatione nostra, non quidem nuda, sed elevata per gratiam adjuvantem.* Hinc infert, quod *gratia aequalis potest esse respectu unius sufficiens, et respectu alterius efficax, ut clare colligitur ex S.*

*Scriptura*; *Matthaei enim* 11. *sic praecise habetur*: *Vae* tibi, Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio poenitentiam egissent; *quibus verbis Christus ostendit*, *quod si gratiae eaedem*, *quae sunt concessae habitantibus Corozaim*, *et Bethsaidae*, *concessae fuissent Tyriis*, *et Sydoniis*; *certe cum illis egissent poenitentiam*, *adeoque eadem gratia fuisset efficax respectu Tyriorum*, *et sufficiens respectu aliorum*. Quod, ut l. sup. cit. diximus, D. quoque Augustinus docet l. 12. De Civ. Dei c. 6. illis verbis: *Duo aequaliter affecti animo*, *et corpore eadem tentatione tententur*, *et unus ei cedat*, *atque consentiat*, *alter idem*, *qui fuerat*, *perseveret*: *quid aliud apparet*, *nisi unum voluisse*, *alterum noluisse a castitate deficere?* Nec non verbis aequivalentibus et D. Thomas 3. *p. qu.* 61. *art.* 8. *ad* 2., et D. Bonaventura *in* 4. *Sent.*, et D. Franciscus Salesius *in Theot. l.* 1. *c.* 10., quorum testimonia l. sup. cit. consulantur, sicut et totum argumentum: quod cum ibi fuse prosecuti fuerimus *prop.* 6. *pag.* 207., *et sequ.*, ac forte fusius, quam sinebat Institutionum ratio, necesse non est, quod amplius hac super re immoremur.

Diximus vero, quod gratiae efficacia *proxime*, *idest ultimo*, *et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petenda est*; ultro enim, ac libenter fatemur, quod remote, et in actu primo, ut Scholae inquiunt, ab omnipotentissima Dei voluntate est petenda; quodque cum Deus, ut supra cum Aug. diximus, habeat humanorum cordium, quo sibi placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem, unde dicitur Prov. 21. *Sicut divisiones aquarum*, *ita cor Regis in manu Domini*, *quocumque voluerit*, *inclinabit illud*: Et Esther c. 15. *Convertit Deus Spiritum Regis in mansuetudinem*, cum scilicet furore excandesceret; idcirco est, ut laud. S. Doctor disserit, quod illi absoluta voluntate *volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Ab ejusmodi autem voluntate prodit gratiae efficacis largitio: Patet igitur, quod remote, et in actu primo ab ejus Omnipotenti voluntate gratiae efficacia petenda est. At simul, quoniam de fide est, ut supra cum Trid. diximus, quod sub cujusvis gratiae motione liber homo est ad assentiendum, vel non assentiendum Deo excitanti, et vocanti; probatumque item, et exploratum, quod libertas, et determi-

natio ab alio contradictionem implicant, libertas namque cujusvis agentis postulat, ut ipse se determinet, haeque ideae ita secum cohaerent, ut nullatenus possint a se divelli, ac mutuo se habeant, quemadmodum definitum, et definitio; nemo etiam non videt dicendum, quod gratiae efficacia proxime, idest ultimo, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu est petenda; haec tria enim, ut diximus *l. sup. cit. pag.* 209.: Potest homo sub cujusvis gratiae motione dissentire, si velit: Consentit ergo, quia vult: Gratiae ergo efficacia proxime, idest ultimo, et in actu secundo ex ejus consensu; haec tria, inquam, ita se mutuo consequuntur, ut qui eat inficias, ipsa vel certissima negare videatur. Hinc ait laud. Aug. l. de spir., et litt. c. 34. *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat, profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus Misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.* Hinc etiam inquit l. de gr. et lib. arb. c. 16. *Certum est, nos velle, cum volumus; sed ipse facit, ut velimus bonum, de quo dictum est . . . Deus est, qui operatur in vobis et velle. Certum est, nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis.* Quae Aug. verba, cum eis, quae supra diximus de gratiae efficacia in actu primo, et in actu secundo apprime cohaerere, cuivis consideranti fit perspicuum. Apposite idcirco laud. Lucius Ferraris l. sup. cit. *Efficacitas gratiae potest spectari in actu primo, hoc est, in quantum potest habere suum effectum; et sic gratia habet efficacitatem in actu primo ab ipso Deo, qui ideo concedit illam homini, ut per illam operetur voluntas nostra. Et potest etiam considerari in actu secundo, in quantum scilicet suum effectum obtinet; et hoc modo sumpta, liberi arbitrii cooperatio reddit gratiam efficacem, quia non alia ratione gratia in actu secundo dicitur efficax, nisi quia voluntas consentit, et non aliunde est inefficax, nisi quia voluntas dissentit.*

Quibus positis, ultro etiam, ac libenter fatemur,

quod remote, ac in actu primo nedum gratiae efficaci virtus inest, ut per eam homo et possit, et velit, et operetur bonum, cum ad id a Deo detur; verum etiam quod totum hoc certo, et infallibiliter efficit; cum ad id dirigatur a Dei praescientia, quae certo, et infallibiliter cuncta assequitur, ut per eam homo certo, et infallibiliter illud possit, velit, et operetur. Hinc diximus *l. 2. tract. 11. cap. 2. pag.* 166., *et sequ.*, quod tantum praestat gratiae mere sufficienti in ipso actu primo, quantum actualitas rei praestat merae ejus possibilitati: quod ipsa est, quae tribuit efficaciam, et vires voluntati, cum nonnisi ex ejus efficacia, et viribus, eaque adjutrice voluntas se determinet ad bonum: quod sicut qui oculos ad Solis lumen aperit, ut objecta videat, non dicitur lumen determinare ad videndum, sed potius lumen ad videndum sequi, atque ab eo habere, quod determinetur, ut videat, alias nec visurus, nec penitus habilis ad videndum, ita dum voluntas consentit ex gratia ad opus bonum, non quidem gratia est pedissequa voluntatis, sed voluntas est pedissequa gratiae, et ab hac habet, ut determinetur ad opus bonum, alias nec ad ipsum se determinatura, nec penitus habilis, ut se ad illud determinaret: quod demum ad ipsum litterae rigorem explicatur, quomodo Deus, qui dum *cum magna reverentia disponit nos*, ut dicitur Sap. 12., habet simul humanorum cordium, quo sibi placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem, ut non semel cum Aug. diximus, quomodo, inquam, per gratiam efficacem aufert ab homine cor lapideum, quamlibet nempe humani cordis duritiem frangit, facitque, ut homo in praeceptis suis ambulet, et judicia sua custodiat, et operetur; quomodo item per eamdem rectissime dicimur ad Eph. 2. *creati in Christo Iesu in operibus bonis*, quae caeterum verba de gratiae potius gratuitate, quam de ejus operandi modo, D. Augustinus, ut supra diximus, interpretatur; nec non ad Rom. 8. *a Spiritu Dei agi*, ita ut, quemadmodum laud. D. Aug. scribit l. de gestis Pelagii c. 3.; *vix ipsi aliquid agere intelligamur*: sicut etiam ad ipsum litterae rigorem explicatur, quod per gratiam efficacem, ut idem S. Doctor addit l. de corrept., et gr. c. 12., *perseverandi et possibilitas, et voluntas Divinae gratiae largitate donatur.* Quae omnia, ut et alia, quae ex adverso objiciuntur tum ex Sacris

Litteris, tum ex D. Aug., tum e rationis penu deprompta, produximus, iisque, quantum nobis videtur, satis abunde fecimus *l. sup. cit. pag.* 213., *et sequ.*

# TRACTATUS V.

## De gratiae effectibus.

Iustificatio, et meritum en praecipui gratiae effectus. Cumque de merito satis locuti fuerimus in tract. De Actibus humanis cap. 3., de Justificatione idcirco superest dumtaxat agendum, atque hic agendum suscipimus. Sit igitur

## CAPUT I.

### *De dispositionibus ad justificationem, ejusque natura.*

Oritur justificationis nomen a justitia, non prout haec significat moralem illam virtutem, qua jus suum unicuique tribuitur, sed prout denotat rectitudinem illam internam, qua homo bene, ac recte ordinatur erga Deum, eique gratus efficitur. Per eam autem, de qua hic loquendum suscipimus, non intelligitur illa, qua quis de non justo fit justus, qualis fuisset justificatio Angelorum, et primi hominis, nisi in justitia conditi essent; sed illa, qua quis de injusto fit justus, qualis est modo hominis justificatio; quae idcirco definiri potest: *Translatio hominis e statu peccati ad statum justitiae*; juxta id, quod ait Apostolus ad Coloss. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum Filii sui.* Nec non Apostolorum Princeps ep. 1. c. 2. *Ut peccatis mortui, justitiae vivatis.*

Ad eam vero nemo Catholicorum dubitat, quod ubi de adultorum justificatione agatur, concurrunt simul fides, spes, charitas, contritio, ac demum propositum suscipiendi Sacramentum, servandique in posterum Dei mandata, eique bonis operibus placendi. Fides nempe; ut enim ait Ap. ad heb. 11., *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*: Spes, hanc enim Christus a Paralytico petiit,

ut illi dimitteret peccata Matth. 9. *Confide* ( inquiens ), *fili, remittuntur tibi peccata tua :* Et Prov. 28. legitur, quod *qui sperat in Domino, sanabitur :* Charitas, ut enim ait D. Ioannes ep. 1. c. 3. *Qui non diligit, manet in morte :* Contritio, quam necessariam esse ad peccatorum remissionem, Christus docuit, quum ait Lucae 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis ;* et rursus Apostolorum Princeps Act. 2., ubi ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et c. 3. *Poenitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Propositum demum suscipiendi Sacramentum, servandique in posterum Dei mandata, eique bonis operibus placendi, juxta id, quod Christus post ejus Resurrectionem ait ad Apostolos Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Et Matth. 7. dicitur, quod *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur :* Hinc loquens Trid. sess. 6. cap. 6. de dispositionibus ad justificationem, *disponuntur* ( inquit ) *ad ipsam justitiam, cum excitati gratia Dei, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, vera esse, quae divinitus revelata, et promissa fuerunt . . . et dum, peccatores se esse intelligentes, a Divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei Misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt ; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum ; inchoare novam vitam, et servare Divina mandata.*

Diximus, ubi de adultorum justificatione agatur ; constat enim, ut loquitur D. Th. in 4. dist. 17. qu. 1. art. 2., *in illis, qui non per propriam voluntatem culpam incurrunt, et usum voluntatis non habent, non exigi ex parte eorum aliquam praeparationem ; sicut de pueris in baptismo patet.*

Eam item in vera interiori hominis renovatione consistere per formam, seu justitiam internam, et inhaeren-

tem, nemo etiam Catholicorum dubitat. Rata haec ergo sunt, et fixa inter Catholicos.

Quinam vero circa eamdem haereticorum errores fuerint, colligitur ex Tridentini verbis sess. 6. cap. 7., ubi catholicam fidem quoad justificationem ab haereticis oppugnatam exponens; *Unica* (inquit) *formalis causa* nostrae justificationis *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo justi reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus.. dum ejusdem sanctissimae Passionis merito per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret.* Et ibidem can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Cum nempe tam Lutherani, quam Calvinistae, omnia etiam Sanctissimorum Virorum opera a concupiscentia inquinari, dicant, negant proinde, quod merita sint, vel esse possint justificationis, sed illius caussam propriam, proximam, unicam fidem esse, ajunt, qua quis certo credens, seu confidens, sibi per Christum remitti peccata, vi istius fidei justitiam, vel qua Deus ipse justus est, vel ipsam Christi justitiam apprehendit, sibique propriam facit. Triplicem namque distinguunt fidem, *historicam*, qua credantur, quae Deus in Sacris Litteris revelavit: *Miraculorum*, qua edantur miracula, de qua Christus ait: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, illuc, et transibit*: Et *promissionum* de remissione peccatorum, qua certo credatur, nobis dimitti peccata per imputationem justitiae, qua Deus ipse justus est, vel justitiae Christi. Hanc porro promissionum fidem propriam, proximam, atque unicam esse, inquiunt, causam justificationis. Negant proinde, justificationem fieri per donum aliquod supernaturale nobis inhaerens, quo vere, et formaliter efficiamur justi, sed, citra ullam interiorem hominis renovationem, aliud non esse, inquiunt, nisi, extrinsecum Dei favorem condonantis, seu non imputantis peccata, et imputantis justitiam, vel qua ipse justus est, secundum Osiandrum, et nonnullos Lutheranos, vel ipsam

Christi justitiam, secundum Lutherum, et Calvinum. Ejusmodi autem favorem per praefatam promissionum fidem apprehendi. Hinc Sacramenta non aliud esse, pergunt, nisi hujus fidei symbola, nec spem, charitatem, contritionem, nisi ejus comites; timorem vero gehennae, utpote illi promissionum fidei, seu certae fiduciae oppositum, non modo nec necessarium, nec utilem esse, sed nec bonum, immo et peccatorem deteriorem reddere. Hinc quoque tegi tantum docent, non deleri peccata per justificationem, utpote non consistentem, nisi in mera peccatorum condonatione, per eorum non imputationem, et imputationem justitiae, qua Deus ipse justus est, vel ipsius Christi justitiae, absque eo quod aliquid interius renovans, ipsamque animam afficiens in ea adsit. Hinc demum cum magis, et minus id non admittat, nec proinde magis, et minus justificationem admittere, sed in omnibus ejusdem rationis esse, contendunt.

Quibus positis, de dispositionibus ad justificationem, ac de ejus natura heic loci acturi, profitendum dicimus cum Catholicis quoad 1.m, fidem, spem, charitatem, contritionem, ac propositum suscipiendi Sacramentum, servandique in posterum Dei mandata, eique bonis operibus placendi, non esse quidem dispositiones de condigno meritorias justificationis, ex ostensis *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *prop.* 3. *pag.* 284.: at utique ex allatis Sacrarum Litterarum, et Tridentini verbis necessarias ad eam esse dispositiones. Fidem vero ad eam necessariam non esse illam, quam haeretici *promissionum* nuncupant, qua scilicet peccator firmiter credendo, omnia sibi peccata per Christum esse remissa, justitiam, qua Deus ipse justus est, vel justitiam Christi quasi manu apprehendat, ac per eam omnia ejus peccata tegantur; sed illam, ut loquitur Tridentinum *l. sup. cit.*, qua credat ea, quae revelata, et promissa a Deo sunt: itemque hanc initium quidem fundamentum, et radicem esse omnis justificationis, at non causam unicam, et integram: ac illam quidem, quae per dilectionem operatur; ultimo, seu proxime, et infallibiliter ad justificationem disponere; sed illam etiam, quae adjuvante Dei gratia timorem gignit, remote disponere ad justificationem, ajente Eccles. cap. 1., et quod *timor Dei expellit peccatum*, et quod, *qui sine timore est, non poterit justificari*; quem proinde timo-

rem, utpote etiam ad justificationem dispositivum, bonum, atque utilem esse, de fide habendum.

Quoad alterum autem, idest naturam justificationis, profitendum quoque est contra haereticos, eam non consistere in mera peccatorum condonatione, seu non imputatione, sed in vera eorum remissione, et abolitione, et transitu a statu peccati ad statum justitiae ( prout justitia denotat rectitudinem supra explicatam ) per gratiam animae infusam, et inhaerentem; eamque infundi per Sacramenta, habenda idcirco, non quidem dumtaxat, ut nostrae fidei symbola, sed ut causam vere efficientem nostrae justificationis *secundum propriam uniuscujusque dispositionem, et cooperationem*, ut loquitur idem Trid. sess. 6. cap. 7., ideoque non aeque in omnibus, sed pro ratione ejusdem dispositionis, et cooperationis. Sit modo

Prop. I. Fides ad justificationem necessaria non est illa, quam haeretici *promissionum* nuncupant, sed illa, qua firmiter credimus ea, quae nobis revelata, et promissa a Deo sunt. Quae tamen sola, sive primo, sive secundo sensu accipiatur, ad justificationem non sufficit. Utraque pars est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis; ut ex illis Christi verbis Marci ult. ad Apostolos post suam Resurrectionem: *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Per fidem autem in Evangelium nedum promissionum Divinarum, sed omnium credendorum fides intelligitur: Ad hoc ergo, ut homo salvus per justificationem fiat, omnium credendorum fides necessaria dicenda est.

Quod et confirmatur ex Apostolo ad heb. 11., ubi loquens de fide, qua justus vivit, ideoque de ea, qua homo constituitur justus, *fides* ( inquit ) *est sperandarum substantia rerum, argumentum* ( sive, ut in graeco legitur, *convictio* ) *non apparentium*. Per hanc autem nemo non videt significari fidem, qua firmiter credimus omnia, quae revelata a Deo sunt; quod et patet ex subsequentibus Apostoli verbis, quod *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*: Magis ergo, ac magis patet propositum.

2.° ex Trid. sess. 6. can. 12., ubi, *Si quis dixerit* ( inquit ), *fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam Misericordiae Divinae peccata remittentis pro-*

*pter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.*

3.° ex eo quod praecipitur quidem nobis confidere, quod Deus nobis peccata dimittat per Christi merita, quam proinde fiduciam, seu spem obtinendae veniae per illius merita unam esse ex dispositionibus ad justificationem necessariis, declaravit *l. sup. cit.* Tridentinum: nedum tamen nobis nullibi praecipitur certo credere, quod nobis de facto dimissa fuerit, quinimmo dicitur Eccles. 9., quod *nescit homo, an amore, vel odio dignus sit*; quodque, etsi quis conscius sibi non sit de aliquo reatu, non tamen ideo justum se credere infallibiliter potest, sed dicere cum Ap. debet 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*: Non ergo fides ad justificationem necessaria illa dicenda est, quam haeretici *promissionum* nuncupant, utpote quae nedum nobis non praecipitur, verum etiam prohibetur eam habere.

Orandum demum a nobis esse, ut nostra nobis peccata dimittantur, Christus praecepit Matth. 6. illis verbis: *Sic ergo orabitis . . . Dimitte nobis debita nostra.* Et Lucae 18. laudatur Publicanus, quod *a longe stans, et percutiendo pectus suum, Deus* ( ajebat ), *propitius esto mihi peccatori.* In hypothesi autem, quod peccata nobis dimittantur per fidem, qua credamus, nobis esse remissa, nedum id locum non haberet, verum etiam impediret peccatorum remissionem; inquiens enim: *Domine, dimitte mihi, quod peccaverim*, cur non potius metuere deberet, quod eum Deus repreheaderet hoc, vel simili modo, ut disserit Becanus tract. de gr. habit. c. 1. qu. 7. *Stulte, et fatue, quid agis? Si certo credis, peccatum tibi remissum esse, quid ultra mihi molestus es; quid precaris, ut remittam? Si autem dubitas, et firmam fidem non habes de remissione, quomodo postulas, tibi remitti, quod sine firma fide remitti non potest?* Immo pergit, quod cum juxta Calvinistas tam certo, et firmiter unusquisque credere debeat, remissa sibi esse peccata propter Christum, quam certo, et firmiter credit, Christum esse natum, ac pro nobis mortuum, et crucifixum; sicut proinde si quis Deum oraret, ut Christus nasceretur, moreretur, et crucifigeretur, procul dubio infidelis esset, ita similiter orando Deum, ut remittantur sibi peccata, non minus esset infidelis, quia

judicaret, sibi remissa non esse peccata, quod eorum fidei repugnat: Hanc ergo eorum fidem ad justificationem necessariam, et justificantem nullatenus cum vera fide componi posse, eique aperte adversari, absurdisque scatere, magis, magisque perspicuum est.

Prob. 2. pars. Et 1.° etiam ex Scripturis, ubi nihil clarius, quam quod *sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Ita nempe D. Iacobus in sua epistola canonica c. 5. Id autem falsum esset, si sola ad justificationem sufficeret. Quod et continenter subdit conceptis verbis: *Et videtis, quia ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum*: Non ergo satis. Quidnam item clarius ex Apostoli verbis 1. ad Cor. c. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum . . . nihil mihi prodest.* Ajendo autem *omnem fidem*, nullam, hoc ipso inquit, haberi fidem posse, quae absque charitate justificandi vim habeat, atque ad justificationem, et salutem prosit: Rursum ergo eam solam ad justificationem non sufficere, evidens est. Ad quod etiam referuntur quae habet in Ep. ad Gal. c. 5 *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini, a gratia excidistis, nos enim spiritu ex fide spem justitiae expectamus, nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur.* Aeque autem ajendo, quod in Christo Jesu nihil valet, nisi ejusmodi fides, quae per charitatem operetur, hoc ipso et inquit, quod fides sine charitate nihil prodest: Iterum ergo, atque iterum satis non esse solam ad justificationem, magis, magisque perspicuum est. Ita proinde in utrumque Apostoli textum D. Aug. l. de fide, et op. c. 14. *Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Fides, inquit, quae per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Et l. 15. de Trin. c. 18. ex Apostoli verbis ad Gal., quorum supra meminimus, *fidem* ( infert ) *non facit utilem, nisi charitas; sine charitate quippe potest quidem esse, sed non prodesse.* Quod et confirmans in Enchir. c. 8., *Sine amore* ( inquit ) *fides nihil prodest.*

2.° ex Trid. sess. 6., tum can. 12. supra relato, tum can. 14., ubi inquit: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo quod se absolvi, ac justificari, certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici, anathema sit.*

3. multiplici ratione; fidem namque cum peccato, modo infidelitatis non sit, posse consistere, nemo in aleae dubium vocare potest; ostenditque prae aliis tum Davidis, tum Apostolorum Principis exemplum, quos simul cum peccato fidem servasse, procul dubio est. Nequit autem justitia consistere cum peccato; quae enim societas lucis ad tenebras? Christi cum Belial? Neque ergo cum sola fide consistere eam posse consequens est. Nonne item, etsi fidem quis habeat, potest simul esse et fur, et adulter, et ebriosus, et maledicus, et alienorum appetitor? Nemo autem horum Regnum Dei possidebit ex Ap. 1. ad Cor. 6.: Neque ergo per solam fidem hominem justum effici, manifeste sequitur. Ac nonne etiam supra ex Sacris Litteris perspeximus, quod praeter fidem alia, atque alia nobis praecipiuntur ad peccatorum remissionem? Quod si ad justificationem sola sufficeret fides, haec quoque sola ad id nobis praeciperetur: Solam ergo satis ad eam non esse, magis, magisque perspicuum est.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objiciuntur 1.° pleraque Sacrarum Litterarum testimonia, quae innuere videntur, fidem, eamque solam ad justificationem, et salutem sufficere; ut cum legitur Marci ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Jo. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Quibus concinit Apostolus, inquiens ad Rom. c. 3. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum.* Ubi etiam a justificationis negotio excludere videtur opera illis verbis: *Arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Quod et ait ad Gal. c. 2. *Scientes* (inquiens), *quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi*: Nec non ad Eph. c. 1. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non*

*ex operibus, ne quis glorietur.* Quod et Christus ad mulierem dixerat Lucae 8. illis verbis: *Crede tantum, et salva eris.* Fidem igitur, eamque solam ad justificationem sufficere, est dicendum. Quam et eam praecise esse, qua quis certo credat, dimissa sibi esse peccata, ex eo colligitur, quod Paralytico ait Christus Matth. 9. *Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua.*

Resp. neg. cons.; mentio enim fit in objectis locis solius fidei, non quia sola fides satis sit ad justificationem, sed 1.° quia fides per dilectionem operans est proxima, et ultima dispositio ad justificationem: Ac 2.°, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, ac prima dispositio, e qua et pendent aliae, et quae ad alias praerequiritur, et impellit. Ita Trid. ipsum sess. 6. cap. 8. in laudata Apostoli verba: *Cum Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis.* Dum autem Apostolus ad Romanos ait, justificari hominem per fidem sine operibus legis, de illis loquitur operibus, quae ante fidem Pagani efficiebant; in epistola vero ad Galatas de operibus legalibus, quae cum mortua evasissent post promulgationem Evangelii, nihil amplius proderant ad salutem; *absit enim* ( inquit D. Aug. l. de g., et lib. arb. c. 7 ), quod de aliis pietatis operibus, quae ex gratia per J. C. eliciuntur, *hoc sentiret vas electionis, qui cum dixisset, In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, mox addidit, sed fides, quae per dilectionem operatur.* Ad id demum, quod scribit in ep. ad Eph., respondet Trid. l. cit., quod *gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.* In laudato vero Lucae loco non agitur de justificatione, sed de miraculo, quo Christus rogatus fuerat, ut puellam mortuam ad vitam revocaret. Ultro autem fatemur, quod ad miracula impetranda satis fides esse possit. Sicut etiam non de fide proprie dicta sermo fit apud Matth. *l. cit.*, sed de fiducia, idest spe veniae obtinendae; quam unam esse

ex dispositionibus, quae ad justificationem requiruntur, ultro etiam fatemur. Christum vero ejusmodi fiduciam illi praecise commendasse, dicimus, ob circumstantium, et forte ipsius etiam Paralytici, quem sanaturus erat, infidelitatem, qua potestatem dimittendi peccata ei abnegabant, vel in eo saltem non agnoscebant; unde cum esset miraculum operaturus, dixisse subditur: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam.*

Objic. 2.º, quod in Apostolorum Symbolo profitemur *remissionem peccatorum* credere. Quidquid autem fidei symbolum continet firma a nobis credendum est fide: Et firma ergo fide credendum esse, nobis remissa esse peccata, atque hanc fideles, et justos nos constituere, consequens est. *Fideles* nempe, cum non simus fideles, nisi firmiter quidquid fidei symbolum continet credamus. *Justos*, cum nequeat fidei subesse falsum, nec proinde nobis peccata remissa non esse, quum fide credimus, nobis esse remissa.

Resp. etiam neg. cons.; quum enim in Symbolo Apostolorum profitemur remissionem peccatorum credere, id tantum profitemur, quod nobis vere poenitentibus, per Sacramentum Baptismi, et Poenitentiae, vel casu, quo non possimus ea suscipere, per contritionem charitate perfectam cum voto Sacramenti omnia nobis remittuntur peccata. Quem proinde Symboli articulum Ecclesia in Concilio Constantinopolitano I. his verbis proposuit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Quare et Catechumeni quum illum recitant simul cum toto Symbolo ante Baptismum, nondum credunt, sibi remissa esse peccata, sed haec sibi remitti expectant per Sacramentum ipsis ministrandum.

Prop. II. In justificatione non quidem teguntur, sed vere tolluntur, seu delentur peccata. Nec per solam peccatorum remissionem homo justificatur, sed per veram interiorem ejus renovationem. Utraque pars est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1.º ex Scripturis, quae per justificationem non jam tegi, sed deleri, auferri, ac remitti peccata, totidem verbis significant; ut Is. c. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et c. 44. *Delevi, ut nubem, iniquitates tuas, et quasi nebulam,*

*peccata tua.* Et Actuum 3. *Poenitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Haec item longissime ab eo fieri, qui vere illorum poeniteat, testatur Regius Psaltes Ps. 120. illis verbis: *Quantum distat ortus ab occidente longe fecit a nobis iniquitates nostras.* Nec non Michaeae c. 7., ubi habetur: *Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem plebis tuae? .. Et miserebitur nostri, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Quare et de Christo dicitur Jo. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi.* Et Christus ad Mulierem prius peccatricem, dein poenitentem, ait Lucae 7. *Remittuntur ei peccata multa.* Insanum autem dictu est, nonnisi tegi, quod dicitur deleri, auferri, remitti; ac adhuc manere in homine tectum, quod longissime dicitur ab eo factum, ac projectum velut in profundum maris. Patet ergo propositum.

Accedunt Scripturarum loca, in quibus dicimur per justificationem lavari ab iniquitate, mundari a peccato, et ab omnibus inquinamentis, quibus sordes simus; idque per sanguinem Jesu Christi, qui ab id genus sordibus nos emundat. Ita nempe Ps. 50., ubi Rex poenitens, *amplius* ( Deum deprecabatur ) *lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.* Nec non Ezech. 36., ubi ad Deum per poenitentiam revertentibus promittitur: *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quibus proinde ajebat Apostolus 1. ad Cor. c. 6. *Et haec quidem fuistis* ( sordes nempe sceleribus ); *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Quomodo autem per poenitentiam a peccatis abluimur, docet in ep. ad heb. c. 9. *Si enim* ( inquiens ) *sanguis hircorum, et taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Quod et docet D. Joannes tum Apocalysis c. 1., inquiens de Christo, quod *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*; tum ep. 1. c. 1. fideles illis verbis admonens: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat vos ab omni peccato.* His autem verbis significari, quod in justificatione non quidem teguntur peccata, sed vere tolluntur, et delentur, nemo est, qui non videat. Ita igitur

2.° ex Trid. sess. 5. can. 5., ubi, *si quis* ( in-

quit ) *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod verum, et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Praeiverat D. Aug., inquiens l. 1. cont. duas epistolas Pelagianorum c. 13. *Dicimus, baptisma dare indulgentiam omnium peccatorum, et auferre crimina, non radere.*

Prob. 2. pars. Et 1.° etiam ex Scripturis, quae justificationem exprimunt per creationem in homine, qui justificatur, novi cordis, nec non per innovationem in eo cordis, ac spiritus. Ita nempe Rex poenitens ad Deum Ps. sup. cit. *Cor mundum* ( ad eum inquiens ) *crea in me, Deus; et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Nec non cit. Ezech. loco, ubi ad Deum revertentibus per poenitentiam, *Et dabo vobis* ( dicitur ) *cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.* Per id autem meram non posse intelligi peccatorum remissionem, sed veram interiorem renovationem animis ingeri, cuivis consideranti fit perspicuum: Non ergo per solam peccatorum remissionem, sed per veram interiorem ejus renovationem hominem justificari, est dicendum. De quo item sermonem faciens Apostolus ad Eph. 4., *Renovamini* ( inquit ) *spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Et ad Coloss. 3 *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Per renovationem autem spiritus, ac mentis in justitia, et sanctitate veritatis, ac secundum ipsius Dei imaginem, nequit profecto intelligi quoddam tantum peccatorum operimentum, ac mera eorum remissio, sed veram interiorem renovationem exprimi, nemo est, qui non videat: Per justificationem ergo non tantum tegi, ac remitti peccata, sed interius hominem renovari, consequens est.

2.° ex Trid.; ita enim hac super re sess. 6. cap. 7. *Iustificatio . . . . non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus.*

3.° ex Patribus; ex quibus D. Chrysostomus exponens illa Ap. verba ad Eph. 1. *Gratificavit nos in dile-*

*lecto Filio suo*, sic habet: *Hoc est, non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis acceptum aliquem scabiosum, et peste, ac morbo, senioque, ac paupertate infectum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, et postea purpura induerit, et omni ornatu ornaverit; ita nostram instruxit, et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem; cupiunt enim Angeli talem aspicere animam. Ita etiam nos fecit gratissimos, et sibi desiderabiles: Concupiscet enim, inquit, Rex pulchritudinem tuam.* Apposite etiam D. Ambrosius l. de initiandis c. 7, *Accepisti vestimenta candida* ( ait ad baptizatum ), *ut sint indicium, quod exueris involucrum peccati, et indueris innocentiae casta velamina.* Nec non D. Aug. in Enchir. c. 52. *Quemadmodum in Christo mors vera facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.*

4.° ex eo, quod cum homo per justificationem fiat Deo gratus, ejusque per adoptionem filius, ut Apostolus docet in ep. ad Rom. c. 8., nec non haeres Dei, et cohaeres Christi, profecto dicendum, alium quoque per interiorem renovationem fieri ab eo, qui prius erat, cum sine hac interiore ejus renovatione intelligi prorsus nequeat, quomodonam ex reo, ac Deo inimico, et abominabili, et quidem adeo, ut Sap. c. 14. dicatur: *Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas ejus*; ad statum illico transeat, quo eum Deus adeo ineffabiliter diligat, ejusque donis divitem, ac locupletem faciat. Et sane, ut disserit Cont. Tourn., an quia alicui scelera ab eo patrata condonata fuerint, ideo hoc solo nomine amore etiam fit dignus? An quia poenam, cui juste adjudicatus fuerat, Principis clementia non subiit, ideo hoc solo nomine ipsius Principis filius, et haeres efficitur? Quibus perpensis, non per solam peccatorum remissionem hominem justificari, sed per veram interiorem ejus renovationem, magis, magisque perspicuum est.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicitur ex Scripturis contra id, quod diximus, 1.° quod ait Regius Psaltes Ps. 31. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata! Beatus*

*vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod si id tantum optandum, per id quoque tantum justificationem perfici, est dicendum: Ita igitur. 2.° quod idem Regius Psaltes addit Ps. 84. de peccatoribus justificatis: *Operuisti* ( ad Deum inquiens ) *omnia peccata eorum*: quodque de iis, quos Deus ex Misericordiosissima sua benignitate justificat, ait Auctor Sapientiae c. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.* Expresse item dicitur Ezech. c. 33 de peccatore poenitentiam agente, quod *omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei.* Quibus respondent, quae Ap. ait 2. ad Cor. c. 5. *Deus* (inquiens) *erat in Christo Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Non ergo impius a Deo justificatur, ita ut ejus peccata vere, et proprie deleantur, et tollantur, sed solum quia operiuntur, dissimulantur, eique non amplius imputantur.

Hanc vero ( pergunt ) peccatorum non imputationem fieri per imputationem justitiae Christi, atque hanc per fidem, docet idem Ap. ad Rom. 4., ubi: *Credidit Abraham* ( inquit ) *Deo, et reputatum est illi ad justitiam . . . Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Non ergo homo justificatur, nisi apprehendendo, et faciendo sibi propriam per fidem Christi justitiam. Per quam solam justificari impium, docet quoque 1. ad Cor. c. 1., inquiens de Christo: *Qui factus est nobis Sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Et ad Eph. 1. de Deo Patre, quod *gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Quos proinde hortatur etiam c. 4 *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Rursum ergo non perficitur justificatio, nisi per imputationem justitiae Christi: et quemadmodum indumentum non est, nisi quid extrinsecum, ita et justificatio non quidem interior hominis renovatio, sed solum quid extrinsecum censeri debet, idest Christi justitia a nobis per fidem apprehensa, nobisque imputata.

Eo demum modo efficimur justitia Dei, idest justificamur, in Christo, quo *eum* ( ut ait Ap. 2. ad Cor. 5. ), *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Porro Deus Pater nonnisi imputatione Christum pro no-

bis peccatum fecit: Et sola igitur impulatione nos justitia Dei efficimur, idest justificamur.

Resp. neg. cons.; quoad 1.m enim, cum omnia nuda, et aperta sint coram Deo, profecto oportet, ut id, quod coram eo tegitur, et operitur, omnino abolitum sit, nec ullatenus supersit. Cui accedit, id, quod deletum, ablatum, et remissum sit, recte, ac verissime dici, quod amplius non apparet, nec imputatur. Hinc expendens D. Aug. in enarr. 2. in Ps. 31. laudata verba; *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: Cooperta sunt* ( subdit ), *tecta sunt, abolita sunt.*

Quo eodem sensu recte intelligi, ac intellignda esse dicimus, quae secundo loco objecta fuerunt Sacrarum Litterarum testimonia. Nec quod additum fuit ex Apostolo c. 4. epist. ad Rom., ad rem, de qua, agimus, pertinet; sensus namque ipsius verborum est, quod non ex operibus Legis sine fide, sed ex fide, quae per dilectionem operatur juxta Abrahae exemplum, qui ut Deo placeret, proprio Filio suo non pepercit, homo apud eum justificatur. Id vero patet ex Apostoli scopo, illos scilicet redarguendi, qui non ex fide in Deum, sed ex observatione legis, et abque fide hominem justificari, autumabant.

Dum vero Christus ab eodem dicitur *factus nobis Sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio*, non quidem formaliter, et per imputationem id dicitur, sed efficienter, et meritorie; prout quoque Regius Psaltes per metonymiam, sumendo scilicet causam pro effectu, ajebat Ps. 26. *Dominus illuminatio mea, et salus mea.* Et Ps. 27. *Diligam te, Domine, fortitudo mea*; idest illuminationis, salutis, et fortitudinis meae causa. Id vero patet ex contextu; ex eo enim hortatur nos Apostolus, ne gloriemur in nobis ipsis, quia nempe nec propriis viribus, nec nostris meritis, sed nonnisi mortis Christi beneficio facti sumus in eo nova creatura, novumque figmentum. Quo eodem sensu loquitur ad Eph., inquiens, quod Deus Pater *gratificavit nos in dilecto Filio suo*; non per imputationem nempe ipsius justitiae, quemadmodum haeretici comminiscuntur, sed quia nonnisi per ipsius merita justificamur. Nec infrequens est apud Apostolum, quod praepositio *in* ponatur pro *per*, ut in eodem loco ad Eph., inquiens v. 4. *Elegit nos*

*in ipso ante Mundi constitutionem*; et v. 10., *instaurare omnia in Christo;* et v. 11., *in quo et nos sorte vocati sumus*; et v. 13., *in quo credentes, signati estis*, etc.; ut hoc caeterum loquendi modo unionem quoque significaret, qua, ut ipsemet scribit ad Rom. c. 12., *multi unum Corpus sumus in Christo*.

Quod vero ibidem additum est ex eodem cap. ad Eph., non magis facessit negotii; expressis namque verbis eo loci dicitur, quod induamus novum hominem, exuentes veterem, et renovantes nos spiritu mentis nostrae. Quemadmodum ergo veterem hominem induimus contrahendo peccatum, ita induimus novum per susceptionem interioris gratiae. Et quemadmodum renovatio spiritus fieri nequit, nisi per interiorem renovationem, ita nec justificatio, nisi per interiorem animae pulchritudinem. Nec moveat indumenti comparatio, tum quia Apostolus eam adhibet ad significandum, quod Christi fideles in exterioribus quoque actibus, sive, ut loquitur 2. *ad Cor. c.* 4., in carne etiam mortali Christum repraesentare debent; tum quia locum habet, quod indumentum est quid extrinsecum, ubi agatur de indumentis corporis, at non item, ubi agatur de animi indumentis; unde non semel in Scripturis virtutum *habitus* indumentis comparantur, ut Sap. c. 5. v. 18., Isaiae c. 41. v. 10., 2. ad Cor. c. 10. v. 4., etc. Ratio vero videtur esse, quia animi indumentum sine interiori ipsius animi mutatione intelligi nequit, quippe quod, nisi animus de malo in bonum intrinsecus mutetur, nonnisi per hypocrisim bonus apparere potest.

Dum tandem dicitur, quod Deus Pater Christum pro nobis peccatum fecit, non alio sensu id dicitur ex ostensis *l. ant. tract.* 3. *cap.* 7. §. 2. *prop.* 3. *pag.* 373., nisi quod eum fecit sacrificium pro peccato, quatenus perferendo in Ara Crucis iniquitates omnium nostrum, ibique seipsum Deo Patri hostiam, et sacrificium expiationis pro illis offerendo, vere, et proprie pro nobis satisfecit, ac sanguinis sui pretio nos Deo Patri reconciliavit. Quidnam autem commune id habet cum imputatione ipsius justitiae, qua nos formaliter justi efficiamur, ut haeretici contendunt?

**Prop. III.** Interior hominis renovatio in justificatione constituitur per donum aliquod internum, et animae inhaerens. Est de fide. Istud autem idem esse, ac chari-

tatem habitualem, hinc indeque probabiliter disputatur; sed verisimilius cum Thomistis dicendum, quod sit habitus a charitate distinctus.

Prob. 1. pars. Et 1.º etiam ex Scripturis; id namque nobis credendum proponitur ab Ap., ubi ad Rom. c. 5., *Sicut per unius delictum* ( inquit ) *in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per unius . . . inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Constituimur autem peccatores, non per solam extrinsecam imputationem peccati primi parentis, sed per maculam interiorem, et per peccatum intrinsece inhaerens: Et justi igitur constituimur, non per solam imputationem justitiae sive Dei, sive Christi, sed per justitiam interiorem delentem peccata, ipsique animae inhaerentem.

Id quoque nobis credendum proponitur eodem loco illis verbis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et c. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Et 1. ad Cor. c. 6. *Haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Quod si per gratiam, qua justificamur, et de qua profecto laudatis in locis sermo fit, diffundi dicitur charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, quodque non merum nomen, sed spiritum adoptionis filiorum accipimus, quo nempe, ut docet D. Ioannes ep. 1. c. 3., *filii Dei nominamur, et sumus*, ac demum dicimur ablui, et sanctificari, nemo non videt, quod donum esse debet, non mere externum, sed ipsam animam afficiens, eique inhaerens: Ita ergo rursum.

Quod et confirmatur ex eodem magis, magisque ob ea, quae habet ad Eph. 1., quod per gratiam sanctificantem *signati sumus Spiritu promissionis Sancto*; utque ait 2. ad Cor. c. 22., *accepimus pignus Spiritus*; et 1. ad Cor. c. 6., efficimur *Templum Spiritus Sancti*. His autem verbis significari aliquid internum, atque inhaerens, cuivis consideranti fit perspicuum; quidnam enim *signari*, nisi charactere quodam, et signaculo imprimi, quo a peccatoribus distinguatur, qui eo fuerit insignitus? Quidnam *pignus*, nisi quaedam portio rei promissae, quemadmodum D. Aug. serm. 13. de verbis Apost. animadvertit; ideoque quidnam *pignus Spiritus*, nisi communicatio quaedam ineffabilis Personae Spiritus

Sancti loco illius fruitionis facie ad faciem, quae ipsius una cum Patre, et Filio nobis promittitur? Quidnam demum inhabitatio Spiritus Sancti in justo, tamquam *in Templo*, nisi in eo manere, non per solam immensitatem, hac quippe ratione etiam in impiis, et damnatis, tamquam *in Templo*, maneret, verum etiam per quoddam charisma, quo anima afficiatur, exornetur, utque ait Apostolorum Princeps ep. 2. c. 1., *efficiatur Divinae consors naturae*?

Ad quod demum ex Scripturis referuntur D. Ioannis verba ep. 1. c. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare* ( nisi nempe degenerem se praebeat ), *quoniam ex Deo natus est*. Idem autem dictu est, quod gratia, qua justificamur, est *semen Dei*, idem, inquam, quodque ejus infusio speciem habet Divinae cujusdam generationis, sitque idcirco aliquid intrinsecus animam afficiens, eique inhaerens, quemadmodum filiatio, cujus est origo: Iterum ergo, atque iterum ex Scripturis dicendum, quod interior hominis renovatio in justificatione per donum constituitur internum, atque animae inhaerens,

2.° ex Trid. sess. 6. can. 11., ubi ait: *Si quis dixerit, hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat . . . anathema sit*. Hinc Catechismus Romanus, ubi de Baptismo, *est* ( inquit ) *gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed Divina qualitas animae inhaerens*.

3.° ex testimoniis PP., quorum meminimus prop. ant., et quae ad utrumque probandum vim habere, ex eorum consideratione perspicitur.

4.° item ratione; cum enim homo justificatus fuerit, Deo gratus, ejusque et filius per adoptionem, et haeres est etiam quum, sopitis somno sensibus, nihil actu operatur; immo et infans, suscepto baptismo, etsi nullius motus actualis in Deum capax sit; quod et dicendum post baptismum de perpetuo amente, probatione non eget. Id porro cum explicari nequeat per gratiam aliquam actualem, explicandum profecto est per gratiam

aliquam ipsi internam, et inaherentem: Ejus ergo interiorem renovationem in justificatione per id genus gratiam constitui, magis, magisque perspicuum est.

Prob. 2. pars; quod enim gratia, qua justificamur, seu sanctificans a charitate habituali non distinguatur, ex eo videtur suaderi, quod sicut gratia sanctificans delet peccata, ac hominem Deo gratum, ejusque filium per adoptionem reddit, ita de charitate dicitur 1. Petri c. 4., quod *operit multitudinem peccatorum*; quodque eam habens, Deo gratus est, ajente Christo Io. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et Ego diligam eum*; nec non ejus filius per adoptionem, ut D. Ioannes testatur ep. 1. c. 4. illis verbis: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Suffragari etiam videtur D. Aug. l. de Nat., et gr. c. 70., ubi: *Charitas* ( inquit ) *inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

Quod tamen ab ea distinguatur, illud 1.° verisimilius ostendere videtur, quod Apostolus de gratia, et de charitate loquitur, tamquam de rebus distinctis, tum 2. ad Cor. c. 13., *Gratia* ( inquiens ) *Domini nostri Iesu Christi, et charitas Dei, etc.*; tum 1. ad Tim. c. 1. illis verbis: *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide, et dilectione.* 2.° quod utramque etiam videtur distinguere tum Viennense, inquiens in Clementina de Summa Trin., infundi parvulis in baptismo *gratiam informantem, et virtutes*, quorum praecipua est charitas; tum Tridentinum sess. 6. can. 2., anathematizans eos, qui dicerent, hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, *exclusa gratia, et charitate*, 3.° quod scribit D. Aug. l. de gr. Chr. c. 28., quod gratia praevenit charitatem; si enim praevenit, profecto ab ea distinguitur. 4.° quod gratia sanctificans reddit hominem Deo amabilem, charitas vero Dei amatorem. Ambo autem haec a se distingui, plane non videtur in dubium vocari posse, utique enim homo amabilis Deo esse potest, quin ipse Deum amet, immo in statu sit eum amandi; qualis nempe illi est et infans suscepto baptismo, et justus somno correptus, quin uterque Deum amet, immo et de eo cogitet, vel in statu sit illum tali tempore amandi, etiamque de eo cogitandi. Accedit, quod, ut disserit D. Thomas, sicut virtus na-

turalis praesupponit hominem in esse naturali constitutum, ita virtus supernaturalis illum constitutum praesupponit in esse supernaturali. Est autem charitas virtus supernaturalis, gratia sanctificans vero id, quod hominem in esse supernaturali constituit, cum illa sit, per quam homo efficitur *Divinae consors naturae*: Et charitas ergo praesupponit hominem per gratiam sanctificantem in esse supernaturali constitutum, a qua proinde eam distingui, consequens est.

Nec quod ex adverso allatum fuit multum facessere videtur; eadem namque de gratia sanctificante, et de charitate praedicantur eo fere modo, quo de summo caloris gradu, ac de igne aeque praedicatur, quod comburat, inflammet, etc. Sicut nempe summus caloris gradus est proxima dispositio ad ignem, ita charitas perfecta est proxima dispositio ad gratiam sanctificantem, ac adeo proxima, ut sint ab invicem inseparabilia. Quo idcirco sensu objecta etiam Augustini verba explicari posse, cuivis consideranti fit perspicuum.

Si quis caeterum dicat cum Laur. Berti l. 19. De Theol. Discipl. c. 1., quod gratia qua justificamur, seu sanctificans, est *charitas per Spiritum Sanctum inhabitantem diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaerens, per quam signati Spiritu promissionis Sancto efficiuntur Divinae Naturae consortes*; intelligatque cum eodem, *non charitatem illam, quae est a Spiritu Sancto solum movente, et quae est sanctae dilectionis inspiratio, sed charitatem, quae est a Spiritu Sancto inhabitante, et quae est animae habitudo, et quasi impressa Divinitatis imago, renovatio Spiritus, et pulchritudo justitiae; et per quam Deo cari, et Dei amici, ejusque filii vere nominamur, et sumus*: lis supererit de nomine, et ambo placita facili opera conciliantur.

## CAPUT II.

### *De proprietatibus justificationis.*

Sunt hae juxta heterodoxos certitudo, immutabilitas, et aequalitas: quibus eorum erroribus totidem opponuntur veritates fidei catholicae: Et quidem quoad 1.<sup></sup>m, nemo negat, hominem moraliter certum esse posse de

statu justitiae, certitudine scilicet, quae in moralibus haberi potest, seu quae omnem formidinem non excludat: immo neminem ad Sacramenta, quae dicuntur *vivorum*, posse accedere, nisi de statu justitiae sit moraliter certus, prudenter scilicet existimando, se in eo esse, omnes consentiunt. Ejusmodi certitudinem vocat quoque D. Thomas 2. 2. qu. 22. art. I. *conjecturalem*; eamque subdit hominem sibi efformare, *in quantum scilicet percipit, se delectari in Deo, et contemnere res Mundanas, et in quantum non est sibi conscius alicujus peccati mortalis*, vel nullatenus scilicet, vel saltem, quod per veram, ut sibi videtur, poenitentiam, et Sacramentalem absolutionem non deleverit. Non tamen de ejusmodi certitudine Lutherani, et Calvinistae loquuntur, dum inquiunt, quemquam certum esse debere, justum se esse, sed de certitudine absoluta, et infallibili; cum enim hac fide speciali, et certa fiducia, ut diximus, hominem justificari, contendant, consequens est, quod si id non credat, neque etiam justus esse potest.

Huic errori alium quoque Calvinistae addunt; justitiam nempe semel adeptam numquam amitti posse, ideoque nonnisi electorum esse, atque in iis solis immobiliter reperiri: *Solos electos* ( ita Calvinus l. 3. Instit. c. 2. ) *semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nusquam dispereat semen vitae in eorum cordibus insitum.* Inamisibilem autem eam inquiunt, non quia non contingat, ipsos quoque justos, et electos in gravissima scelera interdum prolabi, sed quia cum eo fere modo, quo amentes peccant, ipsi etiam peccando libertatis exercitio careant; sceleribus proinde quantumvis gravibus nec Spiritum Sanctum amittere, nec a gratia excidere, contendunt. Ita Calvinus, Theodorus Beza, ac Synodus Dordrectana contra Arminianos coacta an. 1619. A quorum sententia discedentes alii ex iis, opinati sunt, quod licet aliquando ipsi quoque justi, et electi sanctitatem amittant, atque in reatum aeternae damnationis incidant, infallibiliter tamen resipiscunt, atque ad poenitentiam adducuntur, cum semper penes se habitudine retineant fidem, et charitatem, quae semen est vitae aeternae. Ita Pareus, Forbesius, aliique.

Cum demum tam Lutherani, quam Calvinistae in alio, ut diximus, justitiam non constituant, nisi in mera peccatorum non imputatione per imputationem justi-

tiae, vel qua Deus justus est, vel justitiae Christi, qui pro nobis satisfecit; eaque peccatorum non imputatio, sicut et imputatio sive justitiae, qua Deus justus est, sive justitiae Christi magis, et minus non admittant; neque etiam justificationem magis, et minus admittere, sed in omnibus parem, et aequalem esse, utrique conveniunt. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Nemo nec debet, nec potest, citra specialem Dei revelationem, vel fide Divina, vel etiam absoluta, et infallibili certitudine certus esse, quod sibi peccata remissa fuerint, sitque apud Deum justus. Est de fide, quatenus nemo certus de hoc esse potest certitudine fidei Divinae: quatenus vero neque etiam certo id scire potest absolute, et infallibiliter, est commune, nec nisi magna cum temeritate negaretur.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ita enim apposite Prov. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Item Ecclesiastis 9. *Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Quod et confirmans Apostolus, *nihil mihi* ( inquit de seipso 1. ad Cor. c. 4. ) *conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et ad Rom. 11. *Noli* ( inquit ) *altum sapere, sed time.* Et ad Philip. 2. *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini.* Quae omnia locum non habere, si quis posset citra specialem Dei revelationem vel fide Divina, vel etiam absoluta, et infallibili certitudine certus esse, quod sibi peccata remissa fuerint, sitque apud Deum justus, nemo est, qui non videat.

2.° ex Trid. sess. 6. cap. 9., ubi ita Patres: *Sed neque illud asserendum est, oportere, eos, qui vere justificati sunt, absque ulla dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, nisi eum, qui certo credat, se absolutum, et justificatum esse; atque hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici; quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, et resurrectionis Christi efficacia dubitet: nam sicut nemo pius de Dei Misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Non ergo, nisi

certitudine, cui potest falsum subesse, ideoque nec certitudine fidei Divinae, nec certitudine, quae sit absoluta, et infallibilis, potest homo, citra specialem Dei revelationem, de hoc confidere.

3.° ex Patribus; ex quibus ita D. Basilius c. 2. Const. *Multa peccantes, plurima non intelligimus. Quapropter dicit Apostolus:* Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; *hoc est, multa pecco, et non intelligo.* In quae Apostoli verba ita quoque ad rem D. Hieronymus l. 2. cont. Pelag. *Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat. Sed quia legerat:* Delicta quis intelligit?, *idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset.* Qua super re ita demum D. Aug, l. de perfect. just. c. 15. *Quantalibet justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum.* Et serm. 23. de verbis Dom. *Fortasse* (inquit) *tu nihil inveneris in conscientia tua. Invenit ille, qui melius videt.*

4.° etiam ratione: certum namque est, de fide Divina non esse, nisi quod fuerit a Deo immediate revelatum, vel ab iis, quae a Deo immediate revelata sunt, evidenter evolvitur: Certum vero absoluta, et infallibili certitudine, nisi quod ita evidenter constat, ut omnem prorsus formidinem excludat. Deus autem revelavit quidem, se peccata remissurum vere, atque, ut oportet, poenitentibus; ubinam tamen, quod hunc, vel illum vere, atque, ut oportet, poenituerit suorum peccatorum? Undenam saltem ex iis, quae Deus revelavit, evolvi id potest, et quidem evidenter? Quomodonam demum adeo id potest evidenter constare, ut omnis prorsus formido de opposito evanescat, cum Jeremiae c. 17. dicatur: *Pravum est cor hominis, et inscrutabile; quis cognoscet illud?* Hinc D. Aug. in Ps. 41., *Cor hominis* (inquit) *abyssus est. Quid est profundius hac abysso? . . . Quanta autem abyssus sit, Apostolus ait: Neque ego meipsum judico. Tantamne profunditatem creditis esse in homine, quae lateat ipsum hominem, in quo est?* Nullatenus ergo vel fide Divina, vel etiam absoluta, et infallibili certitudine potest, quisquis sit, citra specialem Dei revelationem, certus esse, quod sibi peccata remissa fuerint, sitque apud Deum justus.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Paulus ad Rom. 8. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Quibus similia habet quoque 1. ad Cor. c. 2. *Nos* ( inquiens ) *non Spiritum hujus Mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.* Nec non D. Joannes ep. 1. c. 4. *In hoc* ( inquiens ) *cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Quidnam autem certius, quam quod Spiritus Dei testatur, atque ab eo ipso scimus? Hinc idem Joannes l. cit. c. 3., *Scimus* ( inquit ), *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et c. 5. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Accedit ex ep. ad Rom l. cit., quod vas ille electionis paullo post laudata verba de seipso subdit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos separare a charitate Christi.* Si autem certus de charitate, hoc ipso etiam certus de gratia; de qua similiter certus quisque esse potest. Scribens quoque ad Corinthios ep. 2. c. 13., *Vosmetipsos* ( inquit ) *tentate, si estis in fide; ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est, nisi forte reprobi estis.* Ex his autem verbis quid clarius, quam quod Apostolus supponit, utique hominem certo cognoscere posse, an sit in fide; habeatque Christum in se per gratiam inhabitantem? Ita igitur.

Resp. dist. min.; certo scilicet plerumque esse nos posse de propria justitia certitudine, ut diximus, quae omnem non excludat formidinem, non autem certitudine vel fidei, vel absoluta, et infallibili; cum enim Scripturae contradicere sibi nequeant, non aliter objecta testimonia intelligere nos cogunt alia earumdem Scripturarum testimonia, quae inter probationes produximus.

Sed respondendo etiam ad singula, nihil quidem certius, quam quod Spiritus Dei testatur, atque ab eo ipso scimus. Quisnam tamen absoluta, et infallibili certitudine certus esse potest, testimonium, quod habet de sui ipsius justitia, esse testimonium Spiritus Dei, cum similiter esse posset Spiritus mendacis; quodque existimat, se a Deo scire, mera sit ipsius illusio? Quisnam absoluta, et infallibili certitudine certus esse potest, id,

quod ipse conjicit sive ex amore, quo erga proximum afficitur, sive ex aliis id genus indiciis, argumentisque, ita revera esse, ut ipse inde conjicit, et non potius illusionem, qua sibi blanditur?

Nec magis habet roboris, quod additum est: certum se namque ait Apostolus de sui ipsius charitate, ideoque et de gratia, quia forsitan fuerat illi specialiter revelatum, quemadmodum ex iis, quae ad Timotheum scripsit, colligi videtur: quisnam tamen citra Dei revelationem idem de se dicere audebit? Cui accedit, *certum* accipi etiam posse eo loci perinde ac *persuasum*, eoque sensu, quo in eadem ep. ad Rom. c. 5., *certus sum* (inquit) *fratres, quod pleni estis dilectione*. Et 1. ad Tim. c. 1. *Certus sum, quod habitat in te fides non ficta*; idest validis argumentis sum de hoc persuasus.

Probationem demum, ad quam Corinthios hortatur, non de absoluta, et infallibili certitudine accipiendam esse, sed de ea, quae haberi potest in moralibus, nec formidinem excludat, ex eo patet, quod quisquis absoluta, et infallibili certitudine certus esset de sua justitia, opus non haberet, se de hoc probare; quod tamen Apostolus monet, inquiens: *Ipsi vos probate*. Cumque quisquis de hoc sollicitus non esset, justitiam, ut quisque videt, quodammodo contemneret, addit proinde Apostolus: *Nisi forte reprobi estis*. Ita objectis Apostoli verbis non pauci. Satius tamen cum aliis videtur dicendum, totam Corinthiorum Ecclesiam alloqui eo loci Apostolum; eosque docere, quod, nisi forte reprobi essent, et Satanae artibus Spiritus Sancti opera tribuerent, non poterant ex miraculis, aliisque gratiis, quas Spiritus Sanctus in eos effuderat, certa fide non cognoscere, se in vera Christi Ecclesia esse; omnesque idcirco Pseudoapostolos, qui doctrinae, quam ipse illis praedicaverat, detrahebant, atque ab ea illos abducere conabantur, contemnere debere, iisque aures claudere. Ita prae aliis doctissimus Praesul Archangelus Lupoli Archiepiscopus Salernitanus in suis Theologiae Lectionibus. tom. 7. cap. ult.

Objic. 2.° quod in eadem ep. ad Rom. ait c. 4. *Si enim qui ex lege, haeredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni homini*. Promisit autem Deus, remissurum se nobis peccata, ac salvos nos facere: Firmiter ergo ab omnibus, et singulis, quantumvis scelestis,

et peccatoribus, credendum est Dei promissis de peccatorum remissione, ac salute futura. *Ab omnibus, et singulis*, utpote *omni homini* a Deo factis, tum scilicet omnibus in generali, tum cuivis etiam in particulari, et singulari: *quantumvis scelestis, et peccatoribus*, utpote factis absque ullo ad legem respectu, ut aperte indicant verba: *Si enim qui ex lege haeredes sunt, etc.* Ita prae aliis Kemnitius; audacter adjiciens, objecta Apostoli verba totidem esse adversus Concilium Tridentinum fulmina.

Resp. dist. min.; quod nempe Deus promisit utique, remissurum se nobis peccata, modo nos eorum poeniteat, sicut oportet, ac salvos nos facere, modo nos ejus mandata servemus, eaque in finem servemus; utque utrumque complectamur, modo nos ejus gratiae, qua nos ad dignam peccatorum poenitentiam, ac debitam ejus legibus obedientiam exstimulat, et adjuvat, ut par est, cooperemur: non vero absolute, atque a praefatis abstrahendo, ita ut nulla ex parte nostrum cooperatio sit necessaria. Hinc aeque etiam dist. cons.; firmiter nempe credendum esse Dei promissis ex parte ipsius Dei; at non item ex parte propria; cum enim facta non fuerint absolute, sed sub conditione cooperationis nostrae, nec sit, ut diximus, qui absoluta, et infallibili certitudine certus esse possit de hac ejus cooperatione, nemo etiam adeo potest in illis conquiescere, ut nullatenus timeat. Ait autem Apostolus *si qui ex lege etc.*, non ut excluderet observationem legis, quasi non amplius necessariam ad remissionem peccatorum, et salutem futuram, sed significans, non amplius post Evangelii promulgationem Legum coeremonialium sectatores haeredes esse illarum Dei promissionum, sed omnes, qui Christi fidem profiterentur; quodque cum ejusmodi promissiones factae sint Ecclesiae universali, neque etiam Evangelii praevaricatores illas umquam exinanire, et abolere possunt, sed omni homini, qui Christi fidem profiteatur, ejusque gratiae cooperetur, firmum semper erit quidquid Deus promisit.

Objic. 3.° Fideles omnes spei praecepto constringi tum remissionis peccatorum, tum futurae salutis, nemo est, qui in dubium vocare possit. Spes autem, ut docet Apostolus ad heb. 6., anchorae similis esse debet, firmissima nempe, et immobilis: Et omnes ergo constringi, ut firmiter, atque immobiliter credant, sibi remissa esse peccata, et salvos futuros, consequens est.

Resp. dist. min.; quod nempe spes anchorae similis esse debet, quatenus, ut ait D. Thomas 2. 2. qu. 18. art. 4., *innititur principaliter Divinae Omnipotentiae, et Misericordiae . . . de Omnipotentia enim Dei, et Misericordia ejus certus est quicumque habet fidem*; at non item, quatenus nostram quoque cooperationem exigit, non enim justificationis, et salutis nostrae negotium a Dei tantum Omnipotentia, et Misericordia, atque ex Christi meritis, et efficacia Sacramentorum pendet, verum etiam ex nostra cooperatione: de qua, citra specialem Dei revelationem, certos nos esse posse, adeo ut nullus formidini locus supersit, vanum, ac temerarium; adeo vero, ut credatur etiam certitudine fidei Divinae, nedum vanum, et temerarium, sed et haereticum ostendimus.

Aliam proinde, scite advertit Bellarminus, esse fidei, aliam spei certitudinem; cum enim certitudo fidei soli revelantis Dei auctoritati innitatur, absoluta est, et infallibilis, nec ullam admittit formidinem de opposito. At non item certitudo spei, quae cum innitatur tum Dei promissionibus, tum propriae cooperationi, non enim Deus absolute promisit, vel peccata alicui se remissurum, vel salvum aliquem facturum, nisi quem peccatorum suorum vere, atque, ut oportet, poeniteret, quique ejus gratiae auxiliis cooperaretur declinando a malo, et bonis operibus incumbendo: his positis, sub primo quidem respectu omnem Christiana spes excludit formidinem, quod enim Deus pollicitus fuerit, procul dubio adimplebit; non tamen sub altero respectu, sub quo nec est, nec esse potest absoluta, et simplex ejus certitudo, sed conjecturalis tantum, quae formidinem admittit:

Prop. II. Nec inamisibilis, nec ad solos electos justitia pertinet. Est de fide.

Prob. Et 1° etiam ex Scripturis; luculentissime id namque ostendunt Ezech. verba c. 18. *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, numquid vivet? Omnes justitiae ejus, quas fecerit, non recordabuntur. In praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Et c. 33. *Fili hominis, dic ad filios populi tui: Iustitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit.* Quod si justus potest se a justitia avertere, et in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato, quod peccavit, mori, quin illum praeterita justitia a perditione liberet,

evidens profecto est, et justitiam esse amisibilem, et nedum electos, sed et eos, qui in peccato moriuntur, idest reprobos, justos esse posse: Nec inamisibilis ergo, nec ad solos electos justitia pertinet.

Accedit ex Scripturis quod ad Ephesios scribebat Apostolus c. 5., monens, atque adhortans eos, ut a fornicatione, aliisque sceleribus caverent: *Hoc enim* (inquiens) *scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet haereditatem in Regno Christi, et Dei.* Iustos antem eosdem nuncupat paullo post illis verbis: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate*; eosque, subdit, haereditatem in Regno Christi, et Dei non habituros, ideoque e numero reproborum esse, si ab illis sceleribus non caverent. Iustitiam ergo et amisibilem esse, et ad solos electos non pertinere, consequens est.

Corinthios quoque ep. 1. c. 3. Templum esse Spiritus Sancti, et in iis Spiritum Dei habitare, ideoque esse justos, adstruit v. 16. *Nescitis* (inquiens), *quia Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*; et tamen v. sequ. hortatur, ne Templum Dei audeant in sibimetipsis violare: *Si quis* (pergens) *Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quod si justos eos esse, adstruit, aitque simul, eosdem Deum dispersurum, si Templum Dei in sibimetipsis violare auderent, quidnam magis, magisque clarius, quam quod justitia et amitti potest, et ad solos electos non pertinet? Rursum ergo evidens, quod nec inamisibilis est, nec ad solos pertinet electos.

Quod et demum luculenter docet in eadem ep. c. 9. illis verbis: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar.* Nec non ad heb. c. 6. *Impossibile est* (inquiens), *eos, qui semel sunt illuminati... et participes facti sunt Spiritus Sancti.. et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Quibus similia habet quoque Apostolorum Princeps ep. 2. c. 2., inquiens de iis, qui postquam justificati fuerint, rursus delinquunt: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti.* Quid clarius magis semper, magisque, quam quod justus, qualis profecto erat Apostolus, cum illa scriberet, potest justitiam amittere, ac reprobus fieri? Quodque et

ii, qui participes facti sunt Spiritus Sancti, ac viam justitiae ingressi sunt, prolabi, et retrorsus converti possunt, quin rursus renoventur ad poenitentiam, ac justitiae viam amplius ingrediantur, quam proinde melius illis erat, non agnovisse? Posse ergo justitiam et prorsus, et finaliter amitti, ideoque nec inamisibilem esse, nec ad solos pertinere electos, Sacrarum Litterarum auctoritas iterum, atque iterum fateri nos cogit.

Prob. 2.° ex Trid. sess. 6. can. 23., ubi: *Si quis* (inquit) *hominem semel justificatum, dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur, et peccat, numquam fuisse vere justificatum... anathema sit.*

3.° ex Patribus; ita enim ad rem luculentissime D. Chrysostomus in c. 8: ep. ad Rom. *Si dum hic es, depuleris a te Spiritus gratiam, et non ea servata abeas ex hac vita, periisti, quamquam resurrexeras.* Item D. Hieronymus l. 11. cont. Iovinianum: *Si peccaverimus, et per peccati januam ingressus fuerit Diabolus, protinus Christus recedit.* Aliisque, qui praesto essent, praetermissis, ita demum D. Aug. l. de corrept., et gr. c. 8. *Filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam.* Et c. 13. *Ne quis extollatur, sed etiam ii, qui bene currunt, timeant, dum occultum est, quo perveniant, credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem in fide, quae per dilectionem operatur, incipere vivere, et aliquandiu fideliter, et juste vivere, et postea cadere.* Et l. de dono persev. c. 9. *Ex duobus piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei... Nonne utrique vocati fuerant, et vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati?* Nihil disertius.

4.° rationibus theologicis; nonne enim justus et David, de quo Deus dixerat, ut legitur Act. 13. *Inveni David virum secundum cor meum?* Nec non Petrus, quem justum fuisse, antequam Christum negaret, evidenter patet, ut diximus *tract. ant. cap. 2. pag. 270.*, ex Christi verbis, cum illi, aliisque discipulis esset pedes loturus: *Qui lotus est,* (inquit), *non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non*

*omnes ; sciebat enim , quisnam esset , qui traderet eum. Propterea dixit : Non estis mundi omnes* ( *Io.* 13. ) ; quod solus nempe, qui eum erat traditurus, idest Judas, mundus ex Apostolis non erat, idest justus. Attamen tum Davidem, tum Petrum e justitia excidisse, nemo ignorat. Nonne item justi infantes omues post susceptum Baptismum, et quidem adeo, ut *nihil in iis* ( teste Ap. ad Rom. 8. ) *damnationis sit* ? Fere omnes tamen e justitia, cum adoleverint, excidere, eorumque non paucos in peccatis, quae peccaverint, migrare ex hac vita, nemo plane in aleae dubium vocabit. Nonne demum monemur omnes ab Apostolo ad Philip. 2., ut *cum metu, et tremore salutem nostram operemur* ; idque maxime, quia ex ostensis *l.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *prop.* 3. *pag.* 288., perseverantia usque in finem speciale Dei donum est, quod numquam mereri potest de condigno, sed jugibus precibus est a Deo poscendum, nec nisi a sola ejus Bonitate, ac Misericordia expectandum ? Nemo autem non videt, quod si justitia semel adepta amitti amplius non posset, eaque item non esset, nisi electorum, nec ullatenus timendum esset., nec perseverantia usque in finem specialis Dei doni, quod jugiter ab eo petere deberemus, rationem haberet.

5.° ex falsitate suppositorum, quibus superextruxit Calvinus praefatam justitiae inamisibilitatem; quod nempe sola fides justificat ; quodque haec ad solos pertinet electos, nec semel concepta potest amplius amitti. Nihil porro horum, nisi falsum; primum nempe ex ostensis cap. ant. prop. 1. ; ambo vero alia, quia Iudam fidelem quondam fuisse, immo et bonum, dubitare non sinunt Christi verba tum Io. 6., ubi Apostolos alloquens, *nonne* ( inquit ) *ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis Diabolus est* ? Quod si nonnisi bonum eligitur, modo electio non sit ex errore, qui in Christum cadere non poterat, profecto dicendum, quod cum Iudas electus fuerit a Christo, et fidelis erat, et bonus tempore, quo electus fuit : Tum c. 17., ubi alloquens Patrem, *Pater* ( inquit ), *quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis* ; cum enim dixisset c. 6., *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*, ad eum proinde Iudam venisse, utique per fidem, consequens est. Fidem quoque Simonem Magum habuisse, Auctor est D. Lucas Act. 5. illis verbis : *Cum vero credidisset Philip-*

*pe evangelizanti de Regno Dei, et in nomine Iesu Christi baptizarentur viri, ac mulieres, tunc Simon, et ipse credidit, et cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo.* Quam item habuisse Nicolaum Antiochenum, scribit idem Lucas c. 6., Apostolorum verba in electione septem Diaconorum referens: *Considerate ergo, fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et Sapientia. Et elegerunt Stephanum, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum.* Tam Iudam autem, quam Simonem Magum, ac Nicolaum Antiochenum reprobos fuisse, nemo est, qui ignoret: Falsum igitur, fidem ad solos pertinere electos. Quam et conceptam amitti posse, expressis verbis docet Apostolus ep. 1. ad Tim. c. 1. illis verbis: *Bonam conscientiam . . . repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymanaeus, et Alexander.* Et c. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum.* Hinc cum tria praefata, quod nempe sola fides justificat, quodque haec ad solos pertinet electos, nec semel concepta potest amplius amitti, ea sint, quibus superextruxit Calvinus praetensam justitiae inamisibilitatem, cunctis proinde, tamquam falsis, ruentibus, ipsa quoque justitiae inamisibilitas ruit.

Tantam demum habet absurditatem refutatum Calvinianorum dogma, ut Grotius, quamvis ex eorum grege, scripserit in animadv. pro suis ad Cassand. notis, art. de discrim. pecc. mort., et ven. *Nullum potuit in Christianismum induci dogma perniciosius, quam hoc, hominem, qui credidit, posse prolabi in scelera, et flagitia, sed accidere non posse, ut propterea Divino favore excidat, aut damnationem incurrat. Hoc nemo veterum docuit, nemo docentem tulisset. Nec aliud evidentius vidi argumentum detortae ad privatos sensus Scripturae, quam in hoc negotio.*

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod asserit Regius Psaltes Ps. 36., quod nempe justus, *cum ceciderit, non collidetur.* Et Ps. 98., quod *qui operantur iniquitatem, in viis ejus non ambulaverunt.* Nec non quod per Ieremiam c. 31. de Novi

foederis gratia Deus praenuntiaverat illis verbis: *Timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me:* Non ergo justus ita umquam cadit, ut collidatur, amittat scilicet justitiam: nec quisquis viam salutis per gratiae acquisitionem aggressus fuerit, ab ea amplius per iniquitatem deflectit; nec demum gratia Novi foederis semel exornatus a Deo amplius recedet.

Resp. neg. cons.: quoad 1,m enim, loquitur Regius Psaltes l. cit. de tribulationibus hujus vitae, inter quas dum versatur justus, animo non deficiet, eo quod iis, ut ibidem dicitur, *Dominus supponit manum suam*; opportunis nempe gratiae auxiliis occurrit, ut eas patienter toleret: *Contingat illi* (ita in objectum locum D. Aug.), *ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, et caetera, quae abundant in vita ista; proponat sibi Dominum suum, quanta genera tentationum passus est, et non conturbabitur, cum ceciderit, etc.* Nec solum animo non deficiet, verum etiam si in Domino, ut par est, confidat, ejusque patrocinium imploret, hoc illi praesto erit, ac si ipsius bono expediat, liberabitur. Quoad 2.m, commune est apud Interpretes, quod sicut in 1. Psalmo praeteriti temporis verba *abiit*, *stetit*, *sedit* intelligenda sunt, ut quisque videt, in tempore praesenti, ita et loco cit. usurpatur tempus praeteritum pro praesenti, nec aliud eo loci significatur, quam quod omnes, qui operantur iniquitatem, in viis Dei non ambulant; quo nihil verius. Quoad 3.m denique, non de gratia habituali, sed de actuali objecta Ieremiae verba intelligenda esse, ac de ea praecise, qua Deus ex benignissima sua miseratione facit, ut faciamus, ac in bono usque in finem perseveremus, docet D. Aug. tum *l. 4. contra duas epist. Pelagianorum c.* 6., tum *l. de dono persev. c. 8., et* 9.; quo duce idcirco ex laud. Ieremiae loco perseverantiam usque in finem speciale esse Dei donum, ostendimus *l*, 2. *tract.* 12. *l. sup. cit.*

Objic. 2.° tum Canticorum verba c. 7. *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: tum quod ait Christus Io. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum:* tum quod ait Ap. 1. ad Cor. c. 13. *Charitas numquam excidit.* Ejusmodi ergo est charitas, quae in justificatione diffunditur in corde per Spiritum Sanctum, ut nihil

extinguere, ac obruere eam possit, numquam exsiccetur, numquam excidat.

Resp. neg. etiam cons.; quoad 1.m namque, et 2.m, ejusmodi dicitur, quia nisi homo, postquam justificatus fuerit, ipse prius Deum deserat, ab eo numquam deseritur, sed opportunis gratiae auxiliis invincibilis ab eo redditur contra omnes hostium irruentium impetus, omnesque concupiscentiae illecebras. Quoad 3.m vero, ex contextu patet, alium non esse verborum Apostoli sensum, quam quod in patria fides quidem, spes, prophetiae, linguae, aliaque id genus statui viae respondentia deficient, non tamen charitas, quae immo nonnisi illic erit, tamquam lux, cum creverit usque ad perfectum diem.

Objic. 3.º D. Ioannes ep. 1. c. 3. ubi: *Omnis* (inquit), *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Et c. 5. *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum.* Quod si omnis, qui natus est ex Deo, idest justus, nec peccat, nec peccare potest, neque etiam poterit umquam justitiam amittere: Ita igitur.

Resp dist. min.; quod nempe, ut et diximus *tract.* 3. *cap: 4. resp. ad* 1.m, omnis, qui natus est ex Deo, nec peccat, nec peccare potest in sensu composito, seu quatenus natus est ex Deo, nec degenerem se reddat; nullatenus enim potest gratia sanctificans consistere cum peccato mortali, nec quis simul esse mundus, et immundus, justus, et injustus, innocens, et reus, filius Dei et filius Diaboli, dignus vita aeterna et morte aeterna dignus: non vero in sensu diviso, quasi justitiam semel adeptam amittere nequeat. In priori autem sensu locutum esse D. Ioannem, manifeste patet tum ex iis, quae habet in eadem ep. cap. ant., *Filioli* (inquiens), *haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem*; tum ex contextu, ejusque scopo, cum enim error insurrexisset, solam fidem satis esse ad salutem, animisque S. Apostolus vellet ingerere necessitatem quoque ad eam bonorum operum, *Filioli* (inquit), *nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Dia-*

*boli. Omnis, qui natus est ex Deo, etc.* Quasi diceret: Omnis, qui natus est ex Deo, degenerem non se ostendat; sed natum se esse ex Deo, et semen ejus, idest gratiam, per quam accepit spiritum adoptionis filiorum, in eo manere, operibus comprobet. Nec infrequens est in Sacris Litteris, negari de aliquo, quod illi non convenit sub quodam respectu, in sensu scilicet cum hoc composito, sed utique illi sub alio convenit, in sensu scilicet diviso ab ejusmodi respectu; ut quum dicitur Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere.* Et ad Rom. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Et 1. ad Cor. c. 2. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei*: Cum enim negari nequeat, et arborem, quae mala est, posse in bonam converti, et eum, qui in carne est, posse a carnali vita desinere, et eum, qui animalis est, evadere spiritualem posse; nemo non videt, nonnisi etiam in sensu composito adstrui, et quod arbor mala non potest bonos fructus facere, quamdiu scilicet mala est; et quod qui in carne sunt, Deo placere non possunt, quamdiu scilicet sunt in carne; et quod animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, quamdiu scilicet animalis est. Sed et consulantur quae *l. sup. cit.* super objectis verbis diximus.

Objic. 4.º quod *sine poenitentia* (quemadmodum Apostolus c. 3. ad Rom. ait) *sunt dona, et vocatio Dei.* Est autem justitia omnium Dei donorum maximum: Sine poenitentia igitur, ideoque irrevocabilis, quin proinde amitti amplius possit.

Resp. neg. cons.; sine poenitentia enim est, ideoque irrevocabilis dici potest hoc sensu, quod, ut ait Trid. sess. 6. cap. 11., *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*; non vero hoc sensu, quod amitti amplius non possit, quod enim amitti possit, ex ipsis Sacris Litteris supra inter probationes prolatis, evidenter liquet. Hinc responderi etiam potest dist. cons.; quod nempe justitia amitti nequit ex parte Dei, juxta id, quod ipse Deus per Oseam ait c. 13. *Perditio tua* (idest, ut explicat D. Thomas 1. 2. qu. 111. art. 3.; *ex te*), *Israel*; *tantummodo in me auxilium tuum*; at utique amitti potest ex parte ipsius justi, qui potest se a justitia avertere, non enim secus dixisset Deus per Ezech. l. sup. cit. *Si averterit se justus a ju-*

*stitia sua*; *omnes justitiae ejus*, *quas fecerit*, *non recordabuntur*.

Prop. III. Gratia sanctificans, qua justificamur, aequalis non est in omnibus justis. Est de fide.

Prob. Et 1.° etiam ex Scripturis; dicitur namque Prov. 4. *Justorum semita*, *quasi lux splendens*, *prodit*, *et crescit usque ad perfectam diem*. Et ab Apostolo ad Philipp. 1. *Hoc oro*, *ut charitas vestra magis*, *ac magis abundet*. Et Apocalypsis c. 11. *Qui justus est*; *justificetur adhuc*, *et sanctus sanctificetur adhuc*. Quod si justitia juxta allatos textus magis semper, magisque augeri potest, par profecto in omnibus dicenda non est: Patet ergo propositum.

2.° ex Trid. sess. 6. can. 24., ubi: *Si quis* (inquit) *dixerit*, *justitiam acceptam non conservari*, *atque etiam augeri coram Deo per bona opera*, *sed opera ipsa fructus solummodo*, *et signa esse justificationis adeptae*, *non autem ipsius augendae causam*, *anathema sit*. Eam autem augeri per bona opera, ac parem in omnibus non esse, sibi mutuo respondent.

3.° ex Patribus, pro quibus sufficiat D. Aug. tract. 6. in Jo., ubi: *Ipsi Sancti* (inquit S. Doctor), *ipsi boni in Ecclesia sunt alii aliis sanctiores*, *sunt alii aliis meliores*. Et ep. 187., alias 57. *Unde* (inquit) *in omnibus Sanctis sunt alii aliis sanctiores*, *nisi abundantius habendo habitatorem Deum*?

4.° demum ex inaequalitate gloriae in Patria; unumquemque enim gloriam illic consecuturum juxta rationem gratiae, testis est Psaltes Regius Ps. 83., *Gratiam* (inquiens), *et gloriam dabit Dominus*. Itemque Ap. ad Rom. 6., *Gratia* (inquiens) *Dei vita aeterna*. Est autem gloria, qua fruuntur Beati, adeo, ut idem inquit 1. ad Cor. c. 3., inaequalis, quemadmodum *alia claritas Solis*, *alia claritas Lunae*, *alia claritas stellarum*: quod et aliis momentis de fide ostendimus *l. 2. tract. 10. cap. 4. prop. 3. pag. 141.*: Inaequalis ergo et gratia, per quam illam consecuti sunt; quod et de justis in statu viae dicendum esse, nemo est, qui non videat. Quae idcirco adversus propositam thesim haeretici objiciunt, produximus, et diluimus ibidem, ubi consulantur.

## CAPUT III.

*De virtutibus infusis, ac donis Spiritus Sancti justificationem comitantibus.*

Definitur virtus a D. Thoma 1. 2. qu. 55. art. 4. *qualitas mentis, qua recte vivitur*, idest proxime ad bene operandum disponens. Naturalis autem dicitur, si naturae viribus acquiri possit; supernaturalis vero, si a solo Deo possit infundi. De virtutibus porro hujus secundi generis, quatenus justificationem comitantur, hic loquimur; cum enim operari sequatur esse, ideoque etiam modus operandi modum sequi debeat essendi, hoc ipso plane, quod homo per gratiam sanctificantem, qua justificatur, Divinae consors naturae efficitur, idest in esse quodam Divino constituitur, hoc ipso, inquam, virtutes illi infundi debent simul cum gratia sanctificante, per quas ad operationes quodammodo Divinas proxime disponatur.

Ex eo autem, quod in animam simul cum gratia sanctificante infunduntur, virtutes infusae appellantur; quas caeterum ope gratiae acquisitas etiam esse posse; probatione non eget. Subdistinguuntur vero in Theologales, idest *quae Deum pro objecto, et aliquod ejus Attributum pro motivo habent*, suntque fides, spes, et charitas: nec non morales, idest, *eae, ad quarum normam omnis vitae actio exigenda est, ut sit secundum rationem, et Deo referibilis.* Cum tamen omnis actus speciem sibi propriam ex motivo sumat ex dictis in *tract. de actib. hum. c. 2.*, nulla idcirco ex iis erit supernaturalis, nisi exerceatur ex motivo supernaturali. Ex iisdem vero quatuor dicuntur *cardinales*, suntque prudentia justitia, fortitudo, et temperantia, eo quod circa aliquam ex iis reliquae virtutes, velut circa suum cardinem, versantur; ad *prudentiam* namque revocantur sollicitudo rerum Divinarum, docilitas, et circumspectio; ad *justitiam* religio erga Deum, pietas erga parentes, observantia erga majores, gratitudo, liberalitas, veracitas, affabilitas; ad *fortitudinem* patientia, constantia, magnanimitas; ad *temperantiam* abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia, verecundia, honestas, mansuetudo, clementia, humilitas, modestia, et studiositas.

Quaenam denique sint dona Spiritus Sancti, diximus

*tract.* 1: *cap.* 1., quorum rursum septenarium numerum hic referre, abs re non erit Isaiae verbis c. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Distinguuntur autem virtutes sive Theologales, sive mortales infusae a donis Spiritus Sancti in hoc, quod per illas proxime homo disponitur ad operationes, supernaturales quidem, sed quae nihil rari, et praeter commune habent; per haec vero, idest dona Spiritus Sancti ad operationes etiam supernaturales, quae sint extraordinariae, et praeter commune. Quibus praemissis, sit

Prop. In justificatione infusos tum Theologicarum, tum moralium virtutum habitus, nec non dona Spiritus Sancti simul cum gratia sanctificante homo suscipit. Est de fide quoad habitus virtutum Theologicarum. Quoad habitus vero virtutum moralium, et dona Spiritus Sancti, ita post D. Thomam 1: 2. *qu.* 63. *art.* 3. fere communiter:

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Ap. verbis ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Nequit autem charitas Dei haberi absque fide, quae praeluceat, et spe, qua illum homo concupiscat: Per Spiritum Sanctum ergo in justificatione fidem quoque, et spem simul cum charitate infundi, consequens est. Quod et proinde confirmans in ep. 1: ad Cor. c. 13., *Nunc autem* ( inquit ) *manent fides, spes, charitas; tria haec, major autem horum est charitas.* Non manent autem in infidelibus, quod probatione non eget; neque in peccatoribus, qui charitate destituuntur, non enim secus peccatores essent: Ergo in justis; quos proinde in justificatione earum habitus suscipere, est dicendum.

2.° ex Trid. sess. 6., ubi cum declaraverit Concilium cap. 7., quod *in justificatione haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem*; et can. 11. definierit: *Si quis dixerit, hominem justificari . . . sola remissione peccatorum, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat. . . anathema sit*; Vega idcirco, qui Concilio interfuit, nec non Suaresius, aliique, non minus, quam de fide id esse, contendunt: cum enim fides quidem, et spes sine charitate esse possint, non tamen charitas absque fide,

et spe, nemo non videt, quod Concilii definitio sub anathematis poena nedum charitatem, sed et fidem, ac spem pro objecto habet.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex cit. l. ad Cor., ubi Apostolus inquit, quod per justificationem manent in nobis fides, spes, charitas; quia nempe, ut diximus, earum habitus in justificatione suscipimus. Docet autem ibidem, quod *charitas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*: Et harum igitur virtutum, quae charitati annexae sunt, ideoque virtutum omnium moralium habitus nos per eam suscipere, consequens est. 2.° ex illis ejus verbis ad Titum c. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde*; exponens namque haec ejus verba *effudit abunde* Magnus Ecclesiae Doctor Augustinus, *nimirum* ( inquit ) *ad remissionem peccatorum, et copiam virtutum*. Quibus demum ex Sacris Litteris accedit quod legitur Sap. c. 8.; Divinam nempe Sapientiam docere *sobrietatem, et prudentiam, et justitiam, et virtutem*. Porro Sapientiam Divinam, idest Deum illas virtutes docere aliud profecto non est, quam eas infundere, ut dicitur in Conc. Milevitano, seu potius Carthaginensi c. 4.: Magis ergo, magisque patet propositum.

2.° ex Trid. verbis in eadem sess. cap. 7., quod *justificatio . . . non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum*. Quaenam autem haec, nisi virtutes omnes, aliaque id genus bona supernaturalia, quae in ejus animam infunduntur, ac permanenter suscipiat, sicut permanenter suscipit gratiam?

3.° ex Catechismo Rom. p. 2. de Sacram. Bapt. §. 51., ubi agens de justificatione per Baptismum, *huic autem gratiae* ( inquit ) *additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia Divina infunduntur*. Quem virtutum comitatum agnoscens proinde in anima justi D. Hieronymus, earum denuo amissionem per peccatum his verbis deplorat in praefatione ad Threnos Ieremiae: *Non auri, et argenti metallo, sed*

*virtutibus radiabat. Ablata sunt haec omnia ; nudata est domus Dei cunctis ornamentis suis.*

4.° demum ratione theologica , qua superior etiam pars confirmatur : *Invisibilia enim Dei* ( ut ait Ap. ad Rom. 1. ) *per ea , quae facta sunt , intellecta conspiciuntur.* Operatur autem homo naturaliter per facultates, seu potentias sibi congenitas ; per intellectum nempe intelligens , per voluntatem volens , aut nolens , per memoriam praeterita reminiscens , etc. : Ergo etiam per supernaturalium virtutum habitus , quos in justificatione a Deo infusos susceperit , velut per totidem facultates , seu principia supernaturaliter operandi cum ejus gratiae auxiliis , ipsum quoque supernaturaliter operari , ac prout decet hominem , qui effectus est Divinae consors naturae , est dicendum ; ita ut , quemadmodum permanenter habet facultates naturaliter operandi cum Dei concursu in ordine naturali , ita permanenter habeat facultates , seu principia supernaturaliter operandi cum Dei concursu in ordine supernaturali , eum nempe adjuvantibus Divinae gratiae auxiliis.

Prob. 3.ª pars. Et 1.° ex Apostoli verbis ad Cor. ep. 1. cap. 3. *Nescitis , quia Templum Dei estis , et Spiritus Dei habitat in vobis ? Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et cap. 9. *Membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti , qui in vobis est.* Et 2. ad Cor. c. 6. *Vos estis Templum Dei vivi* ; ex quibus ita disseritur : Nemo est , qui ignoret , quod Patri speciali quodam titulo tribuitur potentia ; quia cum sit principium sine principio , optime illi congruit potentia , quae est principium operandi. Sicut etiam Sapientia speciali quodam titulo tribuitur Filio , quia cum procedat a Patre per intellectum , optime illi congruit Sapientia. Ac demum bonitas , amor , et Sanctificatio speciali quodam titulo Spiritui Sancto tribuuntur , quia cum procedat a Patre , et Filio per voluntatem , optime etiam talia illi congruunt. Qua super re consulantur quae scripsimus *l.* 3. *tract.* 3. *cap. ult. in fine.* Hinc idem Ap. 1. ad Cor. c. 12. *Divisiones* ( ait ) *gratiarum sunt , idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt , idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt , idem vero Deus* ; Patri scilicet tribuendo divisiones operationum , quae spectant ad potentiam ; Filio divisiones ministrationum , quae pertinent ad sapientem gubernationem ; et Spiritui Sancto

divisiones gratiarum, quae ad sanctificationem referuntur. Quibus positis, quamnam ob causam ait Apostolus, Spiritum Sanctum habitare in hominibus justis, nisi ut intelligamus, quod sicut quisquis alicubi habitat, suos ibi habet thesauros, ita Spiritus Sanctus, nedum gratiae sanctificantis, sed et virtutum. ac donorum omnium thesauris justis inest, iisque illos locupletes reddit? Ita igitur.

Quod et Templi comparatio magis confirmat. Est enim de ratione Templi, quod Deo sit consecratum; ex quo sequitur, quod si justus dicitur Templum Spiritus Sancti, nonnisi quia ipsi consecratus, ejusmodi dicitur. Haec autem ejus consecratio Spiritui Sancto non aliter concipitur, nisi per infusionem omnium Spiritus Sancti charismatum, gratiae scilicet sanctificantis, virtutum, et donorum; absque his enim in ordinariis quidem hujus vitae vicissitudinibus inesset illi per virtutes principium supernaturaliter operandi, eique debitum reddendi cultum, non tamen in extraordinariis, quod illi tribuitur per ipsius dona: In ejus igitur justificatione infusos tum Theologicarum, tum moralium virtutum habitus, nec non dona Spiritus Sancti simul cum gratia sanctificante eum suscipere, est dicendum.

Quibus demum accedit, quod cum homo per justificationem inseratur Christo, tamquam membrum capiti, ut non semel docet Apostolus; idque, ut ejus Spiritu vivat, et regatur, *si quis* namque ( idem inquit ad Rom. 8. ) *Spiritum Christi non habet*, *hic non est ejus*: his positis, disponi debet profecto, quum justificatur, ad omnes excipiendas Spiritus Sancti motiones, nedum ordinarias scilicet, verum etiam extraordinarias. Disponitur autem per habitus virtutum nonnisi ad ordinarias, non enim justus esse potest, nisi recte vivat: Disponi ergo debet ad extraordinarias per aliquid amplius, cujusmodi sunt dona Spiritus Sancti, quae idcirco in justificatione simul cum virtutibus in ejus animam infundi, consequens est.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, de ratione cujusvis habitus esse, ut det facilitatem, et promptitudinem ad actus sibi respondentes. Ejusmodi autem facilitatem, et promptitudinem ad actus virtutum non experiuntur homines post justificationem;

Neque ergo illarum habitus cum gratia suscepisse, est dicendum.

Resp. 1.° neg. maj.; distinguendum namque est, ut alibi diximus, inter naturalium, et supernaturalium virtutum habitus; cum enim habitus prioris generis comparentur per iterationem actuum; ac, si antea contracti fuerint habitus contrarii, nequeant item comparari, donec per illam actuum iterationem contrarii habitus deleti fuerint: consequens inde est, et quod homo, qui illos comparaverit, facilitatem, et promptitudinem experiatur ad actus illis respondentes, et quod in horum exercitio contrarios habitus, cum quibus dimicandum ab illo sit, amplius non habeat. Neutrum tamen locum habet, ubi agatur de habitibus secundi generis; cum enim non comparentur per iterationem actuum, sed immediate infundantur a Deo in animam, ejusmodi idcirco non sunt, quod praeseferant illam facilitatem, et promptitudinem ad actus sibi proprios, quae oritur ex iteratione actuum in quovis genere; nec excludunt habitus contrarios antea contractos, cum quibus homo dimicare debet, donec contrariis virtutum actibus eos subjugaverit, ac deleverit. Quid mirum proinde, quod post justificationem non experiantur homines praefatam facilitatem, et promptitudinem ad actus illis respondentes? Sed et

Resp. 2.° neg. min.; 1.° enim difficultates, quas vere justificati in exercitio virtutum experiuntur, non in appetitu superiori, idest rationali, sistunt, quia si in hoc sisterent, non essent vere ad Deum conversi, sed in appetitu tantum inferiori, idest sensitivo, ob habitus vitiosos antea contractos, quosque contrariis virtutum actibus eradicare, ac delere paullatim debent. Ac 2.° etiam non omnes post justificationem praefatis difficultatibus in exercitio virtutum se irretiri sentiunt, cum immo post eam non pauci adeo condelectentur legi Dei, ac omnibus, quae Deo placere, existimant, ut nihil umquam suavius, ac delectabilius experti fuerint; quemadmodum prae aliis scriptum de se reliquit D. Aug. l. 9. Conf. c. 1. *Quam suave* ( inquiens ) *mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas a me, vera tu, et summa Suavitas; ejiciebas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.*

Objc. 2.º, quidnam prudentiae, eoque minus sapientiae, et consilii in rudibus, ac praesertim pueris, et mulieribus, post justificationem deprehendi? Figmentum ergo illa in iis post justificationem praefatarum virtutum, ac donorum Spiritus Sancti infusio.

Resp. dist. ant.; quod nempe vel nihil, vel admodum parum prudentiae, ut et sapientiae, et consilii specimen ab illis ostenditur in iis, quae ad animae salutem non pertinent: si tamen vere justitiam consecuti sint, adeo in iis, quae ad animae salutem pertinent, prudentes se gerere videntur, ac talia et sapientiae, et consilii praebere videntur argumenta, Seniores saltem, et Sacerdotes adeundo, ubi se impares norunt ad discernendum quod expedit, et Deo placet, eorumque ductum ea, qua par est, promptitudine, observantia, ac docilitate sequendo, ut D. Augustinus de iis scripserit l. 8. Confess. c. 8. *Surgunt indocti, et Coelum rapiunt; et nos cum doctrinis nostris sine corde volutamur in carne, et sanguine.* Quidnam autem inde patet, quam quod, licet ingenio hebetes, et humana Sapientia, ac prudentia destituti, interiore tamen lumine in iis, quae ad animae salutem pertinent, diriguntur; quo cum careant sapientes, et prudentes hujus saeculi, dum sunt proinde in temporalibus negotiis perspicacissimi, in iis simul, quae ad futuram, aeternamque vitam spectant, caligant, nec solum, ut caecos, sed, tamquam amentes, se gerunt?


Ojic. 3.º, quod loquens Tridentinum loco sup. cit. de justificatione, infusionis virtutum, ac donorum Spiritus Sancti nullatenus meminit, sed tantum inquit, eam fieri *per susceptionem gratiae, et donorum*; quibus verbis significari virtutes infusas, ac dona Spiritus Sancti, nonnisi divinando dicitur. Vel ergo dicendum, mancam tradidisse de justificatione doctrinam, quod non sine illius injuria diceretur; vel ejusmodi infusionem, tamquam figmentum, ducendum.

Resp. neg. ant.; cum enim dixerit, justificationem nedum esse remissionem peccatorum, verum etiam sanctificationem, et renovationem interioris hominis per susceptionem gratiae, et donorum, nec non per eam hominem Jesu Christo inseri, cujus idcirco Spiritu deinde vivat, et regatur; satis innuit, quod in justificatione facultates omnes supernaturales, eaque omnia, per quae homo proxime, ac permanenter disponatur ad operandum

supernaturaliter, atque ad omnes excipiendas Spiritus Sancti motiones, ordinarias scilicet, et extraordinarias, in ejus animam infunduntur. Taliter autem disponitur, ut diximus, per infusionem omnium habituum virtutum, ac donorum Spiritus Sancti; unde subdidit, sanctificationem illam, et renovationem interioris hominis fieri *per susceptionem gratiae, et donorum*; quae plane verba habitibus omnibus virtutum, ac donis Spiritus Sancti apprime congruunt. Quod si expressis verbis non ait, in animam infundi, ita se gessit, quia cum non esset commune apud Scholasticos, quod in justificatione virtutum quoque moralium habitus, ac dona Spiritus Sancti in animam infunduntur, noluit quaestiones inter Catholicos controversas expresse definire, sed juxta ejus scopum errores tantum haereticorum perstringere.

Quae pro Institutionibus satis, superque sint. Iis autem Theologiae Candidati cum sedulo incubuerint, easque velut in succum, et sanguinem converterint; memores deinde, ac prae oculis habentes, quod tantum scimus, quantum memoria retinemus, easdem identidem revolvere, atque ad memoriam revocare, non fastidiant. Utque magis semper, magisque in Theologicis Disciplinis se excolant, praeclariores quoque Theologos, Sacrarumque Litterarum Interpretes, ac omnium maxime Ecclesiae Patres in deliciis habeant, ac diurna, et nocturna versent manu.

*Finis sexti, ac ultimi Voluminis.*



| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| Pag. 20. v. 20. Prop. | Prob. |
| 23. v. 36. *commentia* | *commentitia* |
| 39. v. ult. dest | idest |
| 61. v. 24. quomobrem | quamobrem |
| 75. v. 18. objicerere | objicere |
| 99. v. 27. *injusiam* | *injuriam* |
| 126. v. 3. quae | qua |
| 130. v. 5. quod pondus | quod nullatenus potest, quia pondus |
| 144. v. 26. interorii | interiori |
| 191. v. 15. *aut* | *docent* |
| 219. v. 24. per Christum fidem | per Christi fidem |
| 225. v. 19. Ed | Et |
| 255. v. 35. *juvari* | *juvare* |
| 310. v. 9. fuerit | fuerint |

